


DOMINICI DE RUBEIS

FORENSIUM CERTAMINUM SPECIMEN.

Accesserunt in prima quatuor Certamina Paraphrases hexametris illigatæ

Neap. Ap. de Bonis MDCLXVIII. Supp. Perm.

AMPLISSIMO, ILLVSTRISSIMO, ATQVE OPTIMO

HEROI,

QVA VIRTVTE, QVA DIGNITATE

EXCELLENTISSIMO,

D. IOSIAE III

AQVAVIVO ARAGONIO;

ADRIÆ DVCI XIV,

Therami Principi, Marchioni Aquavivæ, & Buronti, Iuliæ, Ioviæque Comiti

Dominicus de Rubeis F. P.

INſtigaverunt me non ſemel amici, Excellentiſsime Domine, ut quæ apud hæc tribunalia, per multos annos, Certamina contraxeram, ea literis commendarem, ac typis imprimerem; verùm deterrebat me tenuitas mea: ſciebam

enim, ex iis me oratoribus non esse, quos populus ultro tacitus, & attentus auscultet; suppetebatque, inconsiderati esse hominis, publicare studia sua, quæ nec ipse disponere, nec illustrare possit, nec delectatione aliqua allicere lectorē. Verebar etiam, timebamque id genus hominum, quibus rara quadam prudētia opus est ad placendum, aut potiùs non displicendum: qui neque doctrina, neque bonis artibus satis pollentes, non delectu, aut sapientia ducuntur ad judicandum, sed impetu, & quadam etiam temeritate; quique priusquam legerint, imò ne aspexerint quidem, judicant, damnant, abjiciunt. Hæc, inquam, me deterrebant, faciebantque, ut amicorum votis haud annuerem: sed hi magis ma-

gisque

gisque obstinati, penè mihi vim obtulerunt. Quare cùm animadverterem, oportere me jussa perficere; cepi consilium eos orandi, ut mihi liceret, ad manus quædam, in specimen efferre: cetera quoque, si viris hæc eruditis non displicerent, evulgaturo. Si placeo, satis in præsens ista, dicebam; si displiceo, nimia. Passi sunt exorari, sed ea lege, ut, data occasione, utilitati, voluptatique legentium, ad marginem paginarum, velut parergon, aliquid adderem. Accinxi me operi, tibique illud consecrare statui, ac deliberavi, idque multis quidem nominibus. Nam, ut præteream singularem virtutem tuam, admirabilem eruditionem, & ipsius etiam juris civilis non mediocrem peritiam; quis

est

eſt, qui majora in me unquam benefi-
cia contulerit, quàm tu, paterque item
tuus? Nondum tertium & vigeſimum
ætatis annum attigeram, cùm is ampliſ-
ſimã, clariſsimamque civitatem Adriam
mihi regendam attribuit. Expleto poſt
annum imperio, ſuarum me litium his
in foris patronum adſcivit, honore mi-
hi trecentorum centuſsium, in ſingulos
annos, decreto: quem honorem, eodem
patre tuo non multò poſt vita functo,
tu (nullo, aut raro quidem exemplo)
conduplicaſti. Quidquòd aſsiduis me
cumulas augeſque donis, & nihil eſt,
quod abs te non impetrem exoremque
facillimè? Quidquòd non modò ger-
mani fratres, verùm & ceteri affines mei
multis per te ſacerdotiis fruuntur, iiſ-

que

que opimis, & curionatu immunibus? Denique, ne quid diſsimulem, eò res venit, ut quas tibi gratias habeo, nullo queam pacto referre. Quæ cùm ita ſint; non erat utique committendum, quin ſaltem tabellam hãc, publicum eorum, quæ tibi debeo, teſtimonium, Immortalitatis Aræ, id quod facio, ſuſpenderem. Vale, Domine, vale & ſalve. Neapoli, ipſo die Paſchatis, MDCLXVIII.



Quod patet, exiguum reputa; decus enitet oris:
Quæ nitet egregiæ mentis imago, latet.
Amico optimo
P. Joannes Caramuel.

SONETTO

Del Sig. Duca d'Atri,

Con l'occasione, che l'Autore gli mandò il propio ritratto.

A Che da l'ombre oscure, e dagl'inchiostri
Cerchi à l'effigie tua vita immortale,
Se il Sol de la Virtù splendidi gli ostri
Aduna in te con la sua man vitale?
E quindi è poi, che vincitor ne' Rostri,
Fra' tuoi Certami emulator fatale
Degli Atleti d'Olimpia, oggi ti mostri
Sù l'arena d'Astrea Guerrier legale.
Chi non sà risvegliar, con l'opre belle,
L'occhiuta Dea di mille lingue cinta,
Chiami in soccorso pur Fidia od Apelle,
Che l'Imagine tua vera e non finta,
Senza temer del tempo ire e procelle,
Hà la Virtù ne' fogli tuoi dipinta.

Idem Latinè.

Quid tua splendorem nigris sibi quærat ab umbris,
Aeternumque decus quærat Imago notis?
Nempe illam Virtus ostro meliore colorat:
Nec defectura pingit amica manu.
Certat juridicis victrix facundia Rostris,
Aemula Olympiacis clara trophæa refert.
Qui nescit factis oculatæ lumina Famæ,
Nescit & egregiis ora ciere Deæ;
Phidiacos studeat sibi quærere ritè labores,
Et studeat pictam quærere Apellis opem:
Namque tuam Virtutis opus, tua nota figuram,
Fucatam nullo Scripta colore notant.
Hanc non tempus edax, non ullius ira procellæ
Deleat, aut ullis sors inimica dolis.

CA-

CARAMVELIS
DE HOC LIBRO
IVDICIVM.

CEssat jam ZHTHMA illud decrepitum, quod inquirebat olim, *An Prometheus, qui ex terrâ finxit homines, & ex cælo animavit, fingere semetipsum potuerit.* Fuerat apud tempe Philosophica natum, & lauris Theologicis demum insertum; sed tandem in Iuridico Theatro evanuit: cessat enim dubitandi & differendi occasio, superveniente certâ & clarâ veritatis notitiâ. Sese producere potuit vetus ille Prometheus, siquidem habemus ob oculos Prometheum alterum, minorem tempore, ingenio & industriâ majorem, qui in hoc libro erudito dum corpus ex literariis elementis conformat, se Solis splendore vivificat. Et quis est ille? quæso. Rhodi Protogenes Apellem cognovit ex lineâ, & in hoc Regno omnes illum, qui privatim est modestiæ, & innocentiæ cultor, & publicè Iustitiæ Propugnator egregius: qui dum pro Rostris orat, suspendit animos eloquentiæ profluvio, & dum dialecticatur, tonat, fulgurat, fulminat, vel ex lineâ cognoscimus. Et in his ego lineis, tam vivis coloribus D. Domini-

An agens se possit reproducere.

Qualis sit D. Dominicus de Rubeis.

cum de Rubeis pinxi, ut illum esse Prometheum, de quo loquor, nemo dubitaturus sit.

1 Reg. 7. 10. Psalm. 17, 14. Eccl. 46. 20. Exod. 19. 16.

Intonuit de cælo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam, quando evulgavit legem: tonat verò Dominicus cùm jam promulgatam tutatur; fulgurat, cum illam veræ interpretationis splendore dilucidat; fulminat, cùm Adversarios vincit, Iustitiámque è periculo ereptam, in triumphum generosè producit. Et quoniam est mortalis hominum etiam grandium conditio, & hæ prærogativæ, quantæ erant, cum tempore possent excidere; se reproduxit in hoc Opere, quod à Parcarum jurisdictione Approbatio & Applausus Illustrium Virorum exemit. Labori & industriæ, dum illud architectaretur, vixit Author: in illo autem jam absoluto & perfecto vivit Famæ, & ut majora conetur, vivet Gloriæ.

Vnde indipiscãtur Scriptores nominis immortalitatem.

Alii in libris Scriptores se pingunt; se fingit, se producit Dominicus. Alii exprimunt calamo propriæ eruditionis imagines; hic se replicat, se regenerat, ut repositus & reproductus in locis & corporibus diversis vivat. *Pictura*, ut inquit Plato, *non respicit* (non exprimit) *id quod est, sed id quod videtur*: quoniam Authores, qui periodos poliũt, & libros pingunt, & non sunt de substantiâ, sed tantùm de ornatu soliciti, calamo imaginant, quod imaginantur; non quod est, sed quod sibi videtur: & hanc ob rem Lectorem, quem deberent

Plato Dial. 10. de Republ.

rent

rent ad Arcem veritatis dirigere, extra anni Solísque vias, per imaginaria ſpacia, quæ *quoddam nihilum imaginatum* vocat Auguſtinus, deducunt, ac propterea ſeducunt. Verùm enim verò Dominicus, quia in hoc libro, non ſe pinxit, ſed finxit; non probabilium rationum colorem apparentem ſectatur, *ſed id quod eſt reſpicit, aut etiam exprimit.* ut aſſenſum ab ipſâ Invidiâ extorqueat, poſtquam Reſolutionem ſuam propoſuit: *ſic probatur*, non autem *ſic videtur*, ingeminat.

Quid imaginaria ſpacia ſint.

Fuerũt qui hujus præclariſſimi Viri habere in Tabulâ Imaginem deſiderarent: fuit qui ſumere penicillum auderet: *At caret effectu ſpes bona ſæpe ſuo:* quoniam

Pictor, in hunc vultum dum ſedulus arte laborat,
Penè ſuâ iratus projicit arma manu.
Heu labor infelix! inquit: deſudat in ora:
Felix, ſi Ingenium pingeret, ille foret.

Et quidem multa ſunt, quæ pingi non poſſunt: nam, ut alia prætercam, tria occurrunt; Nix, Aurum, Sol: quæ nullius Apellis penicillo exprimũtur. Ergo, etſi Ingenia pingi poſſent, extra pictoriæ Artis Objectum proſtaret Ingenium Dominici: quod ingenito candore nives, aurum nobilitate, & ſplendore Solem ſuperat. Dominici ergo Imagine debemus neceſſariò carere: ſed non erit gravis hæc carentia: eò enim tendit penicillus, ut abſentes ſiſtat & ignotos, aut etiam oblivioni

Cur D. Dominicus pingi nõ poſſit.

Cur invent[illegible] fuerit Ars Pictoria.

vioni

vioni traditos, in notitiam & memoriam adducat: non ergo ut Dominicum, qui absens non est: nam in milenis librorum exemplis replicatus universis est præsens: qui tam numeroso Famæ celebratur applausu, ut à nemine nesciri possit: qui in sago & in togâ tam præclara pro Patriæ defensione præstitit, ut non possit oblivioni mandari.

Prodeunt in lucem alii Authores, ut illam habeant: prodit Dominicus, ut illâ Lectores universos offundat. Agit etiam de parvis, & Magnus in minimis est. In hâc Certaminum eruditâ concordiâ veras vocum rationes observabit Orthographus: Criticus verborum felicem & variam syntaxim: phrasium puritatem & elegantiam Rhethor: efficaciam concludendi Dialecticus: historias productas opportunè Chronologus. Addiscet dominari astris, & Ius dicere naturæ Physicus: vitæ & rebus etiam inimici prospicere, injuriásque libenter condonare Ethicus: omniáque, quà privata, quà publica, ad supremum Numen ordinare Theologus. Et in omnibus & singulis docebitur Iurisperitus victoriæ veritatem præferre, eximi præjudiciis, & non fulciri legum expositione cereâ aut vitreâ, quali utuntur non pauci, quos spe flecti viderim, & minis frangi. Et hoc est meum de Authore, & de hoc libro erudito Iudicium. Campaniæ, postridie Calendas Octobres CIↃIↃLXVI.

Liber hic est utilis, aut etiã necessarius universis.

I

D.Alexandri Sacchetti Marchionis S.Quirici.

OCeanum Oceano præbet velut unda tributum,
Legibus auxilium sic tua Scripta ferunt.
Oceanum lex est: sinuosa volumina legum
Miro nempe modo solvis in arte tua.
Quid Lex, ni Tenebræ? Tenebræ sunt fontis Abyssus:
Diffugiunt Tenebræ, Luce fugante tua.
Cynthius alter ades, triplici fulgore coruscans,
Artis, & Ingenii, Consiliique simul.

II

D. Antonii Matinæ.

PVblica cùm Suadæ reddis monumenta forensis,
Cur Certamina aves dicere juridica?
An quia Barbaries, Themidem quæ ex Orbe fugarat,
Nunc gemat à calamis eminus acta tuis?
Vel quia, legalis dum pugnas bella palestræ,
Victrices palmas dant tua Scripta Reis?
An quia corda ligas, juris si ænigmata solvis,
Eloquioque nitens Hercule major ovas?
Vel quia, Thespiadum misces cùm jura lepori,
Cedere perdiscunt arma cruenta togæ?
Hinc, ni sideribus (levis est Peneia) crines
Nulla corona tuos cingere digna potest.

III

D.Blasii Cusani.

RHetoricis ævo Iuris sapientia prisco
Pulchrior emicuit condecorata rosis.

Tul-

Tullius en periit, periitque Hortensius: omnes
Mortali flores jam riguere gelu.
Iusque rudes tantùm circundant undique vepres,
Nec ni garrisonum scit blaterare Forum.
Tu, qui Cyllenium es potis exæquare disertum,
Cyllenii Virgam dextera, & ore geris.
Illa quidem stygio Manes revocavit ab antro,
Tu Latias Linguas Ditis ab arce rapis.
Sic tibi jam calami centum sunt, oraque centum:
Vnus Tu calamos, unus & ora refers.
Si species centum Zeusis congessit in unam;
Vnum Tu ex centum perficis eloquium.
Vtque tuum referat nomen mox Fama per Orbem,
Centuplicat plumas, centuplicatque sonos.
Inde tuis resonat totus dum laudibus Aether,
Vnus Aristarchus, corde strepente, tacet.

IV.

Perge, Fama,

Assequere, si potis es, præpete penna
Dominici de Rubeis Calamum,
Aut, missis alis,
Etsi bigam equitaveris Solis,
Hærebis in salebris:
Nam ultra Solis orbitam pervolat.
Hausit ille sitiens Aegyptiæ sapientiæ Nilum,
Et fudit, ut Græcia dictat,
Iovis nectare plenum.
Hausit in Ausoniæ finibus Latii idiomatis Tybrim,
Vt ex eo
Purior flueret, quàm Cæsaris ævo.
Athenis Palladis oleæ liquorem, ac succum expressit,
Quò naufragæ Themidi lumina componeret in littore.
Hinc grandiore Iurisprudentiæ fato,
Astreæ gladio alligatus hic Calamus,
Calamitates Insontium secabit in frusta,

Vt

Vt obligatos fasces submitterent Ingenia
Vel imperantia,
Ac ipsa perterrita in deditionem veniat Invidia,
Certamina edidit in Foro,
Vt Forum Capitolii nosceret triumphos,
Et magis suos prospiceret Augustos
In Subselliis Togata Militia,
Quàm Laureatis in Classibus Armata.
Suos sibi Mors calamos armavit veneno;
Hũc Virtutis calamũ ambrosia perfudit Immortalitas.
Hoc, veluti flagello,
Barbariem de Rubeis ita profligavit,
Vt natale suum peteret solum,
Nec ampliùs ingenuum inficeret Latium.
Illum ambiit penè gnomonem,
Quò signaret horas Æternitas.
Non illo nobiliori fluere poterat oratio stylo,
Quo monumenta æviterna scriberet Fama.
Ancipites ille reddit animos,
An redivivum Eloquentiæ donaret Papinianum,
An Iurisprudentiæ Tullium.
Illius chirographum cupiat
Quicunque tutò regna invisere nititur Gloriæ.
D. Carolus de Ferrariis in obsequium plausus
Posuit.

V

D. Caroli Petra, Baronis Vasti Girardi, & Caccaboni, ac Iudicis M.C.V.

Dominicus de Rubeis V.I. celebratissimus Doctor.

Onomastrophe pura.

Ecce Virtus, Decor tuis, immo Baldus in Orbe sidis.

INflectas blanda, Rubeis, dulcedine ſenſus;
Diſtribuas plauſus, gaudia corde cias.
Parthenope miratur ovans Certamina juris:
Hinc Te pergrato carmine ritè colit.
Dum Specimen cunctis, Heros, memorabile præbes:
Ecce Decor, Virtus, Baldus in Orbe ſedes.

VI

D. Dominici Torricellæ.

DOmnice, ſi Superi hìc eſſent, loquerentur, ut ajunt;
Ore Platoniaco; certiùs ore tuo.
Bartolus ut quondam es juris facunda Lucerna;
Hinc, velut illa, micas luminibus, Rubeis.

VII

Ejuſdem.

DOminice, Alcidæ compar, bene diſſeris, inſtar
Illius & certas; Clava tibi Calamus.
Iuris agis graphicè Caſus. Hìc clamitet Heros
Bilbilis: O quantum eſt Caſibus ingenium!

VIII

D. Donati Zizzi, Canonici Ilicetani.

NObiliore chelym fas eſt nunc tangere plectro,
Majores & dicere laudes.
Hinc de Laurifero Parnaſi è vertice, Apollo
O rutilans, deſcende: faveto.
Calliope, doctiſque tuis comitata Camœnis,
Quid ſpectas? huc barbiton adfer.

Con-

Concelebrare licet Iuris, Sophiæque feracis
Cultorem, ingeni acumine primum.
Huc, Pindi Regina, vola, cantusque movete;
Mortali non ore sonandum:
Namque Sophocleo perdignum lingua cothurno
Graja Palladis undique narrat.
Seu Regum decreta citet, seu jura coronet
Cæsarea; est spectabilis Orbi.
Quinetiam æthereo miratur lumine Phœbus,
Clariùs effulgens in Terris.
Nunc magis atque magis præfulgent dicta Lycurgi
Luce nova, & magis illa Solonis.
Pontificum nunc jussa micant, nunc semina legum
Mundantur sua ab Arte magistra.
Dogmata, quæ scribit, veluti Interpresque fidelis,
Elicit, æqui juris amator.
Huic equidem omnigenæ crescunt Sapientiæ honores:
Hunc unum nunc fama perennat.
Hoc uno majus nil dum Sirenia pubes
Viderit, altè Iura tuendo,
Semper inoffenso pede: nec Romana Iuventus,
Ingenium dum extollitur ultrà.
Quamvis & redeant revoluto ex ordine Athenæ,
Nec similem conspexerit Aetas.
Haud dubiè hunc Artes omnes venerantur ad instar
Palladii, Sapientiæ ab haustu.
O quantum sibi nunc debent, & Pallas, & Orbis!
Quandoquidem vim præstat utrique.
Eja agite, ò Musæ, de colle bivertice serta
Cingite: ego admirans venerabor.

IX

Ejusdem.

Sicut ab ore canis, tinctus qui dente cruore
Visus adesse Tyro, purpura grata micat;
Dogmata & ista nitent, roseo perfusa colore:
Sunt etenim gemmæ, quas labor arte ligat.

Frangitur ore canis Conchyle; hinc parta labore
Gloria. Te doctum perpetuare sinat.
Ambrosia, & Nectar divino fragrat odore,
Sed tua Scripta magis: purpura namque rigat.
Purpura te genuit, dedit & cognomen, & omen:
Summa Magistratus auguror inde Tibi,
Aeternumque decus ducet cum murice nomen.
Purpurei flores docta Minerva sibi
Quos legit ex Scriptis, servant tibi jure pronomen:
Palladis instar ades, nec sinit esse alibi.

X

P. Francisci Acerbi Societatis Iesu.

ROma, queri amissum Latiæ decus inclita linguæ
Desine, & antiqui verba diserta fori.
Scripta tibi hæc reddunt nitidam sine crimine linguam,
Priscaque Romuleo verba probata foro.
Eloquio contentus honor: sed Fama triumphi
Iussit mansuris cudere verba notis.
Iuris amor, Latiusque tenet quem candor avitus,
Emeritum certet solvere laudis opus.
Barbaries tamen una negat legisse libellum:
Probra libens oculis cernat an illa suis?

XI

Ejusdem

Quòd Auctor Leonardum Paulicium, à quo fuerat ad mortem vulneratus, apud Iudices, per doctissimam, eruditissimamq; orationem, de crimine excusaverit, & supplicio exsolverit.

DVm cuperet mea Musa tuas attexere laudes,
Et decus egregium vinceret artis opus;

Par

Par foret ut votis, leges præfinit Apollo;
Certaque carminibus meta tenenda datur.
E nece subripuit, meditato jure, patronus,
Qui sibi penè tulit perfidus ense necem.
Quam pius officio, scelerum malè facta rependit!
Pro sævo asserta est vulnere vita reo.
Intulit ille manu improvisum vulnus iniqua;
Hic necis artificem ritè tuetur ope.
Nempe fuit dispar Ciceronis causa patroni;
Admisit quanquam crimen uterque Cliens:
Ille dedit jugulum subducto à morte Clienti,
Ne laqueus frangat colla Clientis agis.

XII

Ejusdem

In idem argumentum.

Ille acuit gladium, facundæ hic munera linguæ:
Auferat ut Mortem hic, inferat ille necem:
Lingua tamen victrix furiali præstitit ensi:
Ille tulit vulnus; substulit ista necem.

XIII

Ejusdem

In idem argumentum.

Impulit ad vulnus dimotæ insania mentis;
Et furor ad tantum jussit abire nefas.
Insano debes nimium, mihi crede, furori:
Te rapit insanæ mens malè sana neci.

XIV

Pacis amans genitor, Bellonæ pignus ad arma
Erudis, & sobolem bella movere doces.
Nil moveare mei pugnacis fronte libelli:
Quæ fœdus pariant mitior arma gerit.
Sic sua tela vibrat sinuatis cornibus Iris;
Pax tamen est telis conciliata polo.

XVII

Immortali Memoriæ
Dominici de Rubeis,
Qui
Galli Aquilii acutā jurisprudentiā, & M.Tullii perennē facūdiam
Inter forensia Certamina in forum adduxit,
Felici inter se æmulatione certantes.
Cujus ore
Legifer ipse Iupiter loqueretur,
Si viro facundissimo loquente, silere vel ipsis Diis non præstaret:
Nam
Ingenium habens in numerato, Eruditionem omnigenā in prōptu,
Suadā in lingua, Artem oratoriam etiam in ipso gestu motuve,
Rhetoricam spirantem, Bibliothecam viventem
Se nobis admirantibus præbet.
Qui quot quot sumus, ab ipso, veluti sapientiæ flumine,
Pleno bibimus pectore,
Semper meliora edocti.
D. Hieronymus de Borgia, I. C.
Erga Amicum Optumum, Virum Maxumum,
Etiam parva magnificantem,
In obsequii testimonium,
Veritati obsequens, non amicitiæ,
Monumentum Hoc
Voluit esse dicatum.

XVIII

Ejuſdem

ET Marti & tibi proles ab Iove nata miniſtrat
Fulmina: nec palmas ſors parit una pares.
Nempe illi tætram lethes rigat unda cupreſſum;
Culta tibi Latio laurea dona virent.
Scilicet haud æqua eſt Ducibus ſors addita: Marti
Mulciber, & Pallas ſufficit arma tibi.

XXI

Abbatis D. Ioannis de Rubeis Auctoris patrui,
In ejuſdem Certamina hexametris illigata.

QVæ vincire novo cauſæ certamina metro?
Quæ nova mens, metrico nectere jura pede?
Hos perferre negat victrix Oratio nexus:
Quæ ſolvit Litis vincula, vincla gerat?
Eximat alterius decreta compede crura,
Et rea decretæ compedis illa gemat?
Hoc decus adde aliis, etiam captiva triumphat:
Vincta catenatis nexibus arma movet.

XXII

Ejuſdem

In idem argumentum.

QVò te Muſa pedes? quìd deſeris otia Pindi,
Clamoſumque petis, Virgo pudica, forum?
Tune etiam geſtis defendere jura clientum,
Quæque tribunal habet jurgia ſæva pati?
Roſtra tuo renuunt vinciri carmine lites:
Sat lis eſt nodis quælibet arcta ſuis.
Quid quòd feminei damnantur lege patroni?
Dum dirimis cauſas, incipis eſſe rea.

Nec tibi Phœbus opem, cupient nec ferre Camœnæ,
Quòd Pindo extuleris, Virgo profana, pedes.
Hæc mihi Musa dedit: Nil hæc me cura remordet:
Vincere qui novit sæpe, Patronus erit.

XXIII

D. Ioannis Vallenilii, Regii Consiliarii in Consilio Sanctæ Claræ.

HAec, qui Scripta legis Rubeis monumēta Patroni,
Vt par est, cupido lumine, Lector, obi.
Candorem, quem vita refert, dabit iste Libellus,
Quoque nitent mores, sermo nitore nitet.
Quid toties juvit lites vicisse, diserte?
Ipse Liber secum jurgia litis alit.
Namque præire cupit laudata peritia juris:
Sermo cupit nitidus laudis habere decus.

XXIV

D. Iosephi Destiti.

ALta Monotriados reserant mysteria summæ
Agmina, quæ Thomas plurima, Dunsque docēt.
Abdita cimmeriis penetrare recessibus audet
Nacta Stagiritem gens numerosa Ducem.
Dogmata lineolis miranda Matheseos effert
Inclytus Euclides: undique turba ruunt.
Quos triplici, obveniunt, decoret Sapientia lauru:
Romano eloquio vix reperire queas.
Objectum excussisse triplex, laus magna: lepores
Comere romanos, hoc opus, iste labor.
Græcia vix unum: vix maxima Roma dat unum:
Vnum de Rubeis dant Rosæ Aprutiades.

XXV

XXV

D. Leonardi Martenæ S.T.D. Canonici Cathedralis Lyciensis.

MOeonius recinat Martis certamina vates ;
Armaque ad ætherias tollat Achæa plagas.
Trojugenam canat inde Ducem Latialis Oloris
Pieris , & sacris regnet uterque jugis .
Tum nova Partenopes Solymæ tuba concinat urnæ
Prælia , queis famam Tassus utrique rapit :
Nam quæ paciferi memorat Certamina juris
Rubeus , & calamo scit dare mira manus ,
Non ficta Aonidum Musa , non arte sororum ,
At, qua , præ cunctis , Papiniane , vales.
Sunt ea , præripitur cunctis, queis fama per Orbem:
Argivis , Latiis , Ausoniisque viris .

XXVI

D. Michaëlis de Petris , Baronis Navelli , & Pentimæ .

TE genuit Bellona ferox , & provida fovit ,
Te pariter dulci docta Minerva sinu :
Nam bene facundè pugnas , bene fortiter oras :
Robur , & ingenium Palladis arte micat .
Dominice , hinc cedant, cùm tu Certamina certas ;
Armorum Princeps, eloquiique Pater.

XXVII

Michaëlis de Rubeis , Auctoris germani fratris.

HAec, quæ cusa legis juris Certamina, lites
Ire procul satagunt , fœdera pacis amant .

Non venit ex telis, calamo victoria constat:
Palladius frangit jurgia dura liquor.
Quò se cunque feret Latia sub fronte volumen,
Quas Latium priscum præferet ore notas.
Quid tractare manu refugis Certamina? Pallas
Ferre sub innocuis ictibus arma docet.
Avertant oculos qui discere jura recusant:
Non datur has facili currere calle vias.
Strenua te poscunt Certamina: mentis acumen
Ferre decet: non hæc qualibet apta manu.

XXVIII

D. Nicolai Alfanellii.

VIrgilius nullo subsellia fulmine miscet:
Verberat imbelli Tullius arte chelyn.
Tu chordas, tu corda feris, tu Cæsar utroque,
Iura foves lingua vindice, plectra manu.

XXIX

D. Nicolai Bombini.

RVbro hoc in pelago populi sine lege peribunt:
Non cunctos sicco transvehet unda pede.

XXX

N. N.

DE Rubeis, conferre tuum cui ritè volumen
Ipse queam? rubro censet Apollo mari.
Per freta transibit sospes legalia doctus:
Indoctus meritis mersus obibit aquis.

XXXI

XXXI

Abbatis D. Petri de Rubeis, Auctoris germani fratris.

BEllo alii, tu jure fori Certamina misces:
Tu calamo pugnas, Mars sua tela rotat.
Cote acuit pugnator atrox sua tela Gradivus:
Acrior ad pugnas mens tibi tela novat.
Palma venit Marti fuso per membra cruore:
Dat tibi Palladius plura trophæa liquor.
Censet ab innumera Gradivus cæde triumphos;
At tibi, quos probibes cæde, triumphus erunt.
Hoc melius certamen erit; spolia unde reportas
Iusta, & ab insonti est cuspide tecta salus.

XXXII

D. Philippi Baccarii.

CErnis ut ore fremens Lis improba victa recumbat,
Contritumque gerant jurgia sæva caput?
Nempe acris sensere tui Certaminis arma:
Imparibus subitò viribus ausa cadunt.
Illa nihil latebræ, aut cæci juvere recessus:
Ponè sequax cæcum cura retexit iter.
Devovere levis calami pugnantis acumen:
Mitior ad vulnus ferrea clava foret.
Aemula Lis, meritis cur irrita præmia jactas?
Sat, quæ nota dabit fama volucris, erunt.

XXXIII

D. Seraphini Biscardi.

VBi facta licentia est legendi,
O flos inclyte Romuli nepotum,
Librum, quem modò scripseras Latinè,

Mi-

Miratus sum quidem gravem, politam
Et sententiam, & elocutionem
Verè candidi, & aurei libelli.
O quantum mihi gratulor, cupido
Incessit magis, & magis legendi.
Quàm cultus, numerosus, elegans est!
Tanti existimo, ut ed itum putem illo
Ævo, quo Cicero fuit locutus.
Quanta est copia, splendor, & venustas,
Quo perfusa lepore, gratiisque!
Est plenus liber artium bonarum,
Nec quid dulcius, & suavius quid
In ipso est Cicerone, ceterisque
Quotquot in Latio fuere quondam.
Vir doctissime, ter quaterque felix,
Omnium ausus es unus Italorum,
Post tam barbara secla, & imperita,
Fœda barbarie, & malis tenebris,
Ad lucem revocare jus Quiritum.
Reddis quàm bene literis Latinis
Antiquum decus, atque dignitatem!
Est eruditio, facillimumque
Dicendi genus, & grave, ac venustum.
Disertissimus omnium virorum,
Mirum quo ingenio, eloquentiaque
Fundit nectare verba dulciora.
Quàm feliciter orat, exprimitque
Quicquid vult, propriè, aptè, & expedite!
O vir candide, Vir cui dedere
Tam mirabiliter loqui boni DI:
Dum virum volitas per ora, tu ne
Capta plebeculæ ad probationem,
Nec plausum excipe gentis inficetæ.
Quicquid est hominum politiorum,
Hi te laudibus efferunt, & ornant.
Si quas fortè suarum ineptiarum
Effutit genus improbum invidorum;
Sperne fortiter (hoc enim ferendum est)

Ru-

Rumoresque virum imperitiorum
Fac, quæso, nihili, & puta esse nugas.

XXXIV

P. Thomæ Bruni Societ. Iesu.

QVite, qui talem tanti genuere parentes?
Nil tibi mortalis vox, animusque sonat.
Ipsane te Pallas conceptum pectore fudit?
An mage te fœtum Pallade pectus habes?
An Phœbus genuit ceu quondam Asclepium? an ipsa
Te scelerum vindex, pignora cara, tulit?
Nosco quidem; Astrea Astræum te misit ab astris:
Progeniem voluit sic reparare suam.

XXXV

Ejusdem

AStreæ libras æquo dum pondere lances,
Dumque tenax recti jura tuere fori;
Est tibi, sitque, precor, validæ sapientia menti:
Hyblæoque madens lingua diserta favo.
Aurea Nestoreæ nobis das secula linguæ:
Nostraque Nestoreos secla dedere viros.

XXXVI

Ejusdem

MEns linguā superat, superat mentē quoq; linguā:
Sic tibi mens loquitur, sic tibi lingua sapit.
Mentem huic, illi da linguā; sic utraque vincet:
Hæc Thraseæ mentem; Nestoris illa sonum.

XXXVII

XXXVII

D. Thomæ Valutæ.

Εἰς Δομινικὸν περὶ Ῥυβέων (ἢν Δερυβέοις.)

Ἐπίγραμμα.

Παλλάδοι ὁπλίζεις ἥρως Πιθῶτε, Δίκlω τε·
Armas Palladius bellans Pithoque Dicemque:
Ἀλλὰ τὶς ἀντιβίlω ὁπλόμαχος πέλεται;
Certas: ſed contra numquis in arma venit?
Κείνας μὲν πρέπον ἀλλήλαις, αὐταῖς τε μάχεσθαι·
Illæ (quas armas) poterant certare vicisſim:
Ἐν σοίγ᾽ ἀμφίλογον, μῶν ποτέρα προτερεῖ.
In te nam dubium polleat utra magis.
Σοὶ δὲ τὶς ἀμφότερ᾽ ἀντιβάσι κίνοι τὰ μὲν ὅπλα;
Vtraque ſed quiſnam adverſus te ſumpſerit arma?
Σοίγ᾽ ἱκανῶς πολεμῶν καὶ μόνος αὐτὸς ἔεις.
Sufficiens certans tu tibi ſolus eras.

XXXVIII

Dominico de Rubeis,
Iuriſprudentiæ Sacerdoti, Eloquentiæ Aſſertori,
Viro
Aequè Prudentia atque Doctrina maximo,
Iuriſconſultorū Eloquentisſimo, Eloquentiū Iuriſconſultisſimo,
Qui unus
Craſsi Eloquentiam, & Scævolæ in Iure peritiam
Adeptus eſt.
Viro,
In quo uno ſileat Roma, nec ſuos iactet Gallos Tullioſque:
Vtriuſque ingenium, & artem
In hoc videre datum eſt.
Iuris formulas Iure dictatas, Eloquentiæ vires probè præſtitas,
Vt non in cauſſa ſit, utrorum alterum adire, & de Gallo ad
Tullium, de Tullio ad Gallum migrare,
An potiùs in eo gaudeat Roma,
Et hoc vindice, atque reſtitutore,

Se

Se ipsam Barbarie afflictam, despectu sepultam,
Videat vindicatam,
Videat restitutam.
Absit dicto Invidia,
Vt qui dum scribit, aurea reddit secula Latii;
Dum disputat Iurisprudentiæ Latices aperit.
Patronus Postulatus,
Cùm Orat, fulminat, cùm suadet, vinctos reddit animos;
Et veritate, non fuco,
Bono jure, non specie recti
Lapsa erigit, fatigata reparat, & gloriosæ vocis
Confisus munimine, spem, vitam & rem restituit.
Probè factum.
Vt huic veritati testimonium præbeat,
Vt Posteritati consulat,
Vt Reipublicæ morem gerat,
Monumenta suæ virtutis, sui animi, suæ probitatis;
Disertissima, verissima, æquissima edit.
Amusos eloquentia eruditior è vestibulo arcet,
Legulejos Iurisprudentia solidior ab limine removet.
Procul hinc igitur Vulgus iners:
Abite Fori Rabulæ,
Et quantum est hominum imperitiorum.
Tanti Viri obsequentissimus
Petrus Vincentius Vidman,
Sui amoris, sui obsequii perenne Monumentum,
Hoc Ponit
Elogium, & Carmen.

SAlve, Heros Magne, atque Sacerdos optime legum:
Dulce decus nostri, Rubeis doctissime rerum:
Tu Latium, vocesque suas formare Latinos
Instruis, atque fori restauras Iura Quiritum:
Dumque toga indutus Recti Certamina tractas,
Clara orator ovans reddis nunc secula Tulli:
Cæsarei Iuris formam, quæ mersa profundo
Scriptorum pelago, qua naufraga littore jacta est,
Naufragio subducta tenes. Te vindice, magnum,
Barbarie pulsa, primum meditetur honorem;

Inque tuis ſcriptis & pagina Papiniani
Docta docet. Stupeant tantæ molimina mentis
Italus, Hiſpanus, Gallus, devotaque Iuris
Nomina: quæque dedit tibi ſemper arena forenſis,
Dum tua pro juſto tonuit facundia roſtris;
Sedulo victricis concedant præmia palmæ.
Tu veterum cæca nitidam caligine lucem
Eripis, & ſcriptor priſcos irrumpis in annos;
Eloquiique decus, turbataque nomina rerum,
Et fandi formas collapſaque Iura reponis.
Macte diu felix eſto: Te ſera lōquetur
Poſteritas, te clara vehent præconia primum,
Iſtaque venturi relegent monumenta Nepotes,
Celſior, & magis ample, ſic tua Gloria fiet,
Vt tantum timeat nomen mors invida ſemper.

XXXIX

Del Sig. Federigo Meninni.

GVerra è la lite, & aſpro Campo il Foro;
Ove s'aduna eſercito Togato,
Che d'eloquenza audacemente armato,
Pugna de' Radamanti in mezzo al coro.
Del Ciel feriſce il vertice canoro
Stridula Tromba in bellico ſteccato,
E ne' Campi di Temi è'l Ciel piagato,
De l'altrui ſtrida al fremito ſonoro.
Quindi, a l'Eternità ſchiuſo il ſentiero,
Tuoi Parti, onde ſudar Torchi eruditi,
Nomò Certami un peregrin penſiero.
Or con armi d'orror Marte s'additi
Riſſe eccitar, che Tu d'Aſtrea Guerriero,
La Penna impugni a terminar le liti.

XL

XL

Del medesimo.
Per la versione in metro d'alcuni suoi Certami.

D'Astrea caliginosa i sensi oscuri
Mentre illustrando vai con alta Idea,
E gli tramandi a' Secoli futuri,
Scioglie sua lingua in questi accenti Astrea:
Saggio così con eloquenza Achea
Non fulminò Pericle i cor più duri,
Ne l'Orator de la Città Retea
Modi inventò di favellar sì puri.
E mentre Cigno, onde rossori ha Manto,
Spiega gli altrui litigi in suon canoro,
Sclama attonito sì lo Dio del canto:
Chi vide mai la Povertà fra l'Oro?
E chi di trasportar s'arroga a vanto
Le liti in Pindo, e l'armonia nel Foro?

XLI

Del Sig. D. Francesco Antonio Cappone
Accademico Otioso.

DI Clio ne' boschi, il cui frondoso alloro
Dolce susurra à lo spirar de' venti,
Mentre co' tuoi caratteri eloquenti
D'Astrea formando vai Certami d'oro:
O come volto il cicalar del Foro
Veggo di Pindo in dilettosi accenti,
Ed in vece di stridi, e di lamenti
Vdir parmi d'Eurota il Rio sonoro.
Ma temprata là sù con ferro eletto
Quella, che da tua man penna si tocca,
Tinge non che l'inchiostro il mel d'Imetto.
Hor venga giù da la stellata Rocca
La Fama, e narri, c'hai tu Febo in petto,
Astrea ne' fogli, e Suadela in bocca.

Del Sig. Francesco Antonio Giannone.

Parla il Sebeto.

CHi mi nega gli applausi? Io più d'umori
Non presterò tributi à l'Oceano,
Mi ceda il Tebro i suoi vetusti onori,
Che pria vantò da l'Orator Romano.
Già d'antica Eloquenza i bei splendori
Domenico ravviva, ogn'alto arcano
Di Temide spiegando, e i prischi Allori
Gli formano sù 'l Crin serto sourano.
Onde de le sue glorie insuperbito,
Trà gli Orli miei passeggerò l'arene,
Dando di gioja un mormorio gradito.
E mentre intorno à l'acque mie serene
Fà di gloria spirar vanto erudito,
Invidia i pregi miei Roma, ed Atene.

XLIII

Del Señor D.Gaspar Alonso de Valeria.

SIgo à Turba erudita en aclamarte
Solamente Eloquente; mas qualquiera
Que pessa las demas, fuerza es, que infiera;
Que esta es de tu virtud la menor parte.
La menor parte si; pero que un arte
Tan rara ostenta, que, si tal non fuera,
Tu gran modestia, persuadir pudiera
Aun ala mesma embidia à celebrarte.
Seta antigua renazca, y certifique,
Que al Orador de Athenas, y al de Arpino
En ti benignos Hados nòs bolvieron.
Y si alta Fè se opone; ella replique:
Mas grave error serà, creer, que divino
En mortal carne Espiritu infundieron.

XLIV.

XLIV

Del Sig. Abbate D. Giuseppe Lombardo di Barletta, Canonico di Foggia.

191. 9. 386.

Domenico de Rubeis n. 586.

Anag. num.

29. 337. 220.

Il Demosthene Latino. n. 586.

DEmostene d'Italia, e quali honori
Non merta, e la tua Lingua, e la tua Penna?
Se sciogli l'una, hai le catene à i Cori:
Se imprime l'altra, ogni cervello assenna.
Quella, d'aurea Eloquenza apre i tesori,
Questa con piume dive il volo impenna:
Ogni tuo detto al ciglio offre stupori:
Che viva eterno, ogni tuo foglio accenna.
S'ori del Latio in Campidoglio à i Rostri:
Se con le Tosche Cetre accordi il suono;
Più Demosteni uniti in te dimostri.
L'invido Oblìo sai debellar col tuono:
San la tua Vita imbalsimar gl'Inchiostri:
San gli tuoi Libri inalberarti il Trono.

XLV

Del Sig. Michel'Angelo di Mazzara del Baron Camillo.

SPirto d'intelligenza à te comparte
Sì grande il Ciel, che l'alte penne arrivi
De l'Aquile forensi, e con bell'arte
A l'Arbitrio legal norme prescrivi.
Di Nettare Latino i fiumi avvivi
Co' Caratteri d'oro in sù le Carte:
Astrea decreta sol quanto tu scrivi,
E sembra la tua penna hasta di Marte.
Scorre l'Inchiostro tuo Campi d'alloro
Ove l'Armille d'eruditi esami
Palla brandisce al tuo schermir nel foro.
E da Fasci adorata, e da Reami
Merita la tua legge un' arca d'oro,
Che son tutti trionfi i tuoi Certami.

IN

IN Congregatione habita coram Eminentissimo Cardinali Philamarino Archiepiscopo Neapolitano sub die 12 Maii 1666, fuit dictum, quòd D. Canonicus Neri Fisci patronus Curiæ Archiep. Neap. revideat, & in scriptis referat eidem Congregationi.

Paulus Garbinati Vic. Gen.

Can. D. Matthæus Renzi S.T.D. & S. Off. Consultor.

EGo Franciscus Maria Nerius Tyburtinus I.V.D. Canonicus Neapolitanus, & Curiæ Archiepiscopalis Fisci Advocatus, de mandato Eminentiss. & Reverendiss. Dñi mei Colendissimi D. Ascanii Cardinalis Philamarini Archiep. Neapolitani, vidi, ac diligenter perlegi librū, cujus titulus est: *Dominici de Rubeis Forensium Certaminum Specimen.* Vidi etiam in ejus prima quatuor Certamina Paraphrases hexametris illigatas. Nihil in iis Catholicæ Fidei, Ecclesiasticæ Immunitati, ac solidæ, veræque doctrinæ contrarium reperi. Quinimo omnia admodum doctè, eruditè, ordinatè, ac sapienter, ejus more, discussa. Dignissima sanè, ut quamprimum typis excudantur ad eruditorum hominum summam cōmoditatem, in foro versantium maximam utilitatem, vexatorumque hominum desideratissimum patrociniū. Neapoli, hac die 30 Iulii 1666.

Franciscus Maria Nerius.

IN Congregatione habita coram Eminentissimo D. Cardinali Philamarino Archiep. Neap. sub die 7 Octobris 1666, fuit dictum, quòd stante relatione supradicti Revisoris,

Imprimatur.

Paulus Garbinati Vic. Gen.

Can. D. Matthæus Renzi S.T.D. & S. Off. Consultor.

Eccellentissimo Sig.

NOvello de Bonis Stampatore in questa Fedelissima Città di Nap. espone à V.E. come desidera stampare un Libro, intitolato: *Dominici de Rubeis Forensium Certaminum Specimen*. Vi sono ancora alcune Parafrasi, in verso Latino, sopra d'alcuni di detti Certami. Supplica per tanto V.E. voglia restar servita di commetterne la censura. ut Deus, &c.

Magnificus V.I.D. D. Hieronymus Lanfranchi videat, & in scriptis referat.

Galeota Reg. Carillo Reg. Ortiz Cortes Reg.

Provisum per S.E. Neap. die 11 Augusti 1666.

Anastasius.

Excellentissime Domine.

IVssu tuo studiosè recognovi librum, cui titulus: *Dominici de Rubeis Forensium Certaminum Specimen*. Legi quoque in prima ejusdem Certamina Paraphrases hexametris illigatas. Nihil est cur edi non possint: imò ut imperes edi te etiam atque etiam oro. Revixi quidem dum hæc viderem: vidi enim Tullium, & Maronem redivivos. Vale. Neapoli, Cal. Septemb. MDCLXVI.

Excellentiæ tuæ

Humillimus servus

D. Hieronymus Lanfranchi.

Visa supradicta relatione, imprimatur: verùm ante publicationē servetur Regia pragmatica

Galeota Reg. Carillo Reg. Ortiz Cortes Reg.

Provisum per S. E. Neapol. die 13 Septembris 1666.

Anastasius.

CER-

CERTAMINVM ARGVMENTA.

I

Marchionem S. Quirici, D. Alexandrum Sacchettum, qui Carolo Petrellæ, prædonum Duci, classicum, cœnámque præbuerat, nullam omnino culpam contraxiße ostendit.

II

Leonardum Paulicium, qui suam uxorem occiderat, ipsúmque de Rubeis lethaliter vulneraverat, amentiâ, non voluntate fecisse demonstrat.

III

Satellitem Nicolaum Flaminium, nauticæ servitutis damnatũ, quòd Martinum Æmilium, prædonũ coryphæum, ab se captũ occiderit, in libertatem vindicat.

IV

Adriæ Ducem, D. Iosiam Aquavivum Aragonium, nulli non antehabendum in locatione oppidi Iuliæ: eundum quominus illud conducat, nullo prorsus obtentu impediri, nec posse, nec debere confirmat.

V

Salvianis Castellaro interdicendum: idem Castellarũ nulli servituti obnoxium, sed pleno jure ad Episcopum Satriani pertinere defendit.

VI

In delatione nominis Didaci de Mercado, non modò testes, & argumenta; verùm etiam crimina ipsa desiderari patefacit.

VII

Leonẽ Achelojũ, Isabellæ Rainaldæ heredẽ, adversus donationẽ ab eâdem Achelojis Ascetriis factã, Senatus-cõsulti Vellejani, simulationis, temporísque præscriptione tuetur.

VIII

VIII

Silentium à Prorege factum de intentis in Petrum de Amore criminibus, haud unquam frangendum evincit.

IX

Auditorem Irpinæ provinciæ, Petrum de Amore, repetundarũ accusatum, ita versatũ in provinciis, ut nemo posſit verè dicere, aſſem, aut eo plus in muneribus eum accepiſſe, aut ejus operâ quenquam ſumptum feciſſe contendit.

X

Pragmaticam ſanctionem, hujus regni finibus, & Gallos, & Regi Galliæ ſubditos exturbantem, non ejicere Lotharingos, ab eo Rege ſuam in poteſtatem adactos, exponit.

XI

Ioannis Leprii bona non eſse vacantia: eundem illicita cũ Gallis commercia nunquam habuiſſe declarat.

XII

Inauditi hominis torquendi arbitrium non habere locum in causâ Pompilii Galliani enudat.

XIII

Duorum judicum decretum, cui calculum etiam adjecit judex, qui alteri partium in eâdem causâ patrocinium præſtiterat, nõ eſſe ratum enucleat.

XIV

Feudum Longobardicæ naturæ, ad Regem reverſum, iterúmque, in feudum, nullâ, quod ad hoc, lege dictâ, cõceſſum, non hîc reſumere priſtinã, ſed Francicã induere naturã, ediſſerit.

XV

De Pandectarum Latinitate, Fide Hiſtoriæ, Adoptione, aliíſque nonnullis de rebus diſputat.

PRO

PRO D. ALEXANDRO SACCHETTO MARCHIONE S. QVIRICI CERTAMEN I

ARGVMENTVM.

Marchionem S. Quirici, D. Alexandrum Sacchettum, qui Carolo Petrellæ, prædonum Duci, clasſicum, cænámque præbuerat, nullam omnino culpam contraxiſse oſtendit.

CVM nulla ferè calamitas, Patres conſcripti, non ſit in Republicâ minor improbitate, audaciáque prædonum; quippequi, fœdiſſimi hominum, factionem habentes, excurſionibus, & latrociniis, ſublatis commerciis, rupto fœdere generis humani, loca omnia vel maximè labefactant: nec ſatis habent, avaritiam ſuam rapinis explere, niſi etiam crudelitate ſanguinis prædìti ſint; eos adeò exſe-

cratæ ſunt Leges, ut Divinæ ſeveras ab ipſis repetant pœnas: Pontificiæ ab aſylis etiam abduci permittant: Romanæ capite puniãt: apud nos autem, quos apud creberrimè recruduit hoc malum, multimodis refrænari, & coërceri oportuerit [1]. Et quoniam, cùm cõmunes hoſtes ſint omnium, tamen aliquos ſibi inſtituunt amicos, quibus non modò parcant, verùm etiam prædâ quos augeant, & eos maximè, qui habent oppidum opportuno loco, quò ſæpe adeundum ſit, nonnunquam etiam neceſſariò: eóque ſunt proniores ad ſcelera, quò clàm futuros ſe ſe, & nõ puniri poſſe confidunt [2]; peſſimum [3] genus eſt receptatorum, ſine quibus latro diu latêre non poteſt [4], quibúſq; ſublatis, graſſantium cupîdo conquieſcit [5]. ideóque præcipitur, ut perinde puniantur atque latrones, & in pari causâ habeantur [6]. imo-verò cùm noſtri Reges animadverterent, hoc hominum genus hîc à pleriſque foveri, protegíque, nec conſtitutis pœnis tanto flagitio ſat obviam itum; hujuſce incendii fomitem, atque incitabulum, funditus, omnibúſque partibus amovendum, perdendúmque, novis legibus, curaverunt [7]. Verũtamen, Patres con-

1 Etenim *nonnũquã evenit, ut aliquorũ maleficiorũ ſupplicia exacerbentur, quotiens nimiũ multis perſonis graſſantibus, exẽplo opus eſt.* Verba *l.* 16, §. 10, *ff. de pœn.* Specialia centũ hujus criminis vide apud *Grand. de Bell. Exul.*

2 Spes enim impunitatis alit adoleſcentem in pejus audaciam. *Quis ignoret,* inquit Cicer. pro Mil. *maximam illecebram eſſe peccandi impunitatis ſpem?* Vide *Cert.* 9. *n.* 1. & *Bajard. ad Clar.* §. *fin. q.* 64, *nu.* 118.

3 *l.* 1, *ff de recept.*

4 *Cit. l.* 1 *& l.* 13. *ff. de offic. Præſ.*

5 *Paull.* 5. *Senten.* 3, §. 4.

6 *cit. l.* 1. Adde *l.* 1. *C. de his qui latron. l.* 3, §. *non tantum, ff de incend. ruinn. naufrag.* Sive quia quem amicum ſibi, ſeu hoſtem Civitas decreverit, eundem ſibi quiſque exiſtimare debet. *Plat.* 12 *de L. L.* Quod & placuit Ciceroni dicenti: *Quantum quiſque reip. ſtudet, tantum etiam amicus nobis, aut inimicus ſit, neceſſe eſt.* Sive quia talem te eſſe oportet, qui primùm te ab impiorum civium ſocietate ſejungas. *Cicer.* 10, *epiſt.* 6. & natura ſimile eſt, facere ſcelus & probare. *Quint. declam.* 125. *Aerod. rer. jud lib.* 6, *tit.* 11, *c.* 2. Quæ, jure Romano, ſit hujus criminis pœna, vide apud *Menoch. de arbitr. caſ.* 348. 7 Specialia hujus criminis vide apud *Grand. in tract. cit. Muſcat. de cognit. delict.* & *Scialoy. de forjud. c.* 18.

conſcripti, cavendum etiam atque etiam eſt vobis, ne fortè medela pluſquam ipſe morbus vitiis laboret: etenim Iudex [8], nõ ad verba Legis, ſed Legis-latoris præcipuam voluntatem reſpicere debet, ut quod Legis-conditor omiſit coactus ab Lege ipsâ, quæ non poteſt niſi in univerſum [9] proferri; ſuffragio rationis temperet, & moderetur. ſiquidem Leges non modò jacent, verùm etiam oſcitant donec à ratione perficiantur, à quâ ratione Iudex juſtum & æquum judicium elicit. Hujusrei Vlpianus [10] meminit, cùm ait: *Iuſtitiam namque colimus, & boni, & æqui notitiam profitemur.* ſcripsítque Ariſtoteles [11]: *Vir bonus, & æquus eſt, qui non amplectitur jus in partem deteriorem, ſed potiùs ab acerbitate juris imminuit.* Vtique perpenſo judicio, prout quæque res expoſtulat, ſtatuendum eſt [12]. quid enim ſi quis per ignorationẽ, aut vi, metúſve cauſsâ latrones juverit? quid ſi juverit non dolo malo, non occulendi animo, nec ſalvos eſſe voluerit, imò voluerit non eſſe ſalvos? profectò ne leviter quidẽ peccavit: nam Legis-latoris, in pœnis conſcribendis, finis nullus eſt alius, niſi, ut cives à pravè factis abſterreantur: non videtur autem quis pravè facere, ſi citra dolum aliquid fecerit. Sed

8 *Plat. 12, de L.L.* De Iudicis offic. circa rem hanc vide *Lexic. Iur. v. Aequitas, &* *Grot. 2 de Iur. bell. 20.*

9 *Iura nõ in ſingulas perſonas, ſed generaliter conſtituuntur.* Verba l. 8, ff. de L.L. *Neque leges, neque Senatus cõſulta ita ſcribi poſſunt, ut omnes caſus, qui quandoque inciderint, comprehendantur: ſed ſufficit, ea que plerunque accidunt, contineri.* Verba l. 10, eod. *Nõ poſſunt omnes articuli ſingillatim, aut legibus, aut ſenatus cõſultis cõprehendi: ſed cùm in aliqua cauſa ſententia eorum manifeſta eſt, is, qui juriſdictioni præeſt, ad ſimilia procedere, atque ita jus dicere debet.* Verba *l. 12, eod.* Vide *Plat. 9 de L.L. & Anton. Matth. de Crimin. in proleg.* c.4, n.10.

10 *l. 1. ff. de juſt. & jur.*

11 *Ariſt. Nicomach. lib. 5. Interpretatione legum,* inquit Hermogen. l. 42, ff. de pœn. *pœna mollienda ſunt potiùs, quàm aſperanda:* & Paullus l. 155, §. 2, de reg. jur. *In pœnalibus cauſis benigniùs interpretandum eſt.* Vide *Gothofr. ibi, Steph. Nath. Iuſt. vulnerat. p. 1, tit. 3.* & *Zypaeum de Iudic. c. 21.*

12 *l. 11, ff. de pœn.*

jam initia me teneant. In judicium vocatur Marchio S. Quirici D. Alexander Sacchettus; Vir planè virtute æquè ac genere nobilissimus. Qui nunquam improbus fuit, sed semper inimicus improborum. Qui semper credidit, nihil esse, quod majori fructui, gloriæque esse possit, nec quicquam ex omnibus rebus humanis esse præclarius, aut præstantius, quàm de Republicâ bene mereri: quíque in Rempublicam omni cogitatione, curáque semper incubuit. In judicium vocatur, quòd cœnam, buccinámque dederit latronum Duci Carolo Petrellæ. Hominem arbitror esse neminem, qui Petrellæ nomen audierit, quin facta quoque ejus exsecranda cômemorare possit. Hic magnis coactis peditatus, equitatúsque copiis, quanvis bellum non indixerat, hostiliter tamen grassabatur. Nulli unquam prædonum tanta crudelitas fuit, tam fera, immanísque natura: nemo unquam tam scelestus, tam barbarus nemo. Vitâ, atque factis omnium opinione damnatus: labes, pernicies, & flamma provinciæ. Qui multa in Deũ, hominésque, impiè, nefariéque commisit, & cum incredibili ejus audaciâ singularis stultitia conjuncta erat. Hujus unius nutu trecenti & ampliùs latrones, usque ad ambitum armati, quasi animâ & mente regebantur. Erant hi diro, feroci, horridóque ingenio; montium edi-

tis

tis inculti, atque eò ferociùs agitantes. Truci oris aſpectu ingenitam immanitatem præferentes, paratíque ad omnem nequitiam, ipſaſmet belluas crudelitate vincebant. Corpore, animis, ſpiritúque terribiles, plurimi eorum etiam agnomine, quaſi terrore compoſito; *CANIS*, *MORS*, *INFERNAS*. Quis memoret quot innocentes hi civium carnifices necaverint, quot cervicibus, quot altero pede ex arboribus ſuſpenderint, quot in fruſta ſecuerint? Quis memoret agros, quos hæc multitudo depopulata eſt, domus, quas incêndit, oppida, quæ diripuit? An-non etiam munitiſſima loca, validiſſimæ, robuſtiſſimæque urbes patefactæ huic turbæ, quæ, ne cadentium quidem ulli parcendo, obtruncatis omnibus, merces opimas, velut viles, nullis, præ timore, repugnantibus, avertebat, & cùm integram prædam ſine ſanguine habere poſſet; cruenta tamen ſpolia detrahere malebat? Adeò omni genere terribilis fuit, ut planè nata ad hominum interitum, urbiũ ſtragem videretur. Spoliavit, nudavit, vaſtavítque omnia: neque hoc ſolùm in rebus privatis, ſed etiam in publicis: imò ſanctiſſimæ Religioni conſecrata depeculata eſt. Denique (ut cetera reticeam) omnium ſæviſſima fuit latrocinatio innumeræ multitudinis: & ni prorex, ingentis animi vir, ſapientiâ ſuâ, atque ſolertiâ,

per-

percuſſum undique, & perturbatum ordinâſſet hujuſce regni corpus; nec ullus quidem locus tutus, nec ullum tempus metu vacuum. His Marchio cœnam, tubámque dedit, Fateor: at ubi? in oppido Caſtroveteri. quîd *in oppido* dixi? non oppidum erat, ſed oppidi cadaver, imago: muri, incolæque deerant. Quâ verò de cauſâ? audite, P.C. prout geſta eſt, rem vobis adaperiã. Vbi hæc multitudo, turbinis inſtar, digreſſa montibus, incitante aviditate ſævitiam, proximè caſtellum illud primùm apparuit, juſſit Marchio, ære campano finitimos in arma moveri, atque ad prælium ineundum claſſico inflammari. Nullus affuit, nullus ad arma deſcêndit, ſolúſque Marchio certamen audet, atque commiſcet. Aderant ejus aliquot ſervi: ſed hi leonem primò, poſt, velut Gorgone conſpectâ, leporẽ egêrunt. Erant ceu muti canes: nam animus ipſis in pedes ceciderat, extra pectus cor ſaliebat, &, carentes ſanguine, tametſi gladios habebant, præ formidine, uti nequibant. Latrones interim, more nimborum, circunfuſi undique, armorum fulgetris, atque tonitruis cuncta terrentes, in modum procelloſæ, atque horridæ grandinis, plumbeos globos in Marchionẽ diſploſis fiſtulis effuderunt. Poſtquam aliquandiu concertatum eſt; Petrella ad colloquium Marchionem evocat, iſtóque è ſpeculâ audiẽ-

te (neque enim ſe illi committere auſus eſt) hæc ingenti, horribilíque voce intonuit: *Scito, Marchio, mihi nil unquam negatum à nemine. ſi ſolus id audeas, impunè non facies. nos aliò tendimus,. hàc, dominante fame, tranſimus. cœnam petimus, & buccinam illam, quâ viros ciere adverſum nos audaciſſimè conatus es. præter hæc nihil aliud. ni dederis, eſt mihi ferrum, atque juventus, cujus vires ad impetum validisſimæ ſunt. nos fortisſimos quoſque aſpernamur, contemnimus, &, ne Regi quidem parêre, niſi ex libidine ſoliti. Scito, eſſe nobis promptum ad iſta, aut ad mortem animum.* Hæc illo interminante, ecce tibi feminarum numerum & multitudinem, quæ ſibi comam concerpere, manus collidere, terræ pedem incutere, femur, pectus, frontem cædere, ac vim lacrimarum profundere, ut lapides, mehercule, omnes flere, atque collacrimare coëgiſſent. Renunciant, adjacere in agris corpora hominum, quos homines Petrellejani ad mortẽ uſque cæciderant, atque accidẽtes ad Marchionis pedes, hunc, obſecratione humili, ac ſupplici, vehementer etiam atque etiam implorãt, obteſtantúrque, ut illorum furorem, rabiémque avertat. nî faciat, agros omnes ab his flammis incenſum, omnes agricolas ab his tigribus iri dilaniatum: haſce autem illorum minas eſſe, per Dei, pérque Deiparæ nomen, unâ voce jurant, dejerántque. Tenebræ interea propinquæ formi-

mi-

midinem adaugent , & prædones, ſucceſſu noctis alacriores, pejora etiam auſuros compertum erat. His animi mæroribus Marchio circundatus, hoſtium cognito conſilio, deſperatis auxiliis (nec impetus ſuſtineri poterat) quâ timore perculſus, quâ pietate commotus, ad Petrellã reſpondet, ut quandam in domum longè à caſtello ſecedat (nam Punicæ fidei hominem apud ſe recipere timuit) illícve cœnam , buccinámque ſe daturum promittit. Ita ſe res habet, P.C. nec aliter ſe habere quis dixerit: quis igitur credat, eã pro crimine haberi? quis factum hoc reprehendat, & pœnâ, non laude dignum exiſtimet? ſi Marchio mente obſtinatâ, inflexibilíque fuiſſet; omnino ſummè immiſericors, ſummè inhumanus, crudeliſſimúſque audîſſet. In his anguſtiis, quid, quæſo, quid feciſſetis vos, P. C.? (*neque enim æquus judex aliam de ſuâ, aliam de alienâ causâ ſententiam fert* [13]) Scio, vos conſtantiſſimos eſſe; atqui conſtantia, ſive fortitudo, nihil eſt aliud, niſi mediocritas quædam timiditatis, & audaciæ, quarum altera defectus eſt, altera exceſſus: nec fortis dici poteſt, niſi qui audet, veretúrque quando, ubi, & quantum oportet, & ut ipſa ratio dictat, & præcipit [14]. *Nequaquam ego*, inquit Plato [15], *fortes appello brutas animantes, neque verò illud nomen cuiquam tribuo, quòd mẽtis penuriâ non reformidat res formidabiles*. Ecquis un-

13 Verba *Senecæ lib. 1, de ira, c.* 14. Adde *l. 1*, & ibi *Gothofr. ff. quod quiſque jur.*

14 *Dux Adriæ Andr. Matt. Aquaviv. in Cõm. ad Plut. de vir. moral. lib. 3. Eſt nempe moralis virtus*, inquit Ariſtoteles 1 Magn. Moral. 6, *quæ ab exceſſu, defectuque corrũpitur.* & paullo pòſt: *Fortis ergo erit, qui neque omnia metuet, neque nihil*. De fortitudine, forti, & eorũ extremis vide *Ariſt.* 3 *Eudem.* 1, & 3 *Nicomach.* 6.

15 *Plat. in Lach.*

unquam, P.C. quis unquam Petrellæ ita obstitit, ut Marchioni præiêrit exemplo? quis tantis unquam fuit cervicibus? Scio, Cæsarem [16], cum Helvetiis pugnaturum, primùm suo, deinde omnium è conspectu remotis equis, ut, æquato omnium periculo, spem fugæ tolleret, prælium commisisse: at scio, scitísque vos omnes, Irpinæ provinciæ præsidem, qui, ut Caroli temeritatem compesceret, conjugem ejus, filiósque in custodiam dederat, eos repetenti Carolo reddidisse: nec tamen ei (imparatus enim quòd erat, cordatè, prudentérque se gesserat) flagitio datum. Fecit igitur Marchio, quod prudentem, quod fortem, constantémque virum decet: fecit metu majoris mali: fecit invitus: quid igitur? Audite Aristotelem [17]: *Cùm virtus circa affectus, actionésque versetur, cúmque in spontaneis laudes, & vituperationes, in invitis venia, interdum etiam misericordia existat; necessarium fortasse est iis, qui de virtute consyderant, spontaneum, & invitum definire: id quod etiam iis, qui leges sanciunt, ad præmia, pœnásque instituendas minimè inutile est* [18]. Enimverò,

[16] *Cæsar de Bello Gallic. lib.1.*

[17] *Aristot. Nicomach. 3, c. 1,* & Plat. 12 de L.L. *Qui exsulem,* inquit, *extorrémve* VOLENS SCIENSVE *susceperit, capite luito.*

[18] Non erit inutile huc transcribere, quæ de spõtaneo, & invito, post Aristotelem habet *Anton. Matth. de Crimin. in prolegom. c. 1.* ille sic loquitur: *Aristotel. 3.* Eth. 2, & 5 Eth. 10. *cũ actiones distinxisset in voluntarias, involuntarias, & mixtas; voluntariam definit, cujus principiũ est in agente, sciente actionis suæ circunstantias: involuntariã, cujus principiũ, seu caussa extra agentẽ est, itaut nihil ad id, quod agitur, conferat: mixtam, in qua partim vis, partim voluntas conspicitur: item quã quis, tametsi principium in agente sit, ignorans tamen, aut per ignorantiam obit. ex his autẽ, quas mixtas vocat, alia propiùs ad voluntarias accedunt, aliæ involuntariis annumerantur. ad voluntarias accedunt ea, in quibus & vis, & voluntas conspicitur, ut cùm quis ad aliquid faciendum impellitur spe majoris boni aut timore majoris malitatis: & aliquando quidem laudem merentur, aliquando excusationem, aliquando nec laudem, nec excusationem. laudem merentur, cùm quis spe excellentis alicujus boni indignum aliquid, aut indecorum sustinuit, ut si quis ære vitam redemerit à latronibus, aut magistratus, jussu furentis plebis nudus saltaverit in foro, aut insaniam seditionis mitigandæ gratia simulaverit, aut sapientiæ causa abjecerit fortunas. Excusationem,*

verò, necessitati imperare nullus Legis-lator potest[19]: quin-etiam velle nullus existimatur, quãvis verba legis id facere videantur. quamobrẽ rectè Aristoteles[20] ait, legem corrigi eum in modum, quo, si Legis-lator adesset, suam legẽ interpretaretur[21]: ídque per epiicejam, quam nonnulli *BONUM AEQUUM* interpretantur. dicitur enim epiiceja, si ab Græcis etymon exquiramus, à cedendo, & tolerando. cedit Lex, & tolerat, quum apud Iudicem, æquitatis suffragio, emendatur. *Hinc Mercurium*[21], *qui* ερμης *dicitur, scilicet INTERPRES, non sinebat antiquitas effigiari nisi ex ligno quàm optimo; reliquos verò Deos ex quocunque. quod quidem nihil aliud innuit, nisi quòd Legum Interpretes debent esse bene animati, ut sint ad lenitatem, non ad sævitiam proniores: qui si fuerint quocunque modo ad malum propensi, distrahũt Leges ipsas aut ad crudelitatem, aut ad fraudem, depravántque sententias Legum, ut Principibus placeãt, & blandiantur.* Laudatur à Cicerone Servius Sulpicius, appellatúrque ab eo, non juris, sed justitiæ

...nem; si quis indignum aliquid facere sustinuit, ad declinanda ea, quæ vim naturæ humanæ superant; ut si tortus ab hostibus, dolori succumbat, arcanaque suorum enunciet, aut si fame urgente, cibo utatur non humano. Nec laudem, nec excusationẽ, cùm quis spe alicujus boni, aut metu mali admittit aliquid prorsus turpe; ut, si quis tollẽdi tyranni causa consuescat cũ ejus uxore: aut ne ipse moriatur, alterum, quem jubetur, occidat, aut ne nocens damnetur, judicium, datis pecuniis corrumpat. Vide *Farin. q. 97.*

19 *Plat. 9 de L.L. Irruentis necessitatis*, inquit Mevius Discuss. Levamin. inop. debitor. c. 1, *id quoque privilegium est, quod eximit ab omnibus legibus, & reducit cuncta in eum statum, in quo ante leges conditas res fuere. Unde Seneca* lib. 4, contr. 27, *vocat magnum humanæ imbecillitatis patrocinium: quæ omnem legem frangit, quicquid coëgit, defendit. Isocrates appellat* velamentum injuriæ. *Quintilianus* declam. 260: *Multum contrà justitiam necessitas valet. Ex eo hæc usurpant axiomata: Necessitatem excipi ab omni lege; Facere ex illicito licitum; Iusta habenda quæ imponit.* Hæc Mevius. Vide *glos. in l. 2, §. inde, ad l. Rhod. de jact.* Adde Tullium, *offic. 2*, dicentem: *Datur necessitati venia.* 20 *Aristot. 5 Nicomach.* 10. 21 *Marcus Antonius Muretus* Orat. 2, vol. 1, *refert, veteres paucissimis verbis judicis officium conclusisse, cùm dicerent legem esse mutum judicem, judicem autem legem loquentem; addens, à bono judice ita prorsus omnia judicari oportere, ut lex ipsa si loqui posset, judicaret, atque ita legem, & judicem inter se conspirare, ut sit lex quasi anima judicis, judex quasi vox legis.* Verba *Stephan. Nat. cit. tit 3. c. 6.* Iudicis partes quæ sint, vide apud Topium antiquitatis studiosissimum, & non spernendæ eruditionis Virum, *de Orig. omn. Tribunal. civit. Neap. p. 1. lib. 3 c. 5.* 22 Verba *Ducis Adriæ lib. cit.*

tiæ consultus, quoniam erat ei in interpretandis Legibus incredibilis æquitas, & penè divina: *nunc autem* [23] *, nullâ ratione opitulante* (scio, P.C. scio esse vos hoc à vitio alienos) *modò, nescio quẽ Bartolum, aut Baldum in medium afferant, justi, & sanctissimi judices appellantur: perinde ut Pythagorici, qui pro rectâ ratione dicebant*: IPSE DIXIT; *ipse autem erat Pythagoras* [24]. Quare erit epiiceja legitimo jure præstantior, quoniam ipsum jus emẽdat, & perficit. nam Leges non aliter, quàm res aliæ, ex materiâ, & formâ componuntur, utpote quæ habent literarum structuram pro materiâ, ex quâ jus efficitur, & rationem judicis pro formâ, ex quâ perficitur [25]. *Benigniùs Leges interpretandæ sunt*, inquit Celsus [26], *quò voluntas earũ conservetur*. Cordati itaque juris Interpretes [27], hâc benignitate, exceperunt à pœnâ, qui per ignorationem [28], qui vi metúsve causâ latrones receperint, & non modò metus veri, sed veri etiam similis: ut si prædonum copia magna sit [29], vel recipiens habitet in pago, aut agros habeat, qui facilè incendi, vel pecudes, quæ abigi facilè possint, & si quæ similia [30]. timor enim amissionis,

23 Verba *ejusdem Ducis ibid.*

24 *Non tam auctoritatis in disputãdo*, inquit Cicer. 1 de Nat. Deor. *quàm rationis momenta quærenda sunt. quin etiam obest plerũque iis, qui discere volunt, auctoritas eorum, qui se docere profitentur. desinunt enim suum judicium adhibere: id habent ratum, quod ab eo, quem probant, judicatum vident. Nec verò probare soleo id, quod de Pythagoreis accepimus, quos ferũt, si quid affirmarent in disputãdo, cùm ex eis quæreretur, quare ita esset, respondere solitos:* Ipse dixit.

25 *Dux Adriæ ib.*

26 *l. 18, ff de L.L.*

27 Apud *Farin. q. 33. Cab. l. resol. crimin. 287. Menoch. cit. cas. 348, Bajard. ad Clar. q. 90.* & *Mascard. concl.* 1264.

28 Curita? Quia *quæ facit ignorans, ex eo quod ignorat ea, invitus facit.* Verba Arist. 2 Eudem. 9. *Metrodorum* inquit Paullus l. 40, ff. de pœn. *cùm hostem fugientem SCIENS susceperit, in insulam deportari: Philoctetem, quòd occultari eum NON IGNORANS diu dissimulaverit, in insulam relegari placet.* Vide quæ dicemus *Cert. 9. n. 47.* Adde *Mascard. loc. cit.* ubi, ob præsumptam ignorationem, tabernarium excusat. quod probatur *Afflict. ad Const. Regn. rubr. de Pacteren. recept.*

29 DD. apud *Menoch.* & *Bajard ad Clar. locc citt.*

30 Vide *Aponte de potest. Proreg. tit. de provis. fier. solit. §. 3. Thor. in compend. decis. verb. recept. tom. 1.*

nis, etiam bonorum, in virum constantem cadit, metuísque mortis rectissimè comparatur [31]: nam, ut ait Hesiodus, *pecunia est anima miseris mortalibus*. Quid quòd sine dolo malo qui recipit, is ne labeculâ quidem ullâ innocentiam suam aspergit? enimverò absque dolo, affectu, atque animo crimen minimè contrahitur [32]. mẽs peccat, non corpus, & unde consilium abfuerit, culpa abest [33]. adeò, ut lex Cornelia de sicariis [34] ne latam quidem culpam dolo malo cõferri patiatur. porrò *vitiis hominum, non eventu metienda peccata* [35]. Quam sententiam Hadrianus expressurus [36]; in maleficiis voluntatem, non exitum spectari rescripsit. Audite Vlpianum [37]: *Capitalem fraudem admisisse accipiemus DOLO MALO, & per nequitiam; cæterùm si quis errore, si quis casu fecerit, cessabit edictum. DOLO MALO* [38] *adjecto, calliditatem notat Prætor ejus, qui persuadet; cæterùm si quis sine DOLO deteriorem fecerit, non tenetur. DOLI verbum* [39], *ad eum, qui recipit, referendum est, ut non alius teneatur, nisi qui DOLO MALO fecerit. Prætor ait* [40]: *In eum, qui ex incendio, ruinâ, naufragio, rate, nave expugnatâ, quid rapuiße, recepisse DOLO MALO dicetur. Sed enim additum est DOLO MALO, quia non omnis, qui recipit, statim etiam delinquit, sed qui DOLO MALO recipit*. Sed númne Marchio id dolo malo, per calliditatem, & nequitiam admisit? Iterum audite Vlpianum:

[31] *l.2*, & ibi *glo. de his, quæ vi*. DD. apud *Mascard. conclus.1056, n.54*. Metum autem per conjecturas probari docent *tex. in l. metus, & l. metũ*, ibique DD. *C. de his, quæ vi, met. caus. Boër, decis. 101. Mascard. concl. cit.*

[32] *l.1, C. ad l. Cornel. de sicar.*

[33] *Liv. lib.1. c. proposito, & c. reverà 32, q.5. c. raptor, 27, q. 2. l. vim passam, l. uxor, §. si quis planè, & l. fœdissimam, C. de adult. Farinac. q. 97.*

[34] *l.7, eod. tit.*

[35] Verba *Cicer. in Paradox.*

[36] In *l.14, ff. eod.*

[37] *Vlpian. in l.23, §. 2 de ædil. edict.*

[38] *l. 3, ff. de serv. corrupt.*

[39] *l.5, ff. eod.*

[40] *l.1, & 3, §.3, ff. de incend. ruin.*

num:

nũ [41]: *Si tamen vi, metúve compulſus fuit hic, qui diſtractus eſt, dicemus eum DOLO carere*. Quid quòd nullo quis peccato ſe obligat, ſi non animo celandi recipiat? *Quod* [42] *autem Prætor ait RECEPISSE, ita accipimus, ſi ſuſceperit ſervum alienũ ad ſe: & eſt propriè RECIPERE, refugium ABSCONDENDI CAVSSA ſervo præſtare*. *Is qui* [43] *fugitivum CELAVIT, fur eſt*. *Qui novit furẽ* [44], *nec indicat, fur quidem non cenſetur, ſed qui CELAT*. Modeſtinus ait [45]: *Eum, qui fugitivum alienum ſuſcepiſſe, & CELASSE doceatur, crimen, ſi probetur, evitare minimè poterit*. Dioclet. verò, & Maxim. ſcribunt [46]: *Eum, qui mancipium alienũ CELAT, Fabiæ legis crimine teneri non eſt incerti juris*. At númne Petrellam Marchio celavit, ſi, præ ſociorum copiâ, celari ille nec volebat, nec poterat? nónne publicâ, inſigníq; impudentiâ graſſabatur? nónne talis erat, qualẽ eũ antea deſcripſimus? porrò tanta illi erat audacia, ut ipſum celari non-nihil puduiſſet. celari nec poterat, nec volebat, quin-etiam nec illi opus erat: nam tantæ ejus vires, ut illarum meminiſſe me pigeat. Nónne Marchio provinciali judicio illum confeſtim palàm fecit [47]? num provinciæ præſes perſecutus eſt eorum mortem, qui crudeliſſimè, atque indigniſſimè interierant? num latrones illos

41 *l. 16, §. 1, ff. de liber. cauſ.* Hinc vulgatum illud: *Vis, & metus à dolo excuſat. Gothof. ibid.*

42 *l. 1, ff. de ſervi corrupt.*

43 *l. 1, ff. de fugit.*

44 *l. qui vas, 49, ff. de furt.*

45 *Modeſtin. in l. 5, ff. ad L. Flav. de Plag.*

46 In *l. 9, C. ad L. Flav. de Plag.* Patet etiam ex *l. 1, C. de his, qui latr. occultav. ibi* Occultando. ex *cit. l. 1, de recept. in verbo* Latere. ex *l. 2, eodem, in verbo* Conſervatus, ex *l. 1, C. de deſert. lib. 12, ibi:* Delitеſcere. *ex rubric. C. de his qui latron. &c. in verb.* Occultaverint. *ex pragm. 1, de recept. ibi:* Tutum receptaculum, ac ſecuram habitationem. pateтque ex omnibus aliis Regni Cõſtitutionibus hac de re. Adde DD. apud *Farin. cit. q. n. 55.* & *Afflict. loc. cit.* Hæc, ut pleraq; omnia, docuit me vivum illud Muſeum, quod Livor ipſe laudaret, D. Ioſephus de Roſa, olim ex omnibus primæ notæ Advocatis facilè primus: etenim aptè, ornatè, diſtincteque dicebat, litiumq; nodos compendio diſſecabat. Nunc Regis Conſiliarius, & Iuſtitiæ Conſultus, ejuſque fortis Antiſtes. Vir ſanè multorum inſtar, & qui Solem, ut eſt in proverbio, manibus geſtat.

47 Quod etiam excuſat. *Caball. reſol. cit. ex l. 2, C. de his qui latron.*

illos exagitavit? num insecutus est? Quîd ita? Quia, ut initio dicebam, sæva fuit latrocinatio innumeræ multitudinis. Citra omne dubium, P.C. celandi animus ab Lege requiritur: atque istâ de caussâ Interpretes bene animati exceperunt à pœnâ, qui magnam prædonum copiam receperit [48]; qui receperit pro suâ ipsius tutelâ [49]: qui toleratum ab judice, sive receptoris, sive recepti [50]. Quid quòd necesse est, ut qui recipit, per legis contemptum id faciat? qui enim per contemptum non facit, non incurrit in pœnam legis dolũ desiderãtis [51]. Quid quòd oportet, receptationem esse talem, ut per eam receptus evadat audacior, improbior, deterior [52]? *Ait Prætor* [53]: *Qui servum, servam, alienum, alienam, recepisse, persuasisséve quid ei dicetur DOLO MALO, quo eum, eámve DETERIOREM faceret. Prætor* adjecit [54]: *DOLO MALO, quò eũ DETERIOREM faceret; neque enim delinquit, nisi qui tale aliquid servo persuadet, ex quo eum faciat DETERIOREM. Idem, & in eo* [55], *qui servum recepit, & celavit, & DETERIOREM fecit*. Atq; ad hoc liquet, respexisse etiam Regem Ferdinãdum, & Cæsarum maximum Carolum V, quum dixerunt [56]: *Quibus SVMMA OCCASIO erat, quòd facinorosi homines de facili post delictum, tutum receptaculum, ac securam habitationem in plerisque locis dicti Regni invenire poterant. Latrones, cæterósque faci-*

48 Vt alia ratione probavimus antè, *n.*19.

49 Post *Decianum Rovit. in prag.* 4 *de recept.* quẽ sequitur *Scialoy. cap. cit. nu.* 20.

50 *Mascard. concl.* 161. *Bajard. loc. cit. Rovit. ad pragm.* 1 *de Recept.*

51 *Theodoric. Col-leg. crimin. disput.* 8, *thes.* 1.

52 *Apont. loco cit.* vide *Clar. q.* 90, *n.* 8.

53 Verba *Vlpiani l.* 1, *ff. de serv. corrupt.*

54 Verba *ejusdem l. cit.* §. 3.

55 Verba *ejusdem in l.* 11, §. 2, *eod.*

56 In *pragm.* 1, *de receptat.*

facinorosos, & malefactores receptant, *ET HINC AD DELINQVENDVM DATVR PRONIOR LICENTIA, & TEMERITAS*. An hæc P.C. an hæc Petrellæ à Marchione? an hic fecit eum deteriorem? nónne erat ei perfidia omni major incremento? nónne erat is flagitiorum omniũ, vitiorúmque princeps? Quæ cùm ita ſint, P.C. mihi negotium nequaquam faceſſit, quòd pragmaticâ ſanctione [57] teneantur etiam ii, qui prædonibus *alimenta*, *victúmque* dederint: nam, ut præteream, quæ de vi, metúve: quæ de dolo malo, calliditate, nequitiáque dicebam: eáque omnia, quæ hunc in locum jure optimo referrem; quis eſt, qui non videat, Legislatorem ad actuum frequentiam reſpexiſſe? cùm enim alimentorum, victúſque ſignificatio per omnia exæquata ſit [58]; verborum illa repetitio: *Alimẽta, victúmque*, conſultò, ad aliquid aliud indicandum, facta videtur [59]: alioqui dixiſſet: *prandium, cœnam, diarium, cibum*, quibus utique pleniora ſunt *alimẽta victúſque* [60]. Et quanquam hæc diſplicent aliquibus; tamen cur diſpliceãt nihil eſt, & clementioris ingenii viri cõſtanter affirmant, nullâ lege teneri, qui cibum dederit tranſeuntibus [61], qui inopinatò [62], qui ſemel [63]: ſicut graſſator non dicitur, qui pluries graſſatus non ſit. verba Calliſtrati [64] hæc ſunt: *Graſſatores*,

57 *Pragm.4, de receptat.*

58 *L. ult. ff. de aliment. & cibar. legat.*

59 *DD. in l. Balliſta, ff. ad Trebell.*

60 Ex *tot. tit.* & præcipuè ex *l. diariis, 21, ff de alim. & cib. legat.*

61 *Caball. Apont.* Scialoy. *locc. citt. Gayll. de pac. publ. cap. 10.*

62 Argum. *l. 3, §. 12, & l. 5, §. 5, ff. de re milit.* Farinac. *q. cit. Gayll. loc. cit. Cyriac. controv. 445, n. 15. Ea, quæ ex improviſo caſu potiùs, quã fraude accidunt, fatò plerunque, non noxæ imputantur.* Verba *l. 1. C. ad l. Cornel de ſicar.* Adde *l. 5, eod. l. 12, ff. de cuſt. reor.* & *cit. l. 23, § 2, ff. de Aedil. edict.* *Fortunæ crimen appellatur*, inquit Cicero pro *Mil. quum quis caſu, non dedita opera peccat.* Et Plat. 12 de L.L. *Mali, ignavique ſemper puniendi ſunt ut meliores fortiores que evadant: infortunati verò minimè.*

63 *Gayll. Cyriac. & Apont. locc. citt.*

64 In *l. capitaliũ, §. Graſſatores, ff. de pœn.*

res, qui prædæ causâ id faciunt, proximi latronibus habentur, & si cum ferro adgredi, & spoliare instituerunt; capite puniuntur: utique si SÆPIUS, atque in itineribus hoc admiserunt. Theodosii verò [65]: *Si quis fortè desertorem agro, tectóve susceperit, atque apud se DIU passus fuerit delitescere.* Hujus rei ratio esse potest, quia, si secùs; non videtur desertor factus deterior [66]. Concinit illud Gaji [67]: *Etsi post tres, aut quinque, pluré sve dies, quàm judicio sisti se reus promisit, secum agendi potestatem fecerit, nec actoris jus ex morâ DETERIUS factum sit; consequens est dici, defendi eum debere per exceptionem.* Quid quòd non clàm & latenter, sed publicè & palàm id Marchio patravit? utique fraudem legi fecisse non intelligitur [68]. Quid quòd ante illum diem nec scelus ullum, nec ullum delictum unquam admiserat? an est quamobrem eum optimum antea & constantiâ præstantissimum virum, repentè desuevisse, atque in pessimum se vertisse credamus? *Omnibus in rebus, quæ graviores, majorésque sunt*, inquit Cicero [69], *quid quisque voluerit, cogitârit, admiserit, non ex crimine, sed ex moribus ejus, qui arguitur, est ponderandum. neque enim potest quisquam nostrûm subitò fingi, neque cujusquam repentè vita mutari, aut natura converti.* Id quod & Iuris-consulti diligentissimè observârunt. En Modestinum dicentem [70]: *Et is, qui volens transfugere adprehensus est, capite puni-*

65 In *l.* 1. *C. de Desertor. lib.* 12. Adde *cit. l.* 40, *ff. de pœn.* ibi: *DIU dissimulaverit.*

66 Quod requiri diximus *à n.* 51 *ad* 56.

67 In *l.* 8, *ff. si quis caut.* Adde *l.* 2, *in fin. ff. si quis in jus vocat.*

68 *Non intelligitur, fraudem legi fecisse*, inquit Callistratus l. 3, ff. de jur. fisci. *qui rogatus est palàm restituere.* Quid si palã rogatus, & tacitè esset? *Divus Hadrianus rescripsit, in eo, quod cujusque fidei palàm cõmissum est, non esse existimandum, fidem suam in fraudẽ legis accommodasse.* Verba *cit. l.* 3.

69 *Cicer. pro Sylla.*

70 In *l.* 3, §. 11, & 12, *ff. de re milit.*

nitur. sed si ex improviso, dum iter quis facit, capitur ab hostibus, inspecto VITÆ EIVS PRAECEDENTIS ACTV, venia ei dabitur. En Arrium Menandrum: *Non omnes desertores*, inquit ille [71], *similiter puniendi sunt: sed habetur & ordinis, & stipendiorum ratio, & gradus militiæ, vel loci, ac muneris deserti, ET ANTEACTAE VITÆ* [72]. Quid quòd ex eo die semper innocentissimè, semper honestissimè vixit? an putemus, virum singulari prudentiâ, & perpetuâ integritate, id temporis, inconsultò, ac temere; imò etiam dementer, atque libidinosè, constantissimi in rebus optimis, & amantissimi Reip. civis nomen, & gloriam amittere voluisse? Ecquodnam lucrum, & quæstus, sive lucri spes illum accêndit, aut incitavit ad nefas [73]? enim-verò quum Marcianus receptatores pœnâ teneri scribit, nullam âliam rationem apponit, nisi *quia cùm adprehendere latrones possent, pecuniâ acceptâ, vel subreptorum parte, dimiserunt* [74]. Ecquodnam hinc tandem, P. C. ecquòdnam Reipublicæ damnum [75]? nónne tanti erat Petrella, ut sibi cœnam aliunde pararet? Quæ cùm ita sint, P. C. audite Vlpianum [76]: *Si tamen quid vi, aut clàm factum sit, neque ignis usque eò pervenisset, simpli litem æstimandam; SI PERVENISSET, ABSOLVI EVM OPORTERE. Idem ait esse si damni injuriâ actum foret: quoniam nullam inju-*

71 In *l. 5, ff. de re milit.* Adde §. 6, *ibid.*

72 *Perinde ut est opinio de cujusque moribus*, inquit Cicer. pro Cluent. *ita quid ab eo factũ sit, & non factum, existimari potest.*

73 Receptans sine lucro, vel lucri spe, non tenetur, *Gujor. ad Clar. q. 90, n. 9, lit. F.*

74 Verba *l. 1, ff. de recept.*

75 Recipientẽ citra Reipub. damnũ non teneri docet *Foller. in frag. nu. 66.* Adde *tex. in cit. l. 8, ff. si quis caut.* & quæ diximus. *n. 51, ad 56.*

76 In *l. 7, § 4. vers. idem, ff. quod vi, aut clàm.*

riam, *aut DAMNVM dare videtur AEQVE PERITVRIS AEDIBVS*. Verùm quid istud, P.C? video adversarium, tristi supercilio, ægróque animo esse. Audio eum introrsum & sub linguâ immurmurantem, tot me exceptiones in medium attulisse, ut velle videar, receptorum penè neminem posse puniri. Ajo neminẽ prorsus, si ratio, si Leges, receptorem teneri, vel non præcipiant, vel nolint: si verò velint, severissimè agite, urite, secate. nollem, medicinã non esse gratam, probatámque; pluribus etiam suspectam, & invisam. nollem, eam legẽ, quæ salus esse deberet [77], nobis esse perniciem. nollem, ut antea flagitiis, ita nunc Legibus laborari: *exemplo enim grave est*, *sic latrones requirere*, *ut innocentibus periculum fiat* [78], et *nulla juris ratio*, *aut æquitatis benignitas patitur*, *ut quæ salubriter pro utilitate hominum introducuntur*, *ea nos duriore interpretatione*, *contra ipsorum commodum producamus ad severitatem* [79]. Denique, ut, quod res est, liberè, atque ingenuè dicam; *non potestis*, P.C. *hoc facinus improbum judicare*, *quin simul judicetis*, *omnibus*, *qui in latrones inciderint*, *aut illorum telis*, *aut vestris sententiis esse pereundum* [80].

[77] *A majoribus nostris*, inquit Cicero in Vatin. *nulla alia de caussa leges sunt inventæ*, *nisi ut suos cives incolumes conservarent*. Et 1 de L.L. *Ad salutem civium*, *civitatumque incolumitatem*, *vitamque hominũ*, *& quietã*, *& beatam condita sunt leges*.

[78] Verba *l.2*, *C. de his*, *qui latron.*

[79] Verba *l.25*, *ff. de L.L.*

[80] Verba *Ciceron. pro Mil.* Quem Ciceronis locũ (nec est cur dissimulẽ) docuit me D. Hieronymus Lãfranchi, vir eximia profectò eloquẽtia, & Advocatus percelebris.

PRO

PRO LEONARDO PAVLICIO CERTAMEN II

ARGVMENTVM.

Leonardum Paulicium, qui ſuam uxorem occiderat, ipsúmq; de Rubeis lethaliter vulneraverat, amentiâ, non voluntate feciſſe demonſtrat.

DO ad vos, Iudices, è cubili, in cujus anguſtias acerbiſſima me vulnera conjecerũt. ubi atrociſſima dolorum cohors me cruciat, incredibilis conficit inedia, ſitis adurit ferventiſſima. Irruit in me hoc ingẽs malorum examen auctore Leonardo Paulicio, qui, paucos abhinc dies, uxore contrucidatâ, & è cubiculi feneſtrâ in viam projectâ, meæ domus periſtylium irrumpens, ubi cum Torquato Lepido, & Mucio Corvo deambulabam, ſicâ mihi duas, altáſque plagas impoſuit. & ſanè multis, luculentíſque affeciſſet vulneribus: nam punctim, cæ-

símq;me ferro petivit,nî Cœlites implorati,gladii cuſpidẽ,aciémque,aut avertiſſent, aut obtudiſſent. Audio, eum à vobis injectum in carcerẽ, regiũq; patronũ inſtare, ut capite puniatur. Innocens eſt, temperate vos,Iudices,atq; abſtinete à ſupplicio.At quî innocens? an juſto dolore, & Iuliæ Legis auctoritate [1] ,ut per quorundam leviſſimorũ hominũ ora circunferri audio,cõfôdit utrunque?Minime-verò:non enim ego uſq;-adcò levis ſum, ut pudendũ, turpiſſimũq; ſcelus admiſerim,quanquã(nec erã)amoris flãmâ peruſtus. Nôſtis vos omnes pudicitiã, moréſque meos: ſcitis me verecũdè omni tempore, modeſtiſſiméq; verſatum. An illa me deperibat? Meræ, & maximæ nugæ: quid eſurici, & ſalacitati? pannis obſita erat, & maximâ rei familiaris inopiâ ãguſtiſſimè vivebat. Ego quidẽ ſacramẽto dicerẽ,& jusjurandũ veriſſimũ ſanè jurarem, illam,ab hinc triennium, ſummâ egeſtate,ſemper incœnẽ cubitũ iviſſe.Quæ cùm ita ſint, Iudices, haud ſuſpicor,vos hanc ſuſpicionẽ habere:quis enim neſciat,Amori mederi famẽ [2]; ſine Cerere,& Libero Venerẽ frigere [3],mortuámque rem eſſe [4]? *Ventri inani non ineſt formarum amor.Amara his Venus eſt,dira quos premit fames* [5] .*Saturis Venus adeſt, ceterùm infelicibus, miſeríſque nulla adeſt Venus Mortalibus* [6] .Quã rem,Appulejo teſte [7], ipſamet Venus ſic queritur: *Petámne auxilium ab*

ini-

1 L.marito, ff. ad L. Iul.de adulter.

2 Crat. apud Laërt.

3 Terẽt. Eunuch.

4 Ald.in Adag.

5 Athen.lib.6 Dipnoſoph.

6 Idem lib.1 ejuſdem operis.

7 Appul. lib.5 Aſin.aur.

inimicâ meâ sobrietate? Hæc mihi, & multi, & præclari, & certi sũt testes; at verò pro mille, & præclarissimis, certissimísq; ipsa Leonardi uxor. nã, ut ejus ingravescẽtẽ, affectãq; ætatẽ, obscurũ pallorẽ, sũmãq; deformitatẽ reticeã; ejus modestia singularis, apud omnes nota, atq; ab omnibus percelebrata, omnẽ sceleris suspicionem avertit: ut hoc de illâ suspicari, atrocissimã sit illi injuriam inurere. Innocẽs est, Iudices, tẽperate, abstinete vos à supplicio. Innocẽs est: neq; voluit, neq; intellexit, neq; cogitavit quod fecit: Furiosus erat. At video, Iudices, non me inventurum apud vos fidem, quòd ille fuerit non suus; cùm Natura nõ mentis errore affectos, sed sanos homines generet [8]: sed, nisi talem eum fuisse demonstravero, quanvis furor sit probatu difficilis [9]; nolo mihi, in reliquũ tempus, aut divini, aut humani quicquam credatis. Nullo quidẽ in errore versarer, si animum mihi inducam, vos satis supérque habituros [10], me ostendere, illum, antequã hæc ageret, insanũ fuisse, ut iisdem in actibus insania durâsse existimaretur; maximè [11] cùm actus exiguò post gesti fuerint. quãquam nõ desunt, qui [12] asserãt, quòd sive insania proxima fuerit actui, de quo quæritur, sive ab eo remota; semel insanus, in insaniâ continẽter manere existimetur: proximam autem intelligi per annum [13], quin-etiam per triennium [14], ni triennii spatium longiusculum

8 *c. ult. extr. de success. D.D. l. nec Codicillos, C. de Codic. Farin. frag. crim. part. 1, verb. furor. Mascard. conclus.* 814.

9 *D.D. l. furiosũ, C. qui testam. fac. poss. Farin. & Mascard. locis cit.*

10 *Farin. & Mascard ibid.*

11 *Farin. & Mascard. ibid.*

12 Apud *Farin. & Mascard. ibid.*

13 *Alex. cit. l. furiosum, Pacian. de prob. lib.* 1.

14 *Farin. loc. cit.*

lum [15] videatur. vel si dixerim, satis esse, me indicare amentiam ejus præsentem, ut actuum tempore amotâ mente fuisse credatur [16], potissimùm si cetera conveniant [17]. atque hæc adeò vera sunt, ut licèt ostendatur, furorem habere intervalla; tamen qui fecit, furens fecisse intelligatur [18], præsertim si actus est talis, ut potiùs insanam, quàm sanam mentem oboleat [19]. Sed ego, Iudices, ut majorem in modum vobis satisfaciam, néve ad libidinem, & sine ratione propugnationem hanc videar suscepisse; spondeo, me ostensurum, Leonardum primò melancholiâ, deinde maniâ correptum fuisse, atque ante actus, in actibus, & post actus insaniâ laborâsse. Idque conficiam facillimè, si ubi aliqua de melancholiâ, déque maniâ præfatus fuero; ejus verba, atque opera, horum signa morborum, ut brevissimè potero, ordine persequar. De utráque Fernelius sic loquitur [20]: *Melancholia mentis est alienatio, quâ laborantes, vel cogitant, vel loquuntur, vel efficiunt absurda, longéque à ratione, & consilio abhorrentia, eáque omnia cum metu, & mæstitiâ, quæ duo Hippocrates indubitata melãcholiæ signa constituit. Incipientes quidem melancholici, abjecto, demisso, & hebetiore sunt animo, se, suáque negligunt, vitam sibi acerbam putant, & amarissimam, etiam si ex eâ migrare pertimescant. Quum jam malum invaluit, multa animo, & cogitatione fingunt, & oblo-*

15 Tusc. concl. 544
16 Mascard. concl. 1045. Tuscus concl. 559.
17 Farin. loc. cit.
18 Farin. ibid.
19 Farin. & Mascard. ibid.
20 Fernel. de part. morbos. & symptom. lib. 5, c. 2.

obloquuntur aliena perturbaté atque confusè, eáque ferè tristia. alii nec loquendum quidem sibi esse putant, sed omnem vitam in taciturnitate transigendam. Melãcholiæ succedit mania, nobis furor, vel insania dicta, quæ cogitatione, verbo, aut opere, melancholicorũ quidẽ deliramenta imitatur, sed iracundiâ, jurgiis, clamoribus, horrendo aspectu; multo deniq; majore corporis impetu, & mentis perturbatione laborantes exercet, atque impellit, ut quasi feræ, & immanes belluæ, in obvios, dentibus, unguibus, & pugnis, inusitatâ rabie petulanter invadant. Infinitæ sunt melancholicorũ species; qualis nimirum maximè olim fuerit cujusque intenta cogitatio, aut qualis vitæ conditio, talem se se repræsentat melancholica deliratio [21]. *Pro dispositione enim humorum variâ, vitæ, conditionis, et cogitationis varietate, innumera hîc varietas occurrit. Nam quidam risum interdum admiscent; quidã cum irâ aliquâ, et contentione phreneticis adsimilantur; quidam nescio quæ scelera se commisisse imaginantur, atq; hinc supplicii metu, & mortis terrore vexantur. alii se ad inferos damnatos, imò gehennæ flammis cremari cõqueruntur; nonnulli se mori, vel etiam mortuos putant; nonnulli cælum ruiturum metuunt; quidam serpentes, vel ranas in ventre se gestare persuasum habent; nõnulli se in bruta animalia conversos credunt: alii in testam, aut in vitrum mutatos; nonnulli lacrymantur; quidam desperabundi mortem sibi inferunt* [22]. *Hic* [23] *se granum hordei esse arbitratur, timétque ne gal-*

[21] Verba *Fernel. ibid.*

[22] Verba *Sennert. medic. pract. lib. 1, p. 2, c. 8.*

[23] Verba *Beverovic. Idea medicinæ p. 3, lib. 4, c. 2.*

linæ

linæ pabulum fiat: ille montes sibi incubantes sentit, & sub tanto onere dũ gemit, jacet immobilis. Mæstitia[24] *tamen, & timor plerunq; cum hoc delirio conjungitur, aut certè pertinax, & intenta, quasi cum animi angore, de re unâ, sed falsâ, cogitatio.* Planè insanorũ tãta est copia; tã multæ sũt species eorũ, ut multi sint, qui nullo insaniæ peculiari nomine annotẽtur, & nihilominus sĩt insanissimi[25]. Nec loquor de illo furore, qui vix ulli hominũ parcit: *hic enim Deos nõ esse, hic omnia esse Deos, aut nihil voluptate preciosius, aut inulta Numinibus facinora esse sibi effingit. pauci denique Heraleontem* (insanum) *non superant, nisi quòd rectiùs, aut magis ad geniũ vulgi furũt, eo quoque lacrymis digniores, quòd excutere dementiã nolunt*[26] Porrò plures sũt insaniẽdi modi, quàm eorũ nomina[27], & Iuris quoque consultis alia insaniæ species pro aliâ est: Celsus[28] enim furiosi nomine vocat mente-captum inumbratæ quietis, quémque suæ mentis esse existimes. Melancholiam efficit ater, & fæculentus humor, aut vapor in mentis sedem irrepens[29]. nam ut spirituum puritas, & subtilitas animum hilarem atque alacré reddit, ita impuritas mæstum ac tristem[30]. in spiritibus enim vitalibus, & animalibus, præter qualitatũ primarum temperiem, etiam tenuitas, & subtilitas, puritas, & luciditas requiritur, quæ si desit, spiritus non satis aptum animæ instrumentum sunt. atq; hunc puritatis, luciditatis, & subtilitatis

[24] Verba *Sennert. c. cit* Adde *River. prax. medic. lib. 1, c. 14.*

[25] *Bertazzol. cons. 228.*

[26] Verba *Barcl. Argenid.*

[27] *Valles. de sacra Philosophia, c. 80.*

[28] *l. quod meo, §. si furioso, ff. de acquir. possess* Vide *Forcatul. Necyoman. jur. dial. 33. Gædd. de contrah. & cõmitt. stipul. cap. 7, cõcl. 9. Farin. loc. cit.*

[29] *Fernel. ibid.*

[30] *Sennert.* & *River. locc. citt.*

tis

tis defectum in ſpiritibus,atri coloris,& tenebrarum nomine Galenus expreſſit. & quanquam à ſenſibus externis non percipiatur illa tenebricoſitas, tamen cauſſa eſt ut omnia objecta ad modũ vitioſæ diſpoſitionis ſpirituum repræſententur, & vitioſa illa diſpoſitio ſpirituum ſpeciebus imprimatur [31]. Melancholicam hãc diſpoſitionẽ in cerebrũ inducit humor melancholicus in capite cumulatus,quod fit in primis ob intemperiem cerebri frigidam,& ſiccam,aut potiùs ob nativam, aut quocunque modo contractam melancholicam, ideſt minus puram, & lucidam cerebri conſtitutionem. Qui corporis conſtitutione melancholicâ ſunt, faciliùs hoc morbo corripiuntur,ut graciles,nigri,hirſuti,præſertim cum pilis craſſis, & nigris,& qui venas latas habent [32]. In quâcunque corporis conſtitutione melancholiam generant curæ, triſtitia, mæror, luctus, atque animi ſolicitudo diù perſeverans. generant & ſubitus terror,conſternatio,metúſque:nimia animi intentio, & rerum difficilium inveſtigatio: nimii labores,vigiliæ,jejunia [33]. Solet autem melancholiæ ſæpè mania ſuccedere [34]. *Iam verò*, inquit Fernelius [35], *quum atra bilis, vel melancholiæ, vel ſanguinis, vel flavæ bilis exuſtione genita eſt, mania inſilit,& adoritur,quæ proinde ſæpè ſuccedit incaleſcenti melancholiæ. calidus verò hic humor cùm ſit, immania,horrendáque deliramenta concitat.* His,judices,ita

[31] Sennert. ibid.

[32] Sennert. lib. cit. cap. 11.

[33] Sennert. cit. lib. cap. 9. & 11.

[34] Sennert. lib. cit. cap. 15.

[35] Fernel. loc. cit.

præcognitis, Leonardi melancholiam, atque maniam perſpicuè demonſtrabo. Erat is conſtitutione corporis melancholicâ; erat enim facie gracili, fronte rugosâ, oculis confractis, rectis, & obſcuris capillis, ſupercilijs averſis, atque conjunctis, palpebris extenſis, aſperâ arteriâ nimis prominenti, voce debili, atque flexibili [36]. totus erat hirſutus, nigro colore, ac venis ampliſſimis [37]. erat in rebus agendis lētiſſimus, erat anxius, meditabundus, diffidens, ſuſpicax, ingenioſus, in ſilentium cōpoſitus, ſalium, ac familiaritatis oſor, ſolitudinis amans, avarus, & abſurdè omnia etiam tutiſſima timens [38]. erat mēte ſomño non deditâ, ſervabat propoſitum [39], manus ſæpè concutiebat, fricabátque [40]. ut poſſitis, Iudices, demirari omnia melancholicæ cōſtitutionis indicia in eo uno cócurrere, & unà pariter credere eū facillimè melancholico morbo corripi potuiſſe. Quod ad morbi cauſsas attinet, eæ fuere quòd, reflāte fortunâ, nonnullis annis ante, ſumma ejus domum egeſtas irrupit, eúmque, fortunis omnibus ſpoliatum, omnes ærumnæ, atque miſeriæ preſſerunt. ne milium quidem habebat, quo latrantem pacare ſtomachum, & extremam familiæ famem poſſet depellere; neq; enim ullū erat ei vectigal, neque ullā artē didicerat. Circundabāt eum pérque diē, pérque noctem filioli, nudi, atque famelici, ubertim plorantes, & profundentes vim lacrimarum.

Ade-

[36] Quæ omnia ſigna eſſe melācholicæ conſtitutionis, docet *Porta de humana Phyſiogn lib.* 4.

[37] Qua de re *Ariſtot. probl.* 1 *ſect.* 30. ibique *Septal. Sennert. cit. c.* 11.

[38] Quæ omnia eſſe ſigna ejuſdē melancholicæ conſtitutionis docet *Paſtor. Aulico inculpato cap.* 10. §. 7.

[39] Quæ duo eſſe ejuſdem cōſtitutionis indicia aſſerit *Scola Salernit. lib. de cōſerv. bona valetud. cap.* 91.

[40] Ejuſdem conſtitutionis indicia apud *Portam loc. cit.*

Aderat insuper in cõspectu tristissima conjux, rebus adversis oppressa, afflicta luctu, atque mærore. Inter hæc mala, ceteráque infortunia, illud potissimùm eum excruciabat, quòd non modò nullus adesset, qui eversum erigeret, perditúmque recrearet, qui afflicto, & jacenti dexteram porrigeret, sed quòd etiam despicatui duceretur. nimirum hoc habet infelix paupertas in se, quod fratres hominis pauperis oderunt eum, & amici recesserunt ab eo [41]: illúdque durissimum, quod ridiculos etiam homines facit [42]. Ecquem, licèt magnâ constantiâ hominẽ, tot, eædẽq; tantæ miseriæ, atque calamitates non cruciâssent, solicitúmque habuissent? planè tolerare inopiam res ardua, & onus illius longè omnium gravissimum. *Pecuniæ sunt sanguis, & vita mortalibus. quisquis eis destituitur, ille inter vivos mortuus stabulat* [43]. Impar Leonardus tantis ærumnis, eas, nullo puncto temporis intermisso, dolebat; sed casus erepti, paucis ab hinc mensibus, filij, quem in oculis ferebat, eximiæ, & virtutis, & prudentiæ laudibus præstãtem, ita eum perculit, & afflixit, ut ad leniendum mitigandúmque dolorem nihil ei omnino sufficeret. Adolescente melancholiâ, his curis & angoribus oppressum atque circunventum, cœperunt, non secus atque nymphææ semen, & affatim vorâsset, tumultuosa insomnia terrere. querebatur sæpissimè se quotquot noctibus per somnia vide-

[41] *Salomon prov.*

[42] *Iuuenal. Satyr. 3.*

[43] *Aristoph. in Plut.*

re larvas horrendas atque fœdiſſimas: ſomniare caligines,fumos,tenebras, oberrationes per loca inacceſſa,horribilia,atque inhumana: ſomniare funera,ſupplicia,triſtiáque cuncta. interdum inter dormiendum mæſtiſſimas voces mittebat, & plerunque,ſubito terrore expergefactus,illi ſimilis erat,quem caſus vicini fulminis, & ſonitus tonitrûum ſtupefaciunt. Adulto jam morbo,in ſordibus,lamentis,luctúque jacere: è cubiculo pedē non efferre: omnes ſibi infenſos autumare, & non minus orationis, quàm rationis expers, ſexcenties interrogatus ne ſemel quidem reſpondere.modò curſum aggrediebatur: modò ijſdem in veſtigijs hærebat cogitabundus, tanquam quodā receſſu mentis,atque animi facto à corpore. facies illi repente livida, & veluti umbris mæſtificata larvalibus:oculi cavi, fœdíque, multæ, perpetuæque vigiliæ;crebra,& vehementiùs acta ſuſpiria. inediæ tolerantia tam pertinax, ut fame mori mallet,quàm comedere,& vivere. inſimulare fortunam: inſimulare ſe ipſum: aſſiduas in lacrimas ſolvi:ſe brevi tempore poſt periturum,inhumandúmque lamentari, atque in hâc cogitatione pertinaciſſimè hærere. erat præterea uſque-adeò ſuſpicioſus, ut ſibi imminere quæcunque æquor, tellúſque habent pericula ex animo crederet. denique,intempeſtâ nocte, nudus ad B.Laurentij ſe ſe contulit curſu acerrimo, ac ſtatim

tim atque in ſacram illam ædem aditus patuit, penſilis ibi lychni(res, hercule, quæ riſum lugentibus evocaret) oleum uno ſpiritu epotavit. rogatus à multis, præſertim à me, qui, ut illum domum reducerem, eò iveram, quæ tam moleſta ad hæc facta ipſum coëgiſſent, reſpondit (audite, judices, hoc etiam ridendum deliramentum) clypeatam, nudóque gladio inſtructam uxorem aſtitiſſe minitabundam, pérque longiſſimam arundinem ipſi lethale venenum dare potui omni ope contendiſſe. Inter hæc illi occurrit Ferdinandus veſter Collega, à quo ut uxor ſupplicio addiceretur efflagitabat, ſed hic amentiam miſeratus, inſanam ejus expoſtulationem deſpexit. Fama erat inter ejus domeſticos atque propinquos eum ex poteſtate exiviſſe; ex iſtis autẽ delirantibus factis vires acquirens, totâ mox civitate magna percrebuit. Reductus eſt domum, ſúntque Medici convocati. ut illos in cubiculũ ingredientes aſpexit, demiſsâ voce. *Heu, heu, homines*, inquit, *moleſtos, & odioſos! ecquid mihi cũ iſtis carnificibus? haud dubiè venerũt venenũ aliquod mihi mortiferũ propinaturi, ſuámque crudeliſsimã in me miſerum carnificinam exercituri.* Subridẽtibus illis (neq; enim adeò ſubmiſsè locutus eſt ut non fuerit auditus) de morbo rogantibus, eíque ſalutem cumulatiſſimè pollicentibus, avertebat ſe ſe, ſibilóſque mittebat. cúmque nihil ex eo ad rẽ eruere poſsẽt, de morbi

cauſ-

caussis, & signis, quæ nos recensuimus, à domesticis edocti fuere. Acceptâ rei cognitione, conjunctis sententijs affirmaverunt eum melancholiâ occupatum, atque in maximo esse periculo ne maniâ corriperetur. Nonnulla ei medicamenta fecerunt, sed suspicor (id quod in gravioribus morbis facere coguntur [44]) eos curationem periculosam, atque ancipitem adhibuisse, & iccirco humorem illum melancholicum, suapte naturâ refractarium, fortioribus pharmacis exasperatum, majore cum impetu insurrexisse [45]: etenim parvo post cœpit limis, immotísque oculis, acriter, atque inimico vultu contueri, factúsque Thraciâ hirundine loquacior, cœpit absurda multa, eáque non pavidè, sed audacter, & per vehementem, atque acerbissimam iracundiam facere [46]: ídque temporis vxorem occîdit, & me vulneravit. Hæc omnia, judices, signa esse furoris nemo Medicorum [47], sanus nemo negabit. videamus an Iuris quoque cõsulti habuerint notitiam aliquam eorum. porrò habuerunt ejus, qui levissimè suspicatur [48], qui sinè causâ nudus viam graditur [49], qui timenda non timet, & contra [50], qui ad rogatum aut non respondet [51], aut sibilat [52], præcipuè verò si cetera insaniæ signa conveniunt [53]. habuerunt & ejus, qui insanus existimatur à propinquis, à necessarijs, à medico [54], ejúsque qui loquitur deliramenta

[44] Cicer. offic. 1.

[45] Qua de re Sennert. cit. lib. 1. p. 1. c. 12.

[46] Instãtis maniæ indicia. Sẽnert. lib & part. citt. cap. 15.

[47] Hippocrat. 6. Aphor. 23. ibique Holler. Fernel. loc. cit. Sennert. cit. p. 1. c. 12 p. 2. cap. 3. 8. 9 & 15. River prax. medic. c. 13. & 14. Ionston Idea medic. lib. 8. c 4. & 5 Adde Majol. dier. canic. p. 2. colloq. 4.

[48] Menoch præs. 45. lib 6.

[49] Bald & Angel. l si cum dotem, § si maritus, ff. sol matrim.

[50] Farin. loc cit.

[51] Marant l. is potest ff de acqu. hæred. Mascardus concl. 826.

[52] Mascardus, & Menoch. locc. citt.

[53] Mascard ibid.

[54] Farin. & Menoch. locc. citt.

ta [55]. Egimus, judices, de Leonardi dementiâ ante actus, nunc jam ejus in actibus ipsis insaniam videamus. Enim-verò, me judice, sola uxoris illa, sinè ratione, contrucidatio facit eum insaniæ manifestum. etenim *summa* [56] *injuria est vitæ sociam, & in rebus necessariis antea tibi conjunctam ignominiâ afficere: ideò hujusmodi virum, si quidem vir appellãdus est potiùs, quàm fera, & patricidæ, & matricidæ similem esse dixeris: nam si patrem, & matrem uxoris gratiâ relinquere præcipimur, non ut injuriam eis inferamus, sed ut divinam legem impleamus, & ipsis parentibus tam gratum hoc est, ut relicti gratiam habeant, & id multo studio exequãtur: quonam pacto nõ ultimæ dementiæ est eã contumeliâ afficere, propter quã parẽtes Deus dimittẽdos præcepit? nònne HOC TANTVM INSANIA?* Nefarium profectò scelus est uxoricidium, & Prisci [57] eos, qui in uxorem violentas manus intulissent, ac si Deorum templa violâssent, impios, consceleratósque duxerunt; nuptialíque Iunoni sacra quum facerent, è victimâ fel exemptum post aram terrâ obruebant, ut ostẽderent bilem atque iram abesse à conjugio debere [58]. Illud in Barbaris reprehenditur ab Aristotele [59], quod feminas, & servos pari habeant gradu, & miseris æquè modis accipiant: Romanúsque Hierarcha [60] tyrannum vocat, qui uxorem pravè tractaverit. sed hæc omnia, judices, ita se habere arbitror quum vir levi de caufsâ in uxorem

55 *Mascard. ibid.* Oratio vultus animi est. *Senec. epist.* 115. Illo sano, ac valente, oratio quoque robusta, fortis, virilis est: si ille procubuit, & cetera sequuntur ruinam, *Senec. epist.* 114.

56 *B. Chrysosthom. prior. Paul. ad Corinth. epist.*

57 *Alex ab Alex. dier. gen. lib.* 4. *cap* 8.

58 *Rodig. lib.* 18 *c.* 18 *& Plutarch. precept. connub.*

59 *Arist.* 1. *polit.* 1.

60 *c.* 1. *extr. de his, qua vi, metusve caus.*

rem

rē invadit; ceterùm ſi nullâ ratione irruat in illā, inſanū eū eſſe omnino crediderim, maximè ſi alia furoris argumenta conveniunt. Huc me Maſcardus [61] adegit ſcribens furioſum eſſe qui liberos amore non complectitur, cùm naturalis ad illum ſtimulus impellat [62]: atquî ſtudio haud inferiore proſequenda eſt uxor, cùm conjuges ſint duo in carne unâ [63]; imò *viri debent diligere uxores ſuas ut corpora ſua; nemo enim unquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit, & fovet eam* [64]. Atque hinc deridiculi mihi videntur qui dicunt amorem erga liberos à naturali jure deſcendere, non item erga uxorem. *Præeſſe maritum*, inquit Plutarchus [65], *uxori par eſt, non ut dominum pecoribus, ſed ut animam corpori, conſpiratione quâdam NATVRALI per benevolentiam cum ipſo conjunctam*. ſcribítque Ægidius [66], non improbè tantùm, ſed & contra naturam ipſam peccare qui mulieres ſeveriùs accipiunt. Adegit quoque me Bartolus [67], cujus verba ſunt hæc. *Sed an actus de quo agitur, in quiete, vel ſanitate factus fuerit, in dubio ipſe actus oſtendit; quid enim ſi MATREM, vel FILIVM, vel CONIVNCTVM percuſſerit? certè ipſe actus oſtendit eum in perfectâ quiete non eſſe.* Tandem adegit & Cicero [68] dicens, *Nec propter metum præſidium reliquit (quod eſt ignaviæ) nec propter avaritiam depoſitum non reddidit (quod eſt injuſtitiæ) nec propter temeritatem malè rem geſsit (quod eſt STVLTITIÆ)* Præterea

ſi

61 *Maſcard concl.* 826. Adde *Farin. loc. cit.*

62 *l. amiciſſimos, §. Lucius. ff de excuſ. tut.*

63 *Geneſ.* 2. & *Marc.* 10.

64 *Epheſ.* 5.

65 *Plutarch.*

66 *Aegid. lib.* 2. *de regim. princ. c.* 15.

67 *Bart. tract. de teſt.*

68 *Cicero.*

ſi furoris ſignum eſt quum quis in faciem alterius deditâ operâ exſpuit [69], quid quũ ſinè cauſsâ uxorem interficit? Sed quæſo vos, Iudices, dicite quamobrem Leonardus interfectam uxorem è feneſtrâ publicam in viam projecit? an ut facinus eſſet latentius, liberiúſque ab arbitris? nónne videtis id ex impotentis animi ſubito impetu, & ſtrenuiſſimâ ferociâ fuiſſe? cur nudus erat quum hæc patravit? num ad occidendam uxorem erat quamobrem ſe ſe ipſe ſpoliaret? nónne nudus id temporis in lecto cubabat? ita ſanè: at cur interdiù? an quòd ſanus eſſet? ego verò, Iudices, totum id in inſaniam optimo jure tranſtulerim. Quid quod me ex animo amicum, me nemini unquam neque moleſtum, neque gravem, ſed mitiſſimo ingenio, me in ipſum maximoperè beneficum, & liberalem duobus affecit vulneribus? an hoc operatus eſt ut mihi beneficiorum gratiam referret? *nimirum inſani nullum diſcrimen inter honeſtum, & malum, amicum, & inimicum agnoſcunt* [70]. profectò ſi ceteri omnes in meam perniciem arma corripuiſſent, adeſſe illum mihi periclitanti oportebat. Quid quòd ferox, pernicioſus, & circa omnes terribilis, non modò me, verùm-etiam Antonium Mazzettum, ceteróſque tunc obvios vulneravit? nónne igitur de mente exiverat [71]? *Qui effrænati feruntur, aut libidine, aut iracundiâ,* inquit Cicero [72], *exîſſe ex poteſtate dicúntur, quia non ſunt in poteſtate*

[69] *Marant. l. is poteſt. ff de acquirenda hæredit. Maſcard. concl.* 826.

[70] Verba *Sennert. cit. cap.* 15.

[71] *l. ſi cùm dotem, §. ſin autem, ff ſol. matr. Farin. & Fernel. locc. citt. Sennert. cit. c.* 15.

[72] *Cicer. Tuſc.* 3.

mentis, cui regnum totius animi à naturâ tributum est. Porrò effrænatissimus erat,& nō aliter atq; Cleomenes, qui à Lacedæmoniis, quibus imperabat, dejectus,& deinde in pristinam dignitatem restitutus,adeò insanivit, ut cuique obvio sceptrum in faciē impingeret:quúmque à propinquis eâ de re in custodiā traderetur, desmophylacis gladio se se ipse occîdit. Denique, Iudices,si Leonardi hæc facientis audaciam (insigne furoris indicium [73])cogitatò,& prudenter examinabitis,ejus furoris opinionem,& vehementem, & firmam in animo concipietis.Nónne projectæ fuit audaciæ in his ædibus hæc patrare, è fenestrâ uxorem projicere,méque in perystilio sauciare multis se se offerendo periculis? Nónne fuit procacitatis effrænatissimæ non per viam sinistimam, quæ incelebris erat,sed per dextimam frequentissimam, pérque medios omnes, qui illò concurrerant trāsilire,virúmque armis paratū, potentémque ferro acerrimè decertare, Mazzettum videlicet, à fronte adoriri? Quæ cùm ita sint,Iudices,nullum mihi negotium facessit quod homo quispiam dicit non insani,sed prudentis,consultíque hominis esse,admisso crimine,ad asylum confugere, Leonardum verò à flagitijs ad sacram ædem se se recepisse; etenim palàm est esse quosdam sano ad omnia ingenio prærterquā ad aliquod unū [74]..... *Haud ignobilis Argis, Qui se credebat miros audire*

73 *Mascard. concl.* 826. *Aristot. & Septal. problem. cit. Fernel. loc. cit. Sennert. cit. c.* 15.

74 *Tusc. conclus.* 539. *Farin. loc. citato, Menoch. præs.*8. *lib.*4. & *præs.* 45. *lib.*2. *Vives* 2. *de anima, Beverovic. loc. cit. Sennert. cit. c.*8.

tra-

tragœdos, In vacuo lætus sessor, plausórque theatro: Cætera qui vitæ servaret munia [75] ..... Déq; insano Heraleonte Meleander cum Archombroto in hunc modum colloquitur [76]. *Quòd magis hunc mirere, Archombrote, cætera ad hunc modum non desipit: rem familiarem sobriè curat, negotiorum meminit, in agendo, in colloquendo non ineptus, nisi ad Poliarchum sermo flectat; tunc, quasi æstro perculsum, amentia sua rapit, se Poliarchum vocari, laudes, quæ illi nomini dantur, suas esse, & in alium iniquissimâ ratione transferri.* Sed quò videamus an etiam aufugere sciant, & pericula declinare, audiamus eundem Meleandrum Heraleonti, tanquam si esset Poliarchus, loquentem [77]. *Dic verò, Poliarche, quæ te res adegit ad fugam? at Heraleon. Quid te autem Rex ut fugere me cogeres? ex notis, ignotísque nemo fuit qui consilium latendi non laudaret. sub hâc veste, quam squalidam mihi imposui, credidi fugam bene texisse. ô ut nunquam fuissem Poliarchus!* Quid quod insani persapientibus etiam prudentiâ quandoque, & consilio antecellunt [78]? nónne acutissimè insanus ille arbitratus est controversiam, quũ cauponi pretiũ abs quodam petenti quòd panem veluti suaviùs comedisset ad culinæ suæ nidorem, statuit æris signati sono solvendum? planè quæstionem istam, ne Cato quidem, Hostiensi teste [79], aut ingeniosiùs, aut justiùs decidisset. Sed ne videar latiùs vagari, pergo, Iudices, ad furoris argumenta

[75] *Horat.* 2. 2.

[76] *Apud Barcl. Argen.*

[77] Apud *Barcl. ibid.*

[78] *Arist. probl. cit. ibique Septal. Huart. scrutin. ingen. c.* 7.

[79] *Host. c. ad nostr. de consuet.*

post actus. Eorum, quæ hactenus dixi, spectator ego fui, & vera esse sacramento confirmo. Iam nunc loquar ex ore aliorum, & si vera sunt quæ subjicio, non dubito quin illum, non modò insanum, sed etiam insanissimum judicetis. Primâ, summáque luce post actus, in delubro, ad quod perfugerat, Sacramentum Communionis obivit. Bene quidē, ne dixerim malè; Navarrus [80] enim, quanvis Diana [81] dissentiat, docet mortiferum scelus in se concipere, qui mysticam cœnam participat ante integrum diem post capitale peccatum admissum, tametsi animi noxas confessione absterserit. Vt ut lethali crimine se non astrīngat, veniali saltem se alligare prorsus existimo. & licèt Sancius [82] in adversâ opinione sit, tamen admodum eleganter, & scitè in eum insurgit Ioannes de Lugo [83]. Sed bene, an malè, ipse tempore viderit; profectò sinè piaculo fecit, nam insaniâ, non improbitate participavit. Id verò amentem eum ostendit, quòd, exiguo post, Theodoro Cervono, & Francisco Scillo dixerit, atque per Dei nomen exjuraverit, Mystagogū prophanam ipsi dapem pro sacrosanctâ exhibuisse; addiderítque. *Isti Presbyteri aliena cogitant, & amentissimè agunt: putant me decipere, & nesciunt astu pariter, atque sapientiâ eos à me longissimè superari.* Est ne, judices, amens, an non [84]? De templo ejectus, nudo capite, nudísque pedibus, pérque portū, pérque itinera

[80] Navar. de pœnit. dist. 6. c. 1.

[81] Dian. p. 3. tr. 4. resol. 30.

[82] Sanc. sel. disp. 23.

[83] Ioann. de Lugo de Eucharist. disp. 5. sect. 1.

[84] Amentiæ indicium deridenda loqui l. 4. ff. de ædil. edict.

ra volitare: incredibiles clamores efferre [85]: lapidésque per compita jaculari [86]. In arcis fossas præcipitem se se dedit [87],& quãvis altissimè ruerit,nihil tamẽ est comminutus:ut hoc etiam evẽtu sit comprobatum, insanis iuxta atque infantibus, Deum peculiariter aspirare.Non longo post intervallo, præ meis ædibus transiens(id ad ejus audaciam referatis)in nosocomium insanabilium perrexit (Quàm sanus fuisset,si illic amẽtium domitori,fustibus,& flagellis curãdum se se sponte dedisset! sed dabitis certè vos) illinc egressus,ab sene quodam interfectæ uxoris patruo,solo,inermi,& perimbecillo,fortis,durus,& strenuus,nihil tamen obsistens, ad Balthasarem vestrum collegam pertrahitur.Longè aliter sanè quàm sapiens Alcibiades ; hic enim quum è Sicilià ad judicium capitale ab Atheniensibus vocaretur, abditè latuit,dicens stultum esse reum, qui,licèt injustè accusatus sit, non fugiat quum possit fugere: & cuidam interroganti cur judicio patriæ diffideret:*Imò & matris*, inquit; *fieri enim potest ut errore inducta,nigrum calculum pro albo inferat* [88].A Balthasare interrogatus,ultro, & repente quæ gesserat cõfessus,professúsq; est.interrogatus de caussâ,respondit nullam habuisse. rursum interrogatus an aliquâ de re suam habuisset suspectam cõjugem, inficiale responsum reddidit . éstne insanus,an non?expectatísne,Iudices,an omnes furo-

ris

[85] Aliud insaniæ argumentum, *Mascard.concl.* 816.

[86] Et aliud, *Menoch. cit. præs.* 45.

[87] Et aliud *Sennert. loc. cit.*

[88] *Plutarch. in Alcib. Gothofred. ad l. properandum,C.de judic.*

ris notæ conveniant? at conveniunt ferè omnes. Quod ſponte facinora confeſſus, profeſſúſque ſit, cauſſámque eorum non dixerit, adeò me movet, ut non incertam, dubiámque, ſed exploratam, cõpertámque habeam ejus amentiam [89]. Quanvis enim Leges [90] voluerint mitiùs agendum cũ eo, qui crimen voluntate ſuâ confiteretur, quàm qui negans convinceretur: & Athenienſium quoque Legibus [91], ex quibus, tanquã optimis, maxima pars noſtrarum deprompta eſt [92], ſancitum eſſet, ut accuſatus, qui voluntariè confiteretur admiſſum crimen, inultus, impunitúſque dimitteretur: narrétque Plutarchus [93] Andocidem, qui Mercurii ſtatuam perfregerat, ejus Legis perfugio liberatum fuiſſe: ſcripſerit item Arrianus [94] erroris confeſſionem apud Alexandrum plurimùm valuiſſe, neque aliud quicquam ad impetrandam veniam hoc vno apud eum fuiſſe efficacius; hæc tamen locum habere videntur quum reus voluntate ſuâ ad judicium ſe ſiſtit, & ultro facinus confitetur: tunc enim libenter accederem Becio [95] dicenti non modò reum leviùs puniendum, quinetiam credendum eum ſinè dolo deliquiſſe; ſecus autem ſi jam erat ad judicium arceſſitus [96]. tota enim ratio, propter quam ſuâ ſponte confitens mitiùs multatur, eſt ex ejus verecundiâ, & pœnitentiâ. etenim delicti confeſſio, & venia petita, ad mitigandam, placandámque iram ejus in quem pecca-

89 *Merend. conſil. crim. 91. Paſcal. de vir. pat. poteſt. c. 1. Danæa de pugna D.D. tom. 3. de confeſſ.*

90 *c. nõ dicatis 12. q. 1. l. 1. C. ne tut vel curat. l. edicto, ff de jur. fiſc. l. 3. §. ult. ff. de alien. judic. mut. cauſ. auth. novo jure, C. de pan. judic. qui male jud. Vide Tiraq. de pœn. tẽper. cauſ. 30. Farinac. q. 81. Clar. quaſt. 60. Carpz. q. 149.*

91 *Alex. ab Alex. dier. gen. lib. 3.*

92 *l. 2. §. 4. de orig. jur. Liv. dec. 1. lib. 1.*

93 *Plutarch. in Alcib.*

94 *Arrian. de reb. geſt. ab Alexãd. lib. 6.*

95 *Bec. cõſ 96. Adde Farin. quaſt. 116.*

96 *Farin. cit. q. 81. n. 177. Carpz. q. cit.*

peccavimus,magnum habent momentum, Leges autem naturã hominũ ſunt quodãmodò imitatæ. Certè ipſa pœnæ,& ſupplicii petitio, deprecatio cenſetur artificioſa [97].ſic milites,qui à Germanico defecerant,ſunt veniam conſecuti [98]: Davúſque ille Terentianus ſe crucem meritum ultro confeſſus eſt, quò ſe à Pamphili verberibus liberaret.Summa,hercule, medicina peccati eſt peccatum ultro fateri ſuum,& ejuſdem pœnitentiam præ ſe ferre [99]; nam qui injuriam accipit,illam haud dubiè leniùs perfert,ſi eum, qui intulit, & voluntariè fateri ſe deliquiſſe,& injuriæ pœnitere animadvertat:& qui alterum offẽdit,ſi factum ſibi dolere doceat,ſpem bonam ceteris præſtat ſe poſthàc nihil tale admiſſurum.*Proximum* infit Seneca [100], *ad innocentiam tenet locum verecundia, & peccati confeſsio.*Ceterùm,Iudices, cùm hæc ab aulâ receſſerint [101], maximè in majoribus maleficiis,& quando reus ab judice prehenſus, vel citatus fatetur; Leonardus verò, cùm neque ſupplex fuerit, neque veniam petierit, nec indoluerit,nec verecundiâ ſuffuſus fuerit,ſed petulantiâ, atque procacitate facinora profeſſus ſit, inſaniſſimorum inſaniſſimus cenſendus eſt; talis enim eſt qui quum bonum poſſit,deligit malum [102]. *Sapiens*,inquit Cicero [103], *bona deligit, & rejicit contraria.* at nónne malum Leonardus delegit cùm uxoricidii nullo teſte oculato cõvinceretur? Vos,

Iu-

97 Palat. Reg. Eloquent. exercit. 10. punct. 8.

98 Tacit.

99 Arrian. loc. cit.

100 Senec.

101 Clar. & Farin. q q cit.

102 §. ſed erit Inſt. quod cum eo.gl. in l.quidam, ff. de in rem verſo. l.1. C.com. de legat. Maſcard. concl. 816.

103 Cicero de l l.

Iudices, quotidianò videtis innumera, atque exquiſitiſſima, ad veritatem extorquendam, tormẽtorum genera ab reis contemni, obſtinato, obfirmatóque animo, vilipendi, atque deſpici. Sive remiſſiùs, ſive duriùs, intentiúſque tormenta adhibeatis, ſive ſenſim, & gradatim, ſive iterum preſſiùs, atque iterum duriùs cruciatum intendatis, pro qualitate criminis, ejúſque ſuſpicionibus: Muti ſunt rei. Torqueant alii, nunc igne, nunc glacie, modò ardenti pice, modò cadenti aquâ, modò ferventi oleo in guttur infuſo: alii fune, alii virgis, alii eculeo, alii funiculis digitos, aut teſtes arctiſſimè conſtringentibus, alii arundine inter carnem, & ungulas immiſsâ, alii fame graviſſimâ, alii edulio ſiticuloſo, & permulto ſale cõſperſo, nullóque potu ad immodicam ſitim elevandam exhibito: Muti ſunt rei. Alii per aures ſpiritum arundine (immaniſſimum ſanè cruciatum) in viſcera adigant: alii crabrones, ſimiliáque ſectilia ſedi, aut umbilico viva adhibeant, vitreis impoſitis, ne evadendi pateat locus, ſed quò cruciatum acriùs urgeant: Muti ſunt rei. Illigẽt reos alij ſcamno, mox diligenter eorum pedes muriâ madefaciant, inde capram ad eligenda illorum veſtigia admoveant: alii reorum in nares aquam cum calce vivâ immittant, ore illorum occluſo: alii reos penſiles faciant, brachijs in diverſum protenſis, illorúmque axillis ardẽtes ſup-

ponant

ponant funiculos, aut eorum è pedibus ingentia ſaxa ſuſpendant:alii reorum pedes multo adipe inungant, eóſque ad ignem apponant: alii per prunas,alii per vepres, ceteráque ſummè pungẽtia eos nudatis pedibus incedere compellãt:Muti,Muti ſunt rei. Vtquîd igitur Leonardus ceterorum hominum more non egit, niſi quòd læsâ, quòd perturbatâ, quòd cæcâ eſſet mẽte? Vtquîd quod ceteri tot inter tormenta, cruciatus tot inter inficiantur,ipſe,ne paululùm quidem exterritus,profeſſus eſt, niſi quòd mente non conſtaret, quòd ſupra inſaniſſimos inſaniret? *Ex quo homines geniti fuere*,inquit Demoſthenes [104], *& judicia conſtituta, nemo qui ſe deliquiſſe fateatur, repertus fuit, ſed impudenter loquuntur, inficiantur, excuſationes prætendunt, omnia faciũt ne dent pœnas*.inſaníque agnomentum Apollodoro fuiſſe inditum ſcribit Plato [105],quòd honori ſuo (inſtar Leonardi)detraheret.Porrò *fatuus eſt,qui id quod in communibus hominum ſenſibus, atque in ipsâ naturâ poſitum, atque infixum eſt non videt* [106]. An dicemus eum religioni habuiſſe apud Iudicem mentiri,& tanquam horrendũ ſcelus id fuiſſe deteſtatũ? Singularis enimverò prudentiæ,integerrimæque vitæ hominem! uxoricidio,quod tam nefarium crimen eſt,Deum lædere ei religio non fuit (loquor ſi ſanus fuiſſet) à verbis autem ambiguis, à fraudando Iudice abhorruerit? Sanè nihil peccâſſet: quanvis enim

104 *Demoſt.Orat.de ment. legat.*

105 *Plat. Sympoſ.* Adde *Tiraq ad Alex ab Alex. dier.gen. lib. 1.*

106 Verba *Cic. pro Cluent.*

F poſt

post semiplenam flagitii probationem, possit de illo reus ab Iudice interrogari, ipsúmque oporteat fateri, ne se se culpâ contaminet, oportet tamen ut sciat se jure interrogari; proptereáque illi testimonia edenda sunt [107]; alioquin existimationis jacturã facere nullâ lege tenetur [108]. imò laudabilis est Sancii [109] sententia, reum videlicet, quanvis jure interrogatum, non teneri, donec probatum plenè sit, suũ prodere crimẽ, ob quod, aut mortis, aut insignis ignominiæ pœnam subiret. nec Iudicis præceptum de veritate dicendâ eum alligat, cùm nec quempiam alligare possit ad testimonium dicendum in parentes, consanguineos, affines [110]. & absurdum non est ut Iudex justè scitetur, & reus justè perneget; nam justè reus ab Iudice truditur in carcerem; justè servus detinetur à domino, & tamen uterque justè aufugere potest [111]. Plenè quidem, Iudices, Leonardi furorem ostendi, nisi fortè quis dixerit me argumentis tantummodò, & conjectionibus vobiscũ egisse. at hæc sufficere, ni cavillosus sit, hercle, nemo negabit; cùm enim furor in intelligentiâ consistat, & sensu percipi nequeat, directò probari nõ potest, sed satis erunt ejus indicia [112]. & licèt ex verbis egregiè cordatus quis videatur; tamen si facta ipsum ostendunt insanum, insanus erit habendus [113]. Dicet etiam alius à me uno hæc dici: at meminisse oportet me non scribere ad Iudices,

qui

[107] Aldr. de relig. discipl. lib. 2. c. 4.

[108] Dian. p. 3. tr. 5. resol. 91.

[109] Sanc. disp. 43.

[110] l. 4. ff. de test.

[111] Dian. p. 2. tr. 15. resol. 27.

[112] Mascard. concl. 824.

[113] l. is, qui, §. Divus ff de tut. & curat. Mascard. loc. cit.

qui alterum illum terrarum orbem inhabitent. ſcribo ad præſentes,& Leonardo audacior, atque inſanior eſſem,ſi figmenta in re tam ſeriâ comminiſci, vobíſque perſuadere conniterer. exiguo enim-verò,Iudices,perbrevíque tempore ſexcẽti hâc de re poſſunt interrogari teſtes: & ego quidem indubitanter exiſtimo à vobis interrogandos;probè enim nôſtis quantum Legum-ſcriptores innocentiæ ſtuduerint [114]: útque id faciatis oro,obſecro vos,& per fortunas, per veſtra capita,pérque Deum obteſtor.quanvis enim,ex Clari ſententiâ [115], judiciorum mores adimant Iudici neceſſitatem inquirendæ per ſe veritatis pro reo præſente, tamen plurimi [116] ab eo longè diſſentiunt. ſi enim debet Iudex inter cognoſcendum, ea,quæ dicto, quæſitóve opus eſt dicere, & quærere,etiam ſi cujus ea dici, quæríque intereſt, neque dicat,neque poſtulet [117];quos mihi mores, & per injuriam,Clarus obtrudit?contráne innocentiam, contráne veritatem introducatur (improba ſanè, atque iniquiſſima) conſuetudo? *Conſuetudinis,uſúſque longævi,non vilis,fateor,auctoritas eſt;verúm non uſque-adeò ſui valitura momento,ut aut rationem vincat, aut legem* [118]. An nos inter Athenienſes verſamur,quibus fato datum erat, ut abuſi ingenio,ſi quid publico conſilio decernendũ foret, in deteriorẽ partem plerunque ſtatuerent, ſempérque,quod in diſcrimen adduceret, conſilium ſe-

114 Qua de re *Maſcard. cõcl.905. Matth.de crim. tit. 15.c.7.*

115 *Clar. q. 61.*

116 *Surd. conſ 118.* Adde *Guazz. def.28. c.2.*

117 *l. ſi non defendãtur, ff.de pœnis,l.1.§ ſi quis ultro, ff.de quæſtion auth. qui ſemel, C.quom. & quando judex,l.vnic.C.ut quæ deſunt Advoc. Zypaus de Iudic.c 7 n.18. Caball.de omni genere homicidii n.634. Carpzov. pract.crimin. q.141.*

118 *l. 2. C. quæ ſit long conſ.*quanvis longiſſima ſit, *Hunn. Encyclop p.1.tit.4. c. 2.*

sequerentur [119]? Sumus hâc in præclarissimâ, optiméque moratâ civitate Neapoli, ubi veri juris, germanæque justitiæ, non umbrâ, & imagine utimur, sed solidam ejus, & expressam effigiem tenemus. Sumus in Magnâ Curiâ, tribunali amplissimo, atque admirabili, ubi quotquot fuere, quotquot estis Iudices, tot fuere, tot estis (nec adulatoriè loquor) & juris, & sapientiæ Antistites. Lex vestra veritas [120], *quâ amissâ, fieri non potest quin simul amittantur bona universa, & in quæcunque vitia incidamus* [121]. *Homini est propria veri inquisitio, atque investigatio* [122]. estque veritas adeò copulata justitiæ, ut illius vocabulo ista exprimatur. unde, apud Iurisconsultos [123], ea phrasis; *VERIVS puto, IVSTIVS, & ÆQVIVS* significat. *Nullæ res inter se tã amicæ, & cõcordes sunt, quã virtus, & veritas. nẽpe germanæ à Deo genitæ, & humanis mentibus sicut utilissimæ, ita etiam integris jucundissimæ* [124]. *Non aliam*, inquit Augustinus [125], *putes esse sapientiam, nisi veritatẽ; nullus de illâ judicat, nullus sinè illâ bene judicat*. Vt ut autem, Iudices, liceat ex moribus veritatem non quærere; vos jurati estis Iudices, ut majore cum religione, & diligentiâ statuatis, & *quid deceat vos, non quantum liceat vobis spectare debetis* [126]. Ergo igitur hoc verum quærite, Iudices, ut exteræ quoque gentes intelligant vos esse principes hujus civitatis verissimos, atque æquissimos; intelligántque esse locum amplissimum in nostris judiciis

119 *Alex. ab Alex. dier. gen. lib. 4. c. 11.* Hinc adagium. *Atheniẽsium inconsulta temeritas. Ald. in adag.*

120 *Deut. 17. Prov. 19. Sachar. 7. Psal. 88.*

121 Verba *Majol. dier. can. t. 7. colloq. 2.*

122 Verba *Cic. offic. 1.*

123 *l. 2 de fund. dot.* & aliis in locis. vide *Calv. in Lexico, & Zyp. lib. 1. c. 18.*

124 Verba *Vives loc. cit.*

125 *B. Aug lib. de libero arbitr.*

126 Verba *Cic. pro Rabir.*

ciis veritati. Verùm quîd ego, Iudices, veſtram veritatem, æquitatémque imploro? ut unus ego hæc dixerim, nónne ſunt probata quæ dixi? éſtne novum innocẽtiam probari per unicum teſtẽ [127]? An putetis me falſa loqui, & fœdâ aliquâ de cauſsâ permotum? Nónne ilico poſt vulnera mihi inflicta, Iudici Zurulo me inviſenti dixi Leonardum furiosũ eſſe, & ſi quando cõtigiſſet eũ includi carceribus, me illius innocentiam fore propugnaturum? itaque Leonardi innocentiæ fui teſtis priuſquàm patronus, & iccirco utrunque nunc eſſe me jura non prohibent [128]. Nónne me graviter, lethalitérque conſauciavit? hoc vnum (ut quanta mihi ſit veritas, & perpetua verum dicendi conſuetudo, apud vos nota, reticeam) me idoneum, egregiúmque teſtem eſſe non probet? ſanè quum ſauciatus unum aliquem culpâ exſolvit, omnem ab eo ſuſpicionem avertit [129]; maximè ſi confoſſus ſit vir gravis, & frugi [130]. *Age*, dicet aliquis, *narrata hactenus furoris argumenta non inficior, ſed iſta Leonardus effinxit, & quilibet poteſt ſimulare furorem, ut jura, & jus dicentes eludat*. atquî iſta cõſectaria non ſunt. equidem ſcio à nonnullis furorem fuiſſe aſſimulatum, verùm quũ id in dubium vocari contigerit, definienda res eſt ex ſuſpicionibus, vitâ ante-actâ, ex actibus, & famâ [131]. Ex ſuſpicionibus, ut ſi inimicũ interfeciſſet [132]: at Leonardus ſauciavit amicum, interfecit uxorem. An

quis

127 *Gabr. concl. 1. lib. 1. tit. de teſt. Maſcard. concl. 905. Carpzov. q. 114. & 120.*

128 *l. ult. vbi glo. ff. de teſt. Spec. Aufr. & Nell. de teſt.*

129 *Carpzov. cit. q. 120.*

130 *Clar. § fin. q 52.*

131 *Bart. tr. de teſt. Alex. conſ. 54. volum. 1. vide Plaz. epit. delict. c. 29.*

132 *Bart. ibid.*

quis existimet ab eo interfectam, ut jugum excuteret, onúsque conjugii, quæ servitus quædam esse dicitur [133], abjiceret? Ego quidem ante, veluti digito, demostravi, non modò ab uxoricidio simulati furoris suspicionem non injici, verùm ab eo argui furorem. & sanè innupto, quanvis ei divitiæ domi maximæ sint, nihil fermè in tuto est; omnia servi furantur, diripiunt; propinqui adhibēt, moliuntur insidias [134]. Ex vitâ ante-actâ, exponit Bartolus [135]; *Quid enim si homo est similia facere consuetus?* at Leonardus, non solùm similia non fecit, verùm-etiam nullius ante flagitii compertus. Ex actibus impēdio minus; si enim de rei veritate apparet, ridiculum est simulationis suspicionem habere [136]. Videamus igitur an ex re ipsâ furoris fictio, vel veritas conjiciatur. Facies illi repēte cadaverosa: oculi introrsus acti, depravatíque: multæ, perpetuæque vigiliæ, sunt ne insaniæ fictio, an veritas? Interemptā uxorem è fenestrâ in regiam viam projicere, méque in peristylio consauciare, multa subeundo pericula, sunt ne furoris fictio, an veritas? Virum armis instructum, & obvios quosque adoriri: pérque portum, pérque itinera, post scelus admissum, volitare: in fossas arcis se se dare præcipitem: ad Iudicem rapi se, à sene solo, inermi, & perimbecillo permittere: coram Iudice facinora profiteri, sunt ne furoris fictio, an veritas? Ædepol, profectò furit quisquis eum contendit si-

[133] *l. 2. ff de lib. hom. exhib. Neviz. silv nupt. §. non est nubendum.*

[134] *Neviz. in silv. §. est nubēdum. Cupido triumphans, pag. 95.*

[135] *Bart. ibid.*

[136] *Mascard. concl. 439.*

ſimulâſſe furorem. Eſſet mihi, Iudices, dicendũ de famâ, at jam increbuit illum fuiſſe, eſséque furioſum præcipitem, atque effrænatum, & ferunt ad veſtras etiam aures perveniſſe. Fidem illi habebitis, nam neque incredibilis eſt, neque incõſiderata, ſed habet valida primordia, & fundamenta firmiſſima. Credo, Iudices, me apertè oſtẽdiſſe Leonardi inſaniã ante actus, in actibus, & poſt actus, & jã videor videre vos illius ærumnas cõmiſerari. Factum bene, & egregiè: nulla enim de veſtris virtutibus plurimis, nec gratior, nec admirabilior miſericordiâ eſt. Quæ cùm ita ſint, Iudices, nónne de pœnâ ejus diſſimulabitis [137]? *Sanè ſunt quidam, qui facere non poſſunt injuriam, utputà furioſus, & impubes, qui doli capax non eſt; namque hi pati injuriam ſolent, non facere; cùm enim injuria ex affectu facientis conſiſtat, conſequens erit dicere, hos, ſive pulſent, ſive cõvicium dicant, injuriam feciſſe non videri* [138]. *Infans, vel furioſus*, inquit Modeſtinus [139], *ſi hominem occiderint, lege Corneliâ non tenentur; cùm alterum innocentia conſilii tueatur, alterum fati infelicitas excuſet. Impunè autem*, infit Pomponius [140], *puto admittendum, quod per furorem alicujus accidit, quomodò ſi caſu aliquo, ſinè facto perſonæ id accidiſſet.* alibíque [141] legitur æquè eſtimandum eſſe damnum, quod furioſus dederit, ac ſi quadrupes fecerit, aut ſi tegula ceciderit; nam furioſus non intelligit quod agit [142]; nulla [143] eſt ejus voluntas, ac per omnia, & in omnibus

137 Iuxta *tex. in l. Divus, ff. de offic. Præſ.*

138 Verba *l. 3. §. 1. ff. de injur.*

139 *l. 12. ff. ad leg.* Corn. *de ſicar.*

140 *l. 61. de admin. tut.*

141 *l. ſed & ſi, ff. ad l. Aquil.*

142 *l. ſi cum dotem, §. ſi maritus, ff. ſol. matr. §. furioſus, Inſt. de inutil. ſtip.*

143 *l furioſi de reg. jur. § præterea, Inſtit. quib. non eſt permiſſ. facer. teſt.*

nibus

nibus [144], absentis, vel quiescentis loco habetur. Fati infelicitas eum excusat;imò satis furore ipso punitur [145]. *A Diis quidem immortalibus*, inquit Cicero [146], *quæ potest homini major esse pœna furore,atq; dementiâ?* Spero,Iudices,fore ut de pœnâ ejus dissimuletis. quòd si de vobis diffiderē, sanè quammaximè optarem consectari me posse admirandum, prædicandúmque illud exemplum Adriani Cæsaris, qui pugione petitus, adorientem in custodiam tradidit, sed audito eum lumine mentis carere,ne subiratus quidē dedit curatum. ego enim hæc vulnera accipiens, perinde succensui, ac si imbrex in me cecidisset. nulla (ita me Deus adjuvet) animi motio, nulla me perturbatio concitavit. Iámque opus exegi. plena est epistula festinationis,& pulveris;etenim veritatis,atque innocentiæ studio deproperavi, & ex tempore pene scribebam.

144 *l.2.§.3.ff.de jur. codi c.l.16.§ filio, ff. de injur. l.1.§.3. ff.de acquir poss.*

145 *cit.l.Divus,l.9. in fin. ff. ad l. Pōp. de parric.*

146 *Cic. de Arusp. respons.*

PRO

PRO NICOLAO FLAMINIO CERTAMEN III.

ARGVMENTVM.

Satellitem Nicolaum Flaminium, nauticæ ſervitutis damnatum, quòd Martinum Æmilium prædonum coryphæum ab ſe captum occiderit, in libertatem vindicat.

VEreor quàm maximè, P.C. ne ſi ſemel hæc via, aditúſque aperiatur, impunè deinde graſſetur audacia, latronum turbæ multiplicétur, exſultent latrocinia, cædes, ac rapinæ tyrannidem exerceant. quis enim in poſterùm contra perditiſſimos, tæterrimóſque prædones; contra audaciſſimas, horrendiſſimáſque hujuſcemodi belluas velit confligere, ſi is, qui aſperrimis, maximíſque híſce periculis, pro ſalute Reip. ſpõte, alacritérque ſe ſubjicit, commeriti auctoramẽ-

ti vice,acribus,insignibúsq; suppliciis afficiatur? si dum civium vitas,fortunásque ab his perniciosis,avidísque flammis tuetur,per impudentes,improbásque calumnias , suæ vitæ , fortunarúmque certissimam , turpissimámque jacturam incurrat? si dum funestâ, horribilíque hâc peste Remp. liberat, dulcissimâ libertate privetur, durissimo remo publicæ triremis affigatur, constringatúrque catenis gravissimis? Nunquam, hercle,mihi,P.C.persuadeam vos de Rep.ita sensuros,ut qui apud eam tot ac tanta beneficia collocaverit,is ipse,per vos,tam acerbis, tam gravibus,tam tristibus pœnis excrucietur. Rem oculis subjiciam,narrabóque fideliter,ut quæ Reip.imminent faces,vos, P.C. avertere valeatis. Nicolaus Flaminius per infernatis Samnii præsidem remo in perpetuùm fuerat addictus,quòd (pudet dicere)Martinũ Æmiliũ, consceleratissimũ prædonũ coryphæũ,vitâ privaverit.mitigatâ deinde per Magnã Curiã sententiâ,pœna ad decennium est imminuta. provocatione nunc ad vos factâ, hâc eâdem pœnâ se liberandum, pro vestrâ humanitate, pro vestrâ æquitate, pro causæ justitiâ confidit. Enim-verò quod illi ascribitur, non modò non probatum, verùm-etiam ne levissimis quidem indiciis est vestigatum. quòd si probatum,manifestúmque fuerit,nullius supplicii, nullius animadversionis, nullius pœnæ reum Nicolaum

laum esse ostendam. & ne confusè mea vagetur oratio, per singula capita defensionem instituam. Primum quidem quod attinet, h.e. adversarium probatione carere, id tam est certum quàm quod certissimum; neque enim testibus sub Nicolai præsentiâ jusjurandum delatum, neque apud Iudicem, Nicolao citato, ut, minimùm, factum oportuit [1], repræsentati. Illud verò, quod objicit adversarius, videlicet Nicolaum in jus vocatum fugisse, proptereáque eum cædis esse suspectum, nihil omnino me commovet. quis enim ignoret fugere etiam innocentes? ídque sive quia meticulosa res est, ut ait Plautus [2], ire ad Iudicem, propterea quòd omnes, quorum in alterius manu vita posita est, sæpius illud cogitant, ut infit Cicero [3], quid possit is, cujus in ditione, ac potestate sunt, quàm quid debeat facere: sive quia carceris metus, viros, magno etiam animi robore, non-nihil perturbat. *Innocentes quandoque*, ait Grevius [4], *in fugam traxit vehemens institutæ accusationis suspicio, aut instituendæ metus, cùm Iudicis sævitiam, iniquitatem, & præjudicia, testium perfidiam, corrupta tribunalia, carceris incommoda, quibus plerunque justæ, & debitæ defensioni via præcluditur, anxiè, & cautè secum expenderent*. Enim-verò non scripta, sed nata lex est ut proprium quis periculum vitet, suæque saluti, quoad ejus fieri potest, diligenter prospiciat [5]. Verùm: *Quid mihi opus indiciis?* adversarius inquit,

1 *l. 18. & auth. apud eloquentissimum, C. de fid. instr. Rovit. prag. 1. de perseq. malefact.*

2 *Plaut. in Mostell.*

3 *Cicer. pro Quinct.*

4 *Grev. tribunal. reform. c. 6.* Ad hanc rem videsis *Crus. de indic. p. 1. cap. 11. Clar.* ibique *Addent. q. 21.*

5 *l. 4. & 45. §. 4. ff ad l. Aquil. l. 3. ff. de just. & jur. l. 1. §. vim vi, ff. de vi, & vi armat. Cicer. pro Mil.*

inquit. *siquidem Nicolaus admissum à se scelus ultro fatetur*. Si ita res habet, P.C. ego quidem sum temporis perditor, atque inaniter aquam consumo; sed acta, si lubet, inspiciamus. *ACTA*. Quid, obsecro, Nicolaus fatetur? fatetur se novendecim cum regiis lictoribus Æmilii domum, Petræ oppugnavisse: fugientem Æmilium ab satellitio interfectum; ab se autem illi jam exanimo à cervicibus caput abscissum. Hoccíne, P.C. hoccíne, inquam, sit crimen fateri? an putet adversarius nos eò processisse stoliditatis, atque dementiæ, ut ea, quæ gloriæ esse debent, in crimen vertamus? ego quidem nō modò flagitium in exsecrandi capitis ablatione nullum invenio, sed invenio opus laudabile, opus probum, & sapiens. Noxæ-ne habeatur res illa, quam præses provinciæ, quā ipsa provincia universa collaudavit, accepit, probavit? Quum satellites Petrâ redirent, avulsúmque illud humeris caput populis ostentarent, nemo quidem erat, qui non gestiret lætitiâ, qui non exsultaret voluptate, qui gaudio non triumpharet. nullus erat, qui facinus non laudaret: qui Cœlitibus gratias non ageret nullus erat: nullus erat, qui satellitio illi bona non precaretur. una erat omnium vox, provinciæ labem esse repressam, perniciem deletam, flammam esse restinctam. Quum iidem satellites ad præsidem remigrârunt, ô quanta in eos illius humanitas! ô quanta præ-

conia,

conia,quantæque blanditiæ! Sed quîd ego ista commemoro? porrò declaratum à præside est quàm caput illud dirum esset,exsecrandúmque; quantum satellites de Rep.meruerint, quum iis satis magna,atque eximia præmia concessit; quũ caput illud pilo infixum,per totam civitatem gestari jussit, jussítque caveâ ferreâ inclusum, pro rostris,de more, affigi.quo loci & nunc spectaculo est,si consceleratos excipias,toti provinciæ jucundissimo;consceleratis autem ipsis terrori vel maximo. Hoccíne,inquam, P.C. hoccíne sit crimen fateri? Num fassus est Nicolaus Æmilium ab se fuisse interemptum? utinam ipse occidisset, occidisset & solus! quantam enim sibi gloriam peperisset, si suâ unius operâ, tam horribilis, tam infesta,tam nefaria Reip.pestis de medio sublata fuisset! Expectatísne, P.C.ut hoc in loco Martini scelera singulatim prosequar? porrò dies;quîd verò dies? anni,hercule,me deficerent, quàm minimam partem expromeré. quis hominis (si quid tamen ei erat hominis)impudentiam singularem, singularem improbitatem recenseat? quæritis illius ingenium? agreste,ac barbarum,scelerúmque anhelans.illius mores? turpissimi, facinorosissimi, atque insidiarum plenissimi. vitæ rationem? fœdissima, perditissima, deditáque flagitiis, vitiísque omnibus.quæritis quæ fuerit in eo aviditas? sanguinis.qui amor? cædium.quæ voluptas? rapinarum.

narum . quæritis cui rapuerit ? eccui non rapuit? quos expilaverit?ecquos, ecquæ loca non expilavit?quæ itinera ad rapinas, ad cædes obſederit? ecquæ non obſedit ? quîd multis? nónne notus erat?utinam non ita notus ! perditiſſimorum prædonum perditiſſimum caput, hominúmque, quos terra ſuſtineret, ſceleratiſſimus. Vt mirari ſatis nō poſſim, P.C. repertos inde fuiſſe Iudices, qui tam præclarum, tam illuſtre facinus, atque omnibus illius provinciæ locis, ſummâ cum laude indeſinentèr commemoratum improbârint, & pœnâ dignū pronūtiaverint. Quid?domus unius, unius hominis aggreſſor impunè occiditur [6]; oppugnator totius provinciæ, totius provinciæ prædo nō ſine pœnis interficietur? Qui feras, tuguria, & villas ſolicitantes occîdunt, laudibus extollimus, præmiis afficimus; qui tæterrimum caput, qui immanem beſtiam, lupis rapaciorem, tigribus ipſis rabidiorem interfecerit, nauticâ ſervitute, omniū ſcilicet malorum iliade, multabimus? Ergóne iſta nefariorum hominum natio, ſcelerúmque plena colluvies impunè peccet, impunè graſſetur? non ita, P.C. non ita profectò, ſed lege occiduntur [7]. Objicit adverſarius Æmilium cubātem in lecto, atque ex morbo morti vicinum fuiſſe captum, extractúmque domo necatum; nefas autem eſſe captivo prædoni mortem inferre. At cui-nam videatur vero propinquum ſatellites illos tam mo-

deſtè,

[6] De aggreſſore bonorum extāt tex. in *l. 1. C. unde vi, l. 3. §. 9. de vi, & vi arm.* Corporis *in cit. l. 3. ff. de juſt. & jur. cit. l. 45. & l. 52. §. 1. ad l. Aquil. l. 1. C. unde vi, l. 2. 3. & 4. C. de ſic.* Porrò unicuique, omni jure, quolibet loco, & tempore vim vi repellere fas eſt. Vide rem hanc elegātèr expoſitam à *Theodoric. colleg. crim. diſp. 11.*

[7] *Conſt. pœnam eorum, de Bannit. & forjudic. pragm. 9. 11. & 22. de exſul.*

deſtè, tam lentè, cunctantérque ſe ſe habuiſſe, ut Æmilium in lecto decumbentem, non ſtatim exanimaverint? cur moras iſtas duxerunt? cur illi necem non in cubili, ubi commodiùs, ſecuriúſque feciſſent, ſed extra intulerunt? intelligitis hinc porrò, P.C. quanta fides ſit huic judicio adhibenda. Sed quid quod adverſarii ſentētia, & commētitia, & abſurda, & futilis eſt? quæ enim poteſt latroni, quæ homini ſacro, quæ hoſti afferri injuſta nex [8]? ſanè lex nulla hujuſcemodi hominibus parcit, nulla pœnā impedit. qui occîdit, eſt purus à crimine, atque ab omni calūniâ ſecurus. Conſtitutionis [9] verba hæc ſunt. *Forjudicatus ab omnibus offendatur impunè, adeòut ſi ipſum occiderit aliquis, NVLLAM proinde CALVMNIAM mereatur*. At nónne calumniamur, ludificamur, ſi quod lex ipſa non dicit, nos dicere audeamus? *De pretio ſoluto* (de capto latrone) inquit Gajus [10], *nihil exprimitur; unde poteſt conjectura capi, quaſi nec ſententia prætoris ea ſit, ut requiratur, an ſolutum ſit pretium* (an latro ſit captus) Sed videor videre adverſarium diſcriminantem à non lictore lictorem, dicentémque illi fas eſſe captivum latronē occidere, huic verò minimè [11]. atqui, me judice, æquè vana eſt iſta diſtinctio; quâ enim de cauſsâ privatus, non autem ſatelles impunè id faciat, nequaquam intelligo. quis privatus ſit, & non miles adverſus publicos hoſtes [12]? porrò privatus ipſe quum latronem

8 *Cicer. pro Mil.*

9 *Cit. Conſt. pœnā eorum.*

10 *l. 8. ff de public. in rem act.*

11 *Afflict. ad cit. Conſt. Campan. de forjud. reſol. 23. Sanfelic. deciſ. 349.*

12 *In reos Majeſtatis, & publicos hoſtes*, inquit Tertullianus, in Apolog. *omnis homo miles eſt*. Vide *Solorz de Ind. jur. lib. 2. cap. 15. & Gothofr. ad l. 7. §. 2. ff ad l. Iul. Majeſt.*

tronem prehendit, legis est administer, & militis partes adimplet. aut igitur latro apud utrunque sit periculo vacuus oportet, aut apud neutrum. sanè apud neutrum: nam aut hostem consideramus in acie, aut post victoriam captum, sed nondum intra nostra præsidia perductum, aut intra ipsa præsidia. intra præsidia, h.e. carceres [13], non licet occidere: in pugnâ, & in acie, quicquid feceris, excusationem habet; hostem enim pugnātem necessitas perimit, non voluntas [14]. post victoriam nullo jure prohibetur victor victoriam persequi; quoniā quādiù victus nō est perductus intra præsidia nostra, tametsi captus, manet hostis, & suæ Reip. civis; perindéque habetur, ac si captus non esset. *Postliminii jus competit, aut in bello, aut in pace*, inquit Pomponius [15]. *in bello cùm hi, qui nobis hostes sunt, aliquem ex nostris ceperunt, ET intra præsidia sua PERduxerunt; nam si eodem bello is reversus fuerit, postliminiū habet, id est perinde omnia restituuntur ei, AC SI CAPTVS ab hostibus NON ESSET. antequam in præsidia PERducatur hostiū, manet civis*. Quid quod ista per adversariū objecta distinctio non est cara, non est salutaris, non est cōsentanea Reip. sed maximè acerba, maximè atrox, perniciosa maximè? si enim privatis hominibus, non autem lictoribus id licitum sit, sítque istis calumnia verenda, quid hoc est aliud, nisi lictores perterrefacere, & usque-adeò cōsternare, ut

13 Iure ita interpretor per *tex. in l. postliminii. ff. de capt. & postlim. reverf.*

14 *c. noli* 23. *q.* 1.

15 *Cit. l. postliminii.*

ut in posterùm ad hoc munus, non modò lenti, pigríque reddantur, verùm-etiam illud defugiant quàm qui maximè? & verò sunt illis ad hoc negotium addenda calcaria, non ab opere avertendi: laxandæ, non retrahendæ habenæ: impellendi, non refrænandi: præmiis animosiores, non pœnis timidiores reddendi. maximè verò in Samnio, ubi nullo non die succrescunt, perinde atque hydræ capita, latronum, grassatorúmque phalãges: vbi prædonum est usque-adeò abundè, affatímque, ut eorum plena sint omnia. eos quidem silvæ non capiunt, numerúmque eorum innumerabilem oppida, urbésque vehemẽtissimè reformidant. Malis mitioribus remedia mitiora adhibẽda; pravis ulceribus, difficilibúsque in morbis urendum, secandum [16]. Respuatur igitur, P.C. respuatur ista distinctio: lex loco [17] aptetur, serviat tempori [18], vulgi naturæ, ingenióque cõveniat [19]. *Majores in pace*, ait Cicero [20], *semper consuetudini, in bello utilitati paruere: semper ad novos casus temporum, novorum consiliorum rationes accommodârunt.* *Quas tempora aliqua desiderarunt leges*, inquit Livius [21], *mortales (ut ita dicam) & temporibus ipsis mutabiles esse video. quæ in pace lata sunt, plerunque bellum abrogat: quæ in bello, pax: ut in navis administratione, alia in secundâ, alia in adversâ tẽpestate usui*

H sunt.

16 *Vre, seca*, inquit Cicer. Philipp. 8. *ut membrum potiùs aliquod, quàm totum corpus intereat*. Vide *l. aut facta*, §. 10. *ff. de pœn.*

17 *Evenit, ut eadem scelera in quibusdam provinciis graviùs plectantur.* Verba sũt *text. cit. l. aut facta*, §. 9. De õnib. rerũpub. arcanis nullum majus creditur, teste *Bod. de Repub. lib. 5.* quàm ad varios mores, & naturas civitatis cujusque, leges, ac formam congruẽtem accõmodare. Vide *Plat. de L. L. lib. 6. & Hippolyt. à Collib. in Principe, c. 8.*

18 *Tempori cedere, idest necessitati inservire*, ait Cicero, *semper sapientis est habitũ: cujus necessitatis prapotentem vim nemo nescit.* Vide *à Collib. l. cit.*

19 *Noscenda Principi natura vulgi*, ait Tacit. 3. Annal. *ut sciat, quæ quibus populis leges congruant, & quis cuique regioni status conveniat.* 20 *Cic. pro L. Manil.* 21 *Liv. lib. 4. decad. 4.*

sunt. Enim-verò quid aliud prudentia, quàm electio rerum, quæ aliter, atque aliter se se habent? non rebus solùm devincta, sed iis, quæ rebus adstant. tempora, loca, homines aspicit, & pro minimâ eorum mutatione ipsa se mutat [22]. Verùm quîd ego explodi hanc distinctionem tam enixè contendo, si nullo quidem (quod sciam) in foro est unquam pro vero recepta? illam sanè Romana [23], illam nostratia [24] tribunalia improbârunt, rejecerunt, damnârunt. Demus eam non esse improbatam; an ita perfecta sit, atque plena, ut nullâ circunscriptione definiatur, concludatúrque? Non est sanè rei accommodata, si mora periculo sit [25]. *Quod* enim *serum est punire judicio*, inquiunt Imperatores [26], *subjugamus edicto, ut nullus parcat militi, cui obviare telo oporteat, ut latroni*. Audite Vlpianum [27]. *Præterea generaliter prætor cætera quoque opera excepit, QVORVM MORA PERICVLVM ALIQVOD ALLATVRA EST. nam in his quoque contemnendam putavit operis novi nuntiationem. quis enim dubitat multò meliùs esse omitti operis novi nuntiationem, quàm impediri operis necessarii urgentem extructionem? Totiens autem hæc pars locum habet, QVOTIENS DILATIO PERICVLVM ALLATVRA EST. Proinde si quis cùm opus hoc MORA PERICVLVM allaturum esset,* *nun-*

22 *Lips. civil. doctr. lib. 4. c. 1.*

23 *Farin. q. 103.*

24 *Danz. de pugna DD. tit. de forjud. c. 1. Tappia in cit const. pœnam eorum. Sãfelic. cit. decis.* 249. quam decisionẽ perperã adversarius pro se allegat; lictor enim erat cædis compertus, & tamẽ cædis judicatus non est. fuit autem extra ordìnem punitus, quòd argumẽta indicarẽt ab ipso, per dolũ, & fraudem cædem patratam, ne scilicet captivus fortasse de consciis interrogaretur.

25 *Carav. prag. 1. de exsul Campan. cit. resolut.* 23. *Propter periculum imminens*, inquit Zasius ad l. de pupillo, §. 12. ff. de oper. nov. nunt. *receditur à pũcto juris comunis.*

26 In *l. 1. C. quãd. lic. unicu. que sinè jud se vindic.*

27 *Cit. l. de pupillo, §. 12. & 13.*

nuntiaverit opus novum, vel si in cloacis, vel ripâ reficiendis aliquid fieret: dicemus apud Iudicem quæri debere, an talia opera fuerint, ut contemni nuntiatio deberet. nam si apparuerit, vel in cloacâ, rivóve, eóve, cujus MORA PERICULUM allatura esset: dicendum est non esse verendum, ne hæc nuntiatio noceret. Audite iterum Vlpianum [28]. *Quæsitum est si nondum dies pensionis vênit, an & medio tempore persequi pignora permittendum sit? & puto dandam pignoris persecutionem; quia interest meâ, & ita Celsus scribit.* At quîd ita? nónne quum solvendæ pecuniæ dies pacto profertur, convenisse videtur, ne priùs vendendi pignoris potestas exerceatur [29]? nónne si paciscatur creditor ne intra annum pecuniam petat, intelligitur de hypothecâ quoque idem pactus esse [30]? ita sanè. quîd igitur Vlpianus ita respondit? quia creditoris intererat pigneratitiâ ante diem agere. at quâ de caussâ intererat? quia periculum mora conflabat, debitor enim suspectus esse incipiebat [31]. Audite iterum [32]: *Tametsi provocantis, vel ejus, pro quo provocatur, appellatio non fuerit recepta, pœna tamen sustinenda est quoad princeps rescripserit ad literas præsidis, & libellum rei cum literis missum: nisi forté LATRO MANIFESTUS, vel seditio prærupta, FACTIOQUE CRUENTA, vel alia justa causa, quam mox præses literis excusavit, MORAM NON RECIPIANT, non pœnæ festinatione, sed PRÆVENIENDI PERICU-*

[28] *l. quæsitum, ff. de pign. & hypothec.*

[29] *l. 4. ff. de distr. pign.*

[30] *l. 5. §. 1. ff quib. mod pign.* sicut nec ante conditionem, *l grege, §. 5. ff de pign. l pecuniã 36. ff de reb. cred.*

[31] *Gothofr. ad cit. l quæsitum.*

[32] *Vlp. in l. 6. §. 9. ff de injusto rupt. irrit. fact. test.*

LI CAVSA.tunc enim punire permittitur, deinde scribere. Quæ cũ ita sint, P.C. númne animadvertetis in eos, qui summâ cũ prudentiâ se se gessêre? quíque maximè imprudenter, stultéque fecissent, si rem in tuto non collocâssent? Nónne mora præsentis, certíque periculi erat plenissima? enimverò cõfestim, summáque celeritate, ingens turba prædonum vênit Æmilio auxiliatum, acerriméque toto cum satellitio dimicavit: & ni extẽplò contenebrâsset; conflictus ille ab lictoribus malè foret, atque calamitosè pugnatus. Quid quod attrahendus erat Æmilius per satis longa itinera? cædis enim locus distat abs Teate, præsidis residentiâ, quinquaginta millia passuum. ecquæ verò itinera? nive obsita, flexuosa, & supra omnia, quæ in Samnio sunt, aspera, præruptáque. itinera tæterrima, difficillima, infestissimáque. itinera per silvas ingentes; per silvas receptrices prædonum, frequentibus homicidiis, ac latrociniis infames. ut non modò suspicionem, verùmetiam certitudinem facerent fore ut Æmilius de manu lictorum ab sociis extorqueretur. Quid quod Æmilius, teste adversario, abduci non poterat? nónne dixit eũ jacere id temporis ex morbo propè intermortuum? Lecticâ ferendus erat. at ubi eo loci lectica? Iumento vehendus. at ubi tam subitò, ubi tam in præcipiti rerum turbatione jumentum? Includendus erat in carcerem. at ubi in

illo

illo oppido carceres?an-non oppidũ illud,non secus atque esset exlex, propalàm nutrit, fovétque prædones? illud quidem est fons, & origo, & seminarium,& officina omnis nequitiæ, & diversorium flagitiorum omnium. At condendus erat in carcerẽ cujuspiam vicini loci bene muniti. sed nónne facinorosorum id genus hominum,summâ temeritate,summâ impudentiâ,summáque audaciâ, urbes Teremum, & Camplum, paucis ante diebus ingressum,effractis carceribus,carcerariis custodibus enectis, vinctos omnes eduxit? quæ loca in illâ viciniâ usque-adeò fortia,usque-adeò munita, ut profligatæ hujus nationis furori non pateant? peragra viciniam illam: loca illa vicina percurre, nemo tibi occurret non armis instructus,non instructus ad scelera, non scelera anhelans.vel ipsas mulieres,non mollibus,non muliebribus,sed vulcaniis armis armatas offendes.tota siquidem illa regio in factiones divisa pugnat identidem. Sed quid quod necesse non est,ut de fugæ periculo appareat,sed satis est si è Rep. sit captivum latronem occîdi, ejúsque perniciem haud in incerto relinqui?*Constitutiones*,inquit Modestinus [33], *locũ non habẽt in eorũ personâ,quos statim puniri publicè interest,ut sũt INSIGNES latrones,vel seditionũ concitatores, vel DVCES factionum.Si quis rivos, vel cloacas, velit reficere, vel purgare*, infit Vlpianus [34], *operis novi nuntiatio meritò prohibetur,* cùm

[33] *l.16.ff.de appellat.* Vide *l.provinciarum, C. de feriis.*

[34] *l.5.§.11.ff. de oper. nov. nunt.*

cùm publicæ salutis, & securitatis intersit, & cloacas, & rivos purgari. Porrò quid pertimescat? imo-verò quid timeat, qui facinorosis hominibus Remp. purgat? qui salutem, atque incolumitatem Reip. in ancipiti esse nõ sinit [35]? Hanc ipsam, hercle, ob caussam, vir ille sapientissimus, Dux Albanus, quũ hîc Regis gereret vices, imperavit ut satellites, qui famosum quendam latronem captivum occiderant, non modò non pœnis, verùm-etiam præmiis afficerentur [36]. quid enim si dum latro ad Iudicem trahitur, aliquod emergat obstaculum, per quod ille satellitum manus evadat, ultionémque effugiat, habeátque ludibrio [37]? sanè plus est integram causam servari, quàm restitui [38]; & meliùs est occurrere in tempore, quàm post vulnus acceptum, remedium quærere [39]. Iam verò ita se re habente, non satis intelligo, P.C. cur Nicolao periculum creatura sit cædes hominis scelestissimi, latrociniis famosissimi, rapinis celeberrimi, cædibus, & sanguine pollutissimi. porrò quod gratius obsequium, quod præclarius beneficium, quæ mirabilior utilitas, quod emolumentum insignius illi provinciæ, totíque Reipub. potuit unquam præstari, quàm tam perniciosi capitis, tam nefandi hominis, tam monstrosæ belluæ perniciem haud in incerto relinqui? Nónne hic ille Æmilius, qui ducentis cum sociis, torrentis in morem, ex Apennino, ad provinciæ vastitatem,

per-

[35] Vide *cit. l. provinciarum.*

[36] *Campan. cit. resol. 23.*

[37] Præsumitur aũt hoc periculum, ni ab accusatore contrarium probetur, probeturque captivum fuisse paratum ad judicem ire: cùm enim satellites dẽt operam rei licitæ, delictum præsumi non debet. ita rem hanc exponit *Campan resf cit.*

[38] *l. 2. C. quib. in caus. in integr. restit.*

[39] *L. ult. tit. proximè citato. & l. 1. C. quando liceat unicuique sin. jud. se vind.*

perniciéq; ruebat? nónne hic terreſtris ille archipirata, à cujus aſſiduis rapinis nihil intactũ, nihil immune? à cujus nefariâ vi nihil tutũ, nihil ſecurum? à cujus effrænatâ licentiâ nihil liberum, nihil ſepoſitum? Nónne hi erant nefarij, fœdiſſimi, importuniſſimíque illi prædones, quorum vaſta, atque intoleranda barbaries; quorum inſatiabilis, atque inaudita crudelitas totam provinciam, ſummo, atque immani terrore compleverat? Patrabantur hominum cædes? ab his latronibus patrabantur. Direpta privata, & publica? direpta profana, & ſacra? ab his graſſatoribus direpta. Obſeſſa itinera? impedimenta cõmerciis illata? per hos prædones illata, per hos latrones obſeſſa. Nónne hi erãt gurgites cædiũ, ac rapinarũ, pernicies populorum, voragines publicæ utilitatis? Nónne erant. Sed quîd ego plura commemorem? Erant: aſt Nicolai beneficio, mox extemplò fuere. obtrito capite, totum è loco periit corpus: ad unum protinus cuncti disjecti, funditúſque deleti; atque univerſa provincia ad opes, ad pacem, ad incolumitatem eſt reſtituta. Vivunt provinciales vitam quietiſſimam, vitam dulciſſimam, vitam jucundiſſimam; nempe vitam remotã, ſecurámque ab Æmilianorum procellis, tempeſtatibúſque. O quæ nũc in illâ provinciâ tranquillitas, quæ libertas, quæ gaudia! Vnus Nicolaus timore percellitur, catenis conſtringitur, mi-

miſeriis excruciatur, tabe conficitur. Ergóne, P. C. ſit quamobrem in tantâ lætitiâ univerſæ provinciæ, ipſius gaudii auctorem, auctorem ipſius incolumitatis, catenatũ, triſtem, ærumnoſum, ac miſerũ eſſe oporteat? Abſit, abſit, P. C. abſit, inquã. ſervandus, ſolvendus, leniendus eſt Nicolaus: síque Æmilium ipſe interfecit, non illius provinciæ modò, verùm-etiam totius Reip. ſalutem ipſi acceptam referre, tum oportet, tum etiam neceſſe habemus.

PRO ADRIÆ DVCE D. IOSIA AQVAVIVO ARAGONIO CERTAMEN IV.

ARGVMENTVM.

Adriæ Ducem D. Iosiam Aquavivum Aragonium, nulli non ante-habendum in locatione oppidi Iuliæ: eundem, quominùs illud conducat, nullo prorsus obtentu impediri, nec posse, nec debere confirmat.

SI quis orator, Excellentissime Domine, justam, verámque causam apud te aliquando aggressus est; nullus sanè justiorem, æquiorémque unquã suscepit, quàm ego impræsentiarũ suscipio, pro Adriæ Duce in Fiscũ peroraturus. Suscipio verò non timido, sed acri, præsentíque animo: quippe mihi verendum minimè

nimè eſt, ne hæc mea qualiſcunque oratio ſit tuis auribus futura non grata,quòd in Fiſcum dirigatur,ejúſque actionem excludat. Quis enim neſciat, eam eſſe æquitatem tuam, incorruptæque mentis integritatem,ut juſtitiæ omnia poſthabeas,ejúſque candorem ſic ames,ut, ne leviter quidem maculari ſuſtineas? Diſcrimen aliquod ſe ſubituros alii contra Fiſcum dicturi putant: ego contrà allicior,trahórque magis,dum de tuâ æquitate ſic sẽtio,ut hac unâ animũ tuũ,mentẽq; duci,regíque,nullâ trepidatione concipiam. Pro Adriæ Duce D.Ioſiâ Aquavivo eſt mihi inſtituta defẽſio:nẽpe Ducis illius,cujus erga te, erga Regẽ eſt perſpecta fides,perſpectum obſequium: in quem, & Regis, & tua eſt certa voluntas, expertáque ſingularis benivolentia. Ducem igitur Adriæ nulli nõ ante-habendum in conductione oppidi Iuliæ: eundem à Fiſci Præfecto, nullo prorſus obtentu, impediri,nec poſſe,nec debere quominùs illud conducat, tibi breviter demonſtrabo. Id quod accuratiùs, pleniúſque præſtitero,ſi rem altiùs repetam,hiſtoriámque denarrem. Iulium oppidum ab Adriæ Duce Iulio Antonio Aquavivo ducentis ab hinc annis ædificatum, Andreæ-Matthæo ejus filio, unà cũ ampliſſimis ditionibus obvênit. Hic licèt in ipſiſmet caſtris, nec aleæ, nec licentioſis voluptatibus unquam vacâſſet [1] ,magnum tamen,pro Regibus,æs alie-

num

[1] Teſte Summõt. in epiſt. ad D. Anton.-Donat. Aquavivum.

num coëgit: iis enim egregiam, assiduámque operam domi bellíque navavit [2]. Cùm æs illud minimè dissolveretur; aliquot ab hinc annis, facta est per Iudicem creditori potestas illius oppidi possidendi quoad ei de proventibus satisfieret. Ex eo creditor quotannis oppidum Duci locavit: quum autem superioribus diebus novæ locationis tabulæ forent conficiendæ: contrahentes in unum convenissent: pacta merces, judex, tabellio, testes arcessiti; vênit nescio quis, & quod agi institutum erat, Fisci nomine impedivit. Rei novitate perculsi hæsimus animis, quousque rescitum est Fisci procuratorem velle oppidum illud Fisco conducere. Tunc, ut verũ fatear, in maximã admirationẽ traducti sumus: neq; enim ante illũ diẽ audieramus, Fiscum id genus negotia sibi unquã gessisse. Sed, ut ut se res habet, Ducem Fisco præferendũ persuadet ratio: persuadet honestas: persuadet ipsa Regis utilitas. Nec est, Excellentissime Domine, cur multis ista disputem: quod enim ad rationem attinet, nemo quidem est, quẽ prætereat res gentilitias à gentilibus, sive venditas, sive locatas [3], posse ubique locorũ [4] à ceteris gentilibus revocari [5]. Quis enim sit usqueadeò illacrimabilis, ut siccis oculis videat, nos eâ

I 2 domo

[2] *Campan. de famil. Aquaviv. Pontan. in libr. de Magnanimitate. Tarcagnott. in Regni Neap. descript.*

[3] *Locatio enim, & cõductio proxima est emptioni, & venditioni: iisdemque juris regulis cõstitit.* Verba sunt Gaji in *l. 2. ff. locat.* De familiaritate horum contractuũ, vide *Mornac. ad cit. l. 2.* Iusq; retractus sicut locum habet in vẽditione, ita quoque in locatione obtinere, quãvis ea sit ad modicum tempus, docẽt *DD.* apud *Thor. in compend. decis. p. 1. verb. præferri. Sanfelic. decis. 106. Capyc. Latr. decis. 39 Gizz. in addit. cit. decis. 39. & decis. 57.*

[4] Vide *Tiraq. de retract. in præfat.*

[5] *Const. Regn. Sãcimus*, ibique *Afflict. de Iure prothom.* Vide *Tiraq. loc. cit.* De revocatione feudi vide *tex. in c. 1.* ibique *Isern. & Afflict. de alienat feud patern. c. 1. §. è contrario de invest. de re alien. fact. c. 1. §. sed & res, per quos fiat invest.* Vide *l. 1. ff. de privil. cred. Rosental. de feud. c. 9. concl. 67. & seqq.*

domo privari, in quâ crevimus? in quâ pater defecit [6]? Quàm verò lugubre ſit majorum imagines ibi non videre fixas, aut videre revulſas [7]? Quîd tandem ſi dum re gentilitiâ caremus, ſepulcris etiam avitis carendum habeamus? porrò ſepulcra, in quibus majores conditi, jure ſingulari æſtimare ſolemus [8]: adeò ut dixerit Iavolenus [9] noſtra intereſſe, hereditatem etiam non ſolvendo adire, ſi in eâ ſint prædia, ubi majorum ſepulcra ſint. imò adeò verum eſt noſtra intereſſe, rem, quæ majorum fuerit, habere; ut pupilli non minimùm interſit redimere fũdum, qui fuit majorum, pluris quàm valeat. *Si in emptionem,* inquit Hermogenianus [10], *penes ſe collocatam, minor adjectione ab alio ſuperetur, implorans in integrum reſtitutionem, audietur, ſi ejus intereſſe emptam ab eo rem fuiſſe adprobetur: veluti quòd majorum ejus fuiſſet: ita tamen, ut id, quod ex licitatione acceſsit, ipſe afferat venditori.* Quid quòd per illud jus poſſidendi, quæ Iuris-interpretibus *Tenuta* dicitur, dominum Iulia minimè mutavit [11]? Sanè ſi is, qui utendi fruendi jus habet, fructuarium fundum locare velit; proprietarius in locatione præfertur: is enim ſemper eſt potior, cui jus aliquod in re eſt [12]. Quid quòd Iulia Ducis pleriſque oppidis vicina eſt, atque cõtermina? ſanè, vicino eſſe jus retrahẽdi rem à vicino, ſive venditam, ſive locatam, nemo ibit inficias [13]. enim-verò ſicuti noſtra refert confines fun-

[6] Hoc adeò verũ eſt, ut pupilli hujuſcemodi domum vendere non liceat. *l. 22. §. nec verò, C. de adminiſtr. tut.*

[7] *Cit. l. 22.*

[8] *l. 38. ff. de rei vindic. cit. l. 22. l. libertus*, ibique *Gothofr. ff. de bon. libert.*

[9] *Cit. l. libertus. Magnũ eſt habere monimenta majorum,* inquit Cicero offic. 1. *eiſdem uti ſacris, ſepulcra habere communia.*

[10] *l. 35 ff de min.*

[11] Imò Tenuta non facit poſſeſſorẽ, ſed ſolùm in poſſeſſione eſſe. *l poſſideri, §. ſi quis, ff ex quib. cauſ. in poſſeſſ. eatur.* Eſtq; merè allodialis, *de Marin. c. 38. lib. 2.*

[12] *S. Felic. cit. dec.* 106.

[13] *Cit. Conſt. Sancimus*, quã habere locũ etiam in feudis, docet *Bald. ad eand. Conſt. n. 12.*

fundos,etiam ſupra juſtam æſtimationem,adquirere [14]; ita quoque intereſt,ne is,quem nolimus, fiat nobis propinquitate finitimus [15].atque hanc ipſam ob rem ſcribit Gajus [16]. *Si quis in vendendo prædio confinem celaverit,quem emptor,ſi audîſſet,empturus non eſſet,teneri venditorem.* Hac etiam de re Themiſtocles Athenienſis, quum prædium ſuum venderet,præter communes laudes arceſſiri ſolitas à ſitu, à ſoli naturâ,à cœli temperie, ab ubertate frugum, atque proventu, ad extremum per præconem addi voluit,prædio illi bonum adhærere vicinum: quaſi nihil magis allicere poſſet emptorem,quàm boni vicinia.quis enim ignorat quantum contrà detrimẽti malus inferat plerunque vicinus [17]? profectò, ut eſt in proverbio, *Aliquid mali propter vicinum malum* [18]. *Adeò quidem,ut multi prætulerint carere penatibus, & propter injurias vicinorum ædibus profugere,relicto patrio ſolo, ut Achæi,Hiberi,Albani,Siculi,Pelaſgi, Aborigines, Arcades* [19]. Verùm audio adverſarium dicentem præferendum omnino Fiſcum, utpotequi privilegio innitatur. Sed ſanè adverſarius non meminit,neque partium Principis, neque ingenii Regum noſtrorum. Quod enim ad partes Principis attinet,quis neſciat iis,qui Reip.præſunt,utilitatem civium ſic tuendam, ut quicquid agant, ad eam referãt obliti commodorum ſuorum? Enimverò ut tutela, ſic procuratio Reip. ad utilitatem eorum,

[14] *l.54. ff.de leg.2.*

[15] *l.ult. C.de pact. inter empt. & vendit.*

[16] *l.35. §.8. ff.de contrah. empt.* Vide hac de re *Gothofr.ibidem.* Vide eundẽ in *l.1.§ 6.ff ſi quid in fraud. patr.* & ad *Nov.63. cap.* 1. videſis etiam *Gayll.* 2. *obſerv.69.*

[17] Hæc omnia ex *Ioan.Bapt.Maſcul. de Incend. Veſuv. lib.*10.

[18] *Ald. in Adag.*

[19] Verba *Colum.* 1.c.3.

eorum, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissa est, gerenda est [20]. scilicet caput est in omni procuratione negotii, & muneris publici, ut avaritiæ pellatur vel minima suspicio [21]. & nullum est vitium tætrius, quàm avaritia; præsertim in Principibus, & Remp. gubernantibus: habere enim quæstui Remp. non modò turpe est, sed sceleratum, & nefarium [22]. *Huc omnia referenda sunt ab iis, qui præsunt aliis,* inquit Cicero [23], *ut qui eorum in imperio erunt, sint quàm beatissimi: éstque ejus non modò, qui sociis, & civibus, sed etiam ejus, qui servis, qui mutis pecudibus præsit, eorum, quibus præsit, commodis, utilitatíque servire*. Alibíque legitur [24]. *Si Populo consulis, remove te à suspicione alicujus tui commodi. fac fidem te nihil nisi Populi utilitatem, & fructum quærere.* Quò pertinet lex illa duodecim tabularum [25]. *Salus Populi suprema lex esto.* Porrò nullâ re conciliare faciliùs benivolentiam multitudinis possunt ii, qui Reip. præsunt, quàm abstinentiâ, & continentiâ [26]. contrà verò avaritiâ Principes plus invidiæ sibi, quàm viriũ addũt [27]. Nullæ quidem opes, aut certiores sunt, aut utiliores, quàm quæ sunt apud subditos. hæ solæ stabiles, firmæque permanent, quibus Princeps, ubi necessitas postulet, utatur, ac fruatur cum voluntate, & studio subditorum. Hoc boni Principis menti: hoc successibus congruit prosperis, ut integra omnium patrimonia labore, & fortitudine

suâ

20 *Cicer. 1. de offic. l. 2. §. novissimè de Orig. jur. l. interdum, §6. §. pen. de furt. c. unic. de prohib. feud. alien. per Frid. cap. Imperialis t. 52. lib. 4. feud.* ibi. *Imperialis benevolētia proprium esse judicamus commoda subjectorum investigare.* Vide *Plin. in Panegyr. ad Trajan.* & *Arnis. de Rep. c. 1. sect. 3.*

21 *Cicer. 2 offic.*

22 *Cicer. ibid.*

23 *Cicer. ad Q. fratr. epist. 1.*

24 In *Cicer. pro L. Agrar. ad Popul.*

25 *Lex 12. tit. 2. c. 6.*

26 *Cicer. 2. offic.*

27 *Tacit. lib. 5. histor.*

suâ servet: summúmque adeò, & primum pietatis ejus munus est, Remp. ut domum paternam, & subditos, ut liberos diligere. Constans Imperator opes etiam publicas meliùs à privatis compluribus haberi censuit, quàm intra unum Principis claustrum reservari. Artaxerses regalius esse dixit dare, quàm accipere, & Ptolemæus magis ait decere Regem ditare subditos, quàm ipsum divitem esse. *Sit argumentum hoc tibi boni, & felicis imperii,* ait Isocrates [28], *ubi subditos curâ tuâ locupletiores, opulentioréſque factos esse intellexeris.* Ita quippe subditorum amor conciliatur, & quodammodò extorquetur: adepto autem subditorum amore, adipiscitur Princeps æternitatem imperii. *Magnum enim satellitium amor* [29]. Sanè, qui tutò regnare vult; operam dare debet, ut benivolentiâ magis, quàm armis stipatus regnet: unum est nãque Regi inexpugnabile munimentum, amor civium [30]. Nulla est Principi custodia firmior, quàm vera, & stabilis civium benivolentia [31], & frustra se terrore succinxerit, ni septus caritate fuerit [32]. *Tutissima Regum custodia*, inquit Isocrates [33], *non turribus, propugnaculis, mœnibus, satellitibus, aut armis continetur, sed amicorum præsidiis, civium benivolentiâ, propriâque virtute: quibus quidem opibus regna & imperia non modò servantur, verùm etiam in dies augentur, & propagantur.* Scribítque Plutarchus [34]. *Non metus, ac vis, non caterva innumerûm stipantiũ, non*

28 *Isocrat. ad Nicocl.*

29 *Symbol. Salom. Valer.*

30 *Senec. 1. de Clem.*

31 *Plutarch. in Arat.*

32 *Plin. in Paneg.*

33 *Isocr. ad Nicocl. Reg.*

34 *Plutarch. in Dion.*

non immensum barbarorum satellitium: sunt adamantina ista Principum vincula: sed benivolentia, studium, gratificandíque voluntas ex virtutis reverentiâ civibus ingenerata, quæ, ut rigidis istis, & duris vinculis molliora esse videntur, sunt tamen ad perpetuitatem regni firmiora. Sed quîd ego tecum, viro sapientissimo, cunctísque imperãtibus specimine, tam multam de civili scientiâ orationem habeo? planè animadverteras adversarium muneris principalis amisisse memoriã, itémque amisisse memoriã naturæ Regũ nostrorũ. Quis enim sit usque-adeò peregrinus, ut nesciat apud Hispaniæ Reges justitiã semper, nunquam licentiam valuisse? Quis nesciat, eos Legibus alligatos se Principes (dignam sanè vocem majestate regnantis [35]) omni tempore fuisse professos, & nunquam non existimâsse majus imperio esse, submittere Legibus principatum? Quis nesciat, eos eâ sapiẽtiâ fuisse, ut in Legibus scribendis, nihil sibi, nisi suorum civium incolumitatem; nihil, nisi salutem, atque utilitatẽ Reip. proposuerint? Imo-verò quis nesciat, eos, non modò quod obesset scribere nunquam voluisse, verùm-etiam, si scripsissent, quum esset intellectum, repudiatum iri legem intellexisse [36]? Ecquis tandem nesciat, sæpesæpius apud nos vinci Fiscum (gloria Principum præcipua [37]) ejúsque causam malam esse? *Adeò subjecti sunt Legibus Reges Hispaniæ,* inquit Saavedra [38], *ut Fiscus in cau-*

[35] *l.* 4. *C. de L. L.* & oraculum auro dignum, & cedro, *Gothofr. ad cit. l.* 4.

[36] Vide *Saavedr. symb. polit.* 65.

[37] *Plin. in Pan.*

[38] *Saavedr. symb. polit.* 21.

cauſis patrimonii regii eandem aleam ſubire debeat, quam quivis alius ſubditus, & in caſu dubio pro condemnato habeatur. Ergóne, inquiet adverſarius, *nulla Fiſco prærogativa?* nulla quidem, ſi expreſsè, apertéque illi data non ſit [39]. nonnullas ei eſſe datas ultro confiteor [40], ſed ſi data non oſtendatur; nihil eſt quamobrem uti jure communi non eum deceat [41]. *Ex imperfecto teſtamẽto*, inquit Paullus [42], *legata vel fideicõmiſſa Imperatorẽ vendicare, INVERECUNDUM* eſt: *DECET enim tãtæ majeſtati eas ſervare leges, quibus ipſe SOLUTUS eſſe VIDETUR* [43]. Imo-verò non putat Modeſtinus [44], delinquere eum, qui in dubiis quæſtionibus contra Fiſcum facilè reſponderit. nempe *Felix Reſp. in quâ cauſæ Principis deterioris conditionis ſunt* [45]. Audi, obſecro, Theodericum ad Fiſci ſui Advocatum ſcribentem [46]. *Sume igitur*, inquit ille, *Fiſci noſtri tuenda negotia, in utendis officii tui privilegiis, deceſſo-*

39 *Tiraquel. de retract. lignag.* §. 1. *gloſ.* 14. *num.* 100.

40 *Tot. tit. ff. de jur. fiſci*, & *C. de priv. fiſc.* Vide *Cujac. obſerv.* 26. *c.* 35. & *obſerv.* 15. *c.* 30. Vide etiam *Gothofr. ad Nov.* 105. *c.* 2. §. 4. & *Aamay. in cõment. ad tit. C. de jur. fiſci, lib.* 10. *Peregr. de jur. fiſc.* & *Farin. in fragm. verb. Fiſcus.*

41 *Tiraq. ibid. Fab. in ſuo C. tit. de priv. fiſci, def.* 1. *num.* 1. *in not. Amay. ad l.* 1. *tit. cit.* & *obſervat. lib.* 3. *c.* 2.

42 *l.* 23. *ff. de leg.* 3.

43 Recte ait. *videtur*, nec enim verè ſolutus eſt legibus, quin legibus alligatus eſt. *Sunt verba Gothofr. ad cit. l.* 23. Nam quod legimus legibus ſolutũ, *l.* 31. *ff de L. L.* de pœnis intellige. *verba ejuſdem in l.* 4. *C. de L. L. Solutus eſt* (Princeps) *legibus caducariis, fateor, ſolutus pœnariis: ſolutus eſt etiam quibuſdã aliis legibus, non utique omnibus.* Verba *Cujac. cit. c.* 35. Vide eundem *Cujac. cit. c.* 30. Imo-verò *non eſt Princeps ſupra Leges, ſed Leges ſupra Principem. Plin. in Paneg. ad Trajan. Hæc mihi dicta ſint de Legibus*, inquit Apollonius Thyaneus ad Domitianum, *quas ſi tibi imperare non putaveris, ipſe non imperabis.* Vide *Gothofr. ad cit.* §. 4. Roget quis. *Nonne omnia Principis ſunt? l.* 4. *C. de quadr. præſcript.* Sunt ſanè, ſed imperio, non dominio. nec enim quæ tua ſunt, Principis ſunt, aut certè tua non ſunt; quoniam dominium in ſolidum duorum eſſe non poteſt, & communia quoq; eſſe inter te, & Principem dixerit nemo. *Cujac. cit. cap.* 30. *Scitè Tertull. lib. de Idolatr. hanc adulatorum ferocem ſententiam ſic eludit. Quid erit, inquit, Dei, ſi omnia ſunt Cæſaris?* Verba ſunt *Gothofr. ad cit. l.* 4. *C. de quadr. præſcript.* Sanè nihil aliud in ea lege dicitur, quàm quod omnia, tam fiſcalia, quam patrimonialia (de his enim tantùm ibi agitur) Principis eſſe intelligantur. *Gothofr. ibid.* & *fiſcalia quoque ipſa propriè Principis non ſunt.* Verba *Cujac. cit. c.* 30.

44 *l.* 10. *ff. de jur. fiſc.* Qua de re vide *Amay. ad l. unic. C. de pœn fiſcal. lib.* 10.

45 Verba *Saavedr. cit. Symb.* 21.

46 Apud *Caſſiod. var.* 1. *ep.* 22.

rum exempla ſecuturus. Ita ergo per medium juſtitiæ tramitem moderatus incede, ut nec calumniâ innocentes graves, nec juſtis petitionibus retentatores exoneres (illa enim vera lucra judicamus, quæ integritate ſuffragante percipimus) Non ergo quoties ſuperes, ſed quemadmodum vincas inquiramus. Æquitatem nobis placitum intende: non quæras de poteſtate noſtrâ, ſed potiùs de jure victorias, quandò laudabiliùs à parte Fiſci perditur, cùm juſtitia non habetur. Nam ſi dominus vincat, oppreſſionis invidia eſt, æquitas verò creditur, ſi ſupplicem ſuperare contingat. Non ergo parvo periculo cauſas dicimus, quandò tunc fama noſtra proficit, cùm ſe commoditas injuſta ſubducit. Quapropter fit interdum cauſa mala Fiſci, ut bonus Princeps eſſe videatur. Majori quippe compendio perdimus, quàm ſi nobis indebitè victoria ſuffragetur. Sed fac, Excellentiſſime Domine, fac, inquam, Fiſcum eo privilegio potiri, ut liceat adverſario Ducē oppido illo privare: númne honeſtè id faciat [47]? Indecorum quippe eſt tanti Ducis turbare quietem, eúmque oppido proprio, propriáque domo depellere. Vtquîd illum iis ædibus exigere, in quibus fumoſiſſimas majorū habet imagines? in quibus parentes conſenuerunt, defecerúntque? in quibus ipſe natus, lactatus, educatus? Vtquîd eum detrudere oppido, in quo habet affectionem opportunitatis, vicinitatis, & cœli? in quo majorum ſepulcra ſunt? quod à majoribus conditum, à parentibus poſſeſſum,

[47] Non omne, quod licet, honeſtū eſt. *l.* 144. *de reg. Iur.*

ſum, ab ipſo ſervatum? Vtquîd commoda hæc adimere Primati, Primati, inquam, ex regio ſanguine genus, nempe ex Auſtriacis deducenti [48]? Vtquîd hæc adimere Optimati, æquè morum, ac generis nobilitate, non modò Italiâ, ſed toto Orbe terrarum longè præclariſſimo? Vtquîd háſce commoditates eripere Heroi parato, pro Rege, omnia perpeti, imo-verò ad necem ipſam paratiſsimo? Cùm Adria, tempeſtate hiemali, perfrigido, Iulia verò, & miti, & vernanti ſit cœlo; utquîd hãc eripere Duci, qui, paucis ab hic annis, eam, ſub dio, multíſque vigiliis, dum rebellium ab armis pene periret, ſalvam, & incolumem conſervavit? Vtquîd vicinitatis commoda denegare illi, qui, pro Rege, itinerum, bellorúmque labores, incommoda, pericula non recuſat; imò deſiderat, exoptátque: ardétque cupiditate incredibili, ut ſibi ſit occaſio largita? Vtquîd háſce opportunitates denegare illi, cujus majores, longè, latéque pro Regibus peregrinati ſunt: fortiter, ſtrenuéque bellârunt, eíſque multa parando, proprias opes, eaſdémque multas, ſanguinem, & vitam quàm libentiſſimè profuderunt? Poſſem in hanc rem citare pleroſque omnes Hiſtoricos, qui mihi unâ voce Aquavivorum Heroum illuſtria, & glorioſa facta demonſtrant. Poſſem admodum multa Regum diplomata, codicillóſque proferre, qui hæc omnia planiſſima facerent; ſed

48 *Scagl. de Antiq. Terra Labor. & Prosper. de Cantelm.* apud *Cãp. de Fam. illuſtr. Ital.*

quîd plura in rebus notiſſimis, apertiſſimis, manifeſtiſſimíſque? Non tibi moleſtum erit audire, quæ de Iuliæ conditore Iulio-Antonio Rex Ferdinandus teſtatur [49]. *Cùm in mentem Nobis veniunt magna merita, & officia Ill. olim Iulii-Antonii de Aragoniâ Aquavivi, Hadriæ, Theramíque Ducis, Converſani, & S. Flaviani Comitis, quibus Nos quocunque tempore, conſtantiſsimo animo proſequutus eſt: NIHIL eſt, quod ejus jucundiſsimæ memoriæ, ipſiúſque Familiæ NON DEBERE exiſtimemus: ejus enim opera, fides, officium, non minùs in bello, quàm in ocio, & non minùs foris, quàm domi, utile perpetuò Nobis fuit. Erat enim his animi, & corporis virtutibus præditus, ut nulla tam ardua, tam difficilis res eſſet, quæ ejus fidei, & induſtriæ mandari non poſſet, & quam ipſe non libenti animo noſtrâ cauſsâ ſuſciperet, & commodiſsimè, ac ex noſtrâ ſententiâ perageret. Superioribus annis, cùm in Burgundiam, ad Ill. olim Carolum Burgundiæ Ducem Ill. filium noſtrum Federicum legaviſſemus, freti ſingulari virtute, & integritate ipſius Ill. Iulii-Antonii, eũ proficiſcenti filio comitem dedimus: qui tãtâ, apud ipſum noſtrum filium, in ipsâ Burgundiâ, virtute, & integritate ſe geſsit, ut ipſi noſtro filio gratiſsimus ſemper fuerit. enituit enim in eâ peregrinatione ſingularis ejus virtus, modeſtia, conſilium, integritas, quibus ipſi noſtro filio adeò profuit, ut de Nobis optimè meritum dijudicaverimus. Exortum eſt deinde bellum Hetruſcum, in quo ejus operâ, ob rei militaris peritiam, & uſum, præcipuè uſi*

ſumus,

[49] In literis datis ad D. Andream-Matthæum Iulii-Antonii primogenitũ, die 35. Maii 1481.

ſumus, & in Liguriâ apud Genuam, & in Hetruriâ, ubi bellum gerebatur, virtus ejus longè maxima fuit: egregiam enim operam Nobis navavit, & effecit, ut multa feliciſsimè in eo bello geſta, ejus virtuti accepta retulerimus. Sequuto deinde tæterrimo, & nefario Turcarum noſtræ fidei hoſtium bello, qui urbem noſtram Hidruntum, ex improviſò imparatam aggreſsi, vi expugnaverunt, ipſum Ill. Iulium-Antonium ex Hetruriâ, quæ jam confecto bello pacata erat, ad id ipſum bellum accerſivimus, in quo multa circa eam urbem adverſus hoſtes, ſuo inſtituto, & conſuetudine digna adminiſtravit, cùm ſe ſemper magno animo hoſtibus opponeret, & ultro etiam eos laceſſeret, averterétque ipſorum conatus, & latrocinia, quibus omnia infeſtabant, prohiberet. ſed accidit (quod nō ſine ſummo mærore commemorabimus) ut quodam die, cùm hoſtes, qui prædatum ex urbe exierant, prædâ eis vi ereptâ, acriùs proſequeretur; eruptione ab iis, qui in urbe remanſerant factâ, dum fortiſsimè pro Religione, pro Fide, pro Regni libertate pugnaret, miſerando caſu, publico omnium luctu occubuerit. cujus interitum tam alieno tempore acerbiſsimè tulimus, & tanti viri jacturam, VT DECVIT, vehementer indoluimus. Cùm igitur toto ipſius vitæ curſu de Nobis ſemper bene mereri ſtuduerit, & bene merēdo, in ipſo bello mortem oppetierit; noſtri officii putavimus INSIGNI aliquo argumento oſtendere quantoperè ipſum Ill. Iulium-Antonium, dum viveret, diligeremus, & quàm gratâ, & jucundâ memoriâ mortuum proſequamur. Quare,

cùm

dum convêrtit. Subitò caſtra metari, ſtatímq uc vallo,foſsáque cingere:tormentarias ſedes loca-re: obſidionales acceſſus inſtituere: ſuffoſſiones agere. Deinde copias multifariàm dividere:impetibus repentinis oppidanos percellere: majoribus tormentis mœnia quatere:multis murorum partibus, ſcalis admotis, inſtare: cuniculos ſuccendere, & nihil non facere quò Iuliâ potiretur. Ioſias autẽ,nullâ re magis armatus,quàm ſe ipſo, oppidanos primùm divino numini reconciliat: illis maximè lætum,intrepidúmque vultum oſtẽdit:improviſo popularium adventu perterritos, hilaritate, atque oratione confirmat. Deinde portis munimenta perſtruere: cuſtodias, & ſpeculatores collocare:vigilias ad tempora commoda, æqualitérque dividere: in eâ oppidi parte, quâ faciliùs adiri poterat,& quæ hoſtium inſidiis erat maximè opportuna,vigiles opulentiores,honeſtiſſimóſque ſtatuere. Ne vigiles novas res molirentur, occulta conſilia per cataſcopos explorare: ne qua culpa emergeret,per circitores cavere. Si qui oppidani, lenti, & remiſſi erant, periculum imminere utiliter ſimulabat:ita tamẽ, ut non pavidos, ſed cautos efficeret:ſe séque in ſpecies varias conformabat. Curare ut plurimi vigilarent, obſervaréntque per noctem omnia: curare ut nemo vigilum noſceret, neque ubi ſtationem eſſet habiturus,neque in quâ oppidi parte

ta fides,ingenium,humanitas! Quàm bene novit refrænare libidines,iracundiam tenere,coërcere avaritiam, ceteráſque animi voluptates repellere! Quæris caſtum imperatorem,ne voluptuariis diſtractus hinc-inde cupiditatibus, rerum curam inſuper habeat maximarum? Ecce tibi Ioſiam ſemper ſine libidine,ſemper ſine turpitudinis notâ. Quæris ſobrium,ut in arduis negotiis parandis,putandíſque pervigilet? Ecce tibi Ioſiam,cujus cogitatio multa noctu molitur,ac perficit.Vis laborioſum,ut per ſe operetur,ut nunquam à militiâ deficiat? Do tibi Ioſiam,laborum patientiſſimum, quíque primus operi manum admoveat, exemplóque ſuo milites provocet.Placet acutus, & perſpicax, ut tumultibus,rebúſque inopinatis, tumultuariâ, utilíque conſilii ratione occurrat? Accipe Ioſiam, virum acri, ſubtili, igneóque ingenio,mentíſque celeritate,multa ſimul agitante velocem.Amas dicendi peritum,quòd imperatoris vehementi concione erecti, excitatíque milites, ardua quæque, & formidoloſa deſpiciant:& propoſitam in laudem, victoriámque acriter decertando conſpirent? Ioſias hic eſt;nempe Otioſorum Academiæ Princeps, quâ Academiâ nihil ſanè totâ in Italiâ eruditius, nihil ſanè præclarius.Deſideras auctoritate præſtantem, quòd vehementer pertineat,ad bella adminiſtrãda, quid hoſtes, quid milites de imperatore exiſtiment?

hoſtes ibi Ioſiam præcipuè reformidabunt, quoniam aliàs fuſi, peſſundati, atque ad nihilum ab eo redacti: milites verò, oppidani, adjacentéſque, optimis ſub eo præliabuntur ominibus, quoniam aliàs, eo imperatore, hoſtes profligârunt: ejus imperio facillimè parebunt, dicto audient, periculis ſubvenient, decertantem protegent, nec deficient: *eſt enim naturâ pleriſque populis, urbibúſque conſenſus quidam protegendi, amandíque ſuos dominos, ita ut pro Diis colant* [51]: maximè verò illis, quoniam ibi jucundiſſimè regnat. Quæ hactenus dixi, Excellentiſſime Domine, pro eo, quòd mihi propoſitum erat oſtendere, ſatis utique ſupérque ſunt. Sed nondum adverſarius acquieſcit, útque Iuliã Dux non habeat, omnem movet lapidem, omnia molitur. Ait ex Rege non eſſe, ab Duce oppidum poſſideri, quòd hic Adriani maris illud alluentis opportunitate, frumentum in naves clam imponere, occultéque exportare valeat. Verùm ſi hoc rationi conſonat; ratione majore poterit adverſarius unicuique numos eripere: hi enim non modò queunt augere; verùm-etiam, ut ait Seneca [52], augent diſcordias: urbes, & terrarum orbem in bellum agitant: humanum genus, cognatum naturâ, in fraudes, & ſcelera mutua inſtigant. Nũ ſit peccatum poſſe peccare, ſi non peccare quum poſſis, laudabile eſt, præclarum, & glorioſum? Quid quòd non ſolùm potentiæ, ſed cogitationis

[51] Verba Senec. 1. de Clement.

[52] M. Senec. contr. 14. lib. 2.

pec-

peccati pœnam nemo patitur [53]? *Ecquis tandem est nostrûm,* inquit Cato [54], *qui quod ad sese attinet, æquum censeat quempiam pœnas dare ob eam rem, quòd arguatur malè facere voluisse? nemo opinor, nam ego, quòd ad me attinet, nolim.* Facta sola censenda sunt, atque in judicium vocanda: volũtates nudæ, inanésque, neque legibus, neque pœnis fiunt obnoxiæ [55]. *Philosophorum id est, scelera mente metiri; Nomothetarum manu* [56]. Eleganter Cicero [57]. *Aliter Leges, aliter Philosophi tollunt astutias: Leges, quatenus manu res tenere poßunt: Philosophi, quatenus ratione, & intelligentiâ.* Vides hinc porrò, Excellentissime Domine, vides hinc, quàm vitiosè, mendoséque adversarius argumentum colligat, concludátque. profectò si ejus consecutio, nedum necessaria, sed probabilis esset; esset Duci quàm maximè verendum, ne aliquando, hac ratione, urbibus, oppidísque omnibus privaretur: nam ferè tota ejus regio ab Adriatico mari alluitur. An-nõ aderat hæc opportunitas, quũ Ducis majores oppida, urbésque ab Regibus quæsivere? an-non aderat res frumentaria? an ipsum mare non aderat? quid igitur adversarium movet? an vellet à tot Regibus summo consilio peracta rescindere?

L 2 An

53 *l.18. ff. de pœn.* Humanis legibus scilicet; secus divinis. *Exod. 22. Deuteron. 5. Marc. 5. Rom. 7. Ad Tit. 2. 1. Petr. 2. & 2. Petr. 1. Ioan. 2. c homicidium de pœn. dist. 1.* & alibi. Quin etiam conatus ipse, nonnisi in atrocissimis, eadem pœna, qua perfectum crimen, sed mitiùs extra ordinem puniẽdum. quã sententiam universæ propemodũ Europæ consensus probavit. *Clar. q 92. Menoch. 2. de arbitr. cas. 360. Tiraq. caus. 37. 38. & seqq. Anton. Matth. de crim. tit. de pœn. c. 4. Carpzov. pract. crimin. par. 2. quæst. 72.* Imò *Carpzovio q. 17.* ne in atrocissimis quidem conatum ordinaria pœna puniri placuit, nisi lex ipsa hoc dicat. Et quanquã judex, pro re, pro persona, possit quãdoque atrocissima conanti, ordinariam pœnam infligere tamen magis sibi consulet, si ab hujusmodi pœna se abstineat *Carpz ibid.* Conatum autem tunc intellige, si fuerit deventum ad actum proximum, & immediatum ipsi maleficio *Carpz ibid.* 54 *Cato* apud *Agell. 7. Noct. 3.* 55 *Agell. ibid.* Adde *225. de verb. signif.* 56 Verba *Anton. Matth. de crimin prolog. c. 1.* 57 *Cicer. 2. offic.*

An putet adverſarius,Ducem hũc avitos mores, diſciplinamque minimè imitaturum? Vivit ſanè Ioſias moribus antiquis: vivit moribus innocentiſſimis:vivit optimorum hominum inſtituto: repræſentat majores ſuos. imò quæ in ſuis majoribus ſuſpici ſolent, admirationem amittunt, ſuarum collatione,atque admiratione virtutum.Sed iterum adverſarius in Ducem inſurgit, illíque moleſtiam exhibere nequaquam deſiſtit. clamitat à Duce non ſemel ibi flagellatam annonam, eíque caritatem illatam.Si verum id eſt,Excellentiſſime Domine, ego quidem dedere manus, méque victum fateri haudquaquam recuſo, nihil ſanè refragor,nihil ſanè repugno. Sed quî adverſarius iſta reſcivit?Ait crebris delationibus ſibi indicata, detectáque.Præclarum, hercule, pulcherrimúmque reſponſum! Ergo omnium delationibus decet habere fidem? Ergo ex libidine, ex ſimultate, ex levitate delatorum,cauſas honeſtorum hominum ponderamus? Non hac, non hac certè mente erat Apollonius: ille enim,percõtanti Regi, quâ nam ratione tranquillè,& pacatè regnum adminiſtraret ſuum, reſpondit: *Si paucis fidem habeas.* neque illud ſanè immeritò; nã qui facilè audit, facilè credit: qui autem facilè credit,facilè fallitur.quod vitio datum olim fuit Tiberio,& Domitiano, qui rapinæ ſupra modum ſtudioſi,& cupidi, ita delatoribus aures patefecere,

re,

re, ut nihil cuique tutum esset, aut sanctum [58]. Laudatur hoc nomine Caligula, quòd negârit se delatoribus aures habere [59]. Laudatur Vespasianus, quòd delatores flagellis, ac fustibus cæsos, ac novissimè traductos per amphiteatri arenã, partim subjici in servos, ac vænire imperaverit, partim in asperrima insularum avehi [60]. Laudatur hoc etiam nomine Pertinax Imperator, cui Senatus, post mortem Commodi, acclamavit his verbis [61]. *Nunc securi sumus: delatoribus metum. Vt securi simus; delatoribus metum: salvi simus; delatores de Senatu. Delatoribus fustem te salvo. Delatores ad leonem te imperante. delatoribus fustem.* Sed faciamus à fide dignis id adversarium audivisse: egítne justè, æquéne egit, Duce inaudito, conductionem illi impediendo? Respondet Plato. *Ne judica, nisi utrosque audieris.* Respondet Solon. *Injusta quum imperas, & justa audi simul.* Respondet Sophocles. *Audi vicissim, & cognitam rem judica.* Nunquid enim lex nostra judicat hominem, nisi priùs audierit ab ipso, & cognoverit quid faciat [62]? *Divi Severi, & Antonini Magni rescriptum est, ne quis absens puniatur. & hoc jure utimur, ne absentes damnentur. Neque enim inauditâ causâ quenquam damnari æquitatis ratio patitur* [63]. *De unoquoque negotio*, inquit Paullus [64], *præsentibus omnibus, quos causa contingit, judicari oportet.* Quo enim pacto quispiam, aut jus rectè dicere, aut homines

58 *Tranquill. in eor. vit.*

59 *Idem in Calig.*

60 *Idē in Vespas.*

61 *Lamprid. in Cōmod.*

62 *Ioan. 7. in fin.*

63 *l. 1. ff. de requir. vel absent. dānand.*

64 *l. 47. ff. de re jud. Vide l. 39. ff. de adopt. & l. 29. § ult. ff. de minor.*

re-

rectè judicare poteſt, ſi utrunque litigatorem non audierit? Quî poterit Iudex inauditâ parte, cuncta rimari, & ordinem rerum, pro officio, plenâ inquiſitione diſcutere [65]? *Vetus diſciplina judiciorum eſt*, infit Cicero [66], *neque hominem nocentiſsimũ abſolvere, neque eum, de quo orta eſt ſuſpicio, re incognitâ condemnare*. Scribítque Plutarchus [67]. *Neminem inauditum damnari oportet, ne quidem nocentem, ne tandem id innocenti fiat*. Atque hac ratione Alexander Magnus, quum ſederet judex, ſiniſtrâ manu aurem dexteram occludebat, ſignificans hoc geſtu, ſe alteram quidem aurem præbere actori, alteram verò integram reo conſervare [68]. Audiſti, Excellentiſſime Domine, quàm vana protulerit adverſarius; ſed audies etiam vaniora. nempe incredibile eſt quàm illius voluntas ſit obſtinata obfirmatáque. Nihil omnino eſt veritus dicere, Ducem Iuliâ detrudendum, quòd ipſe ſuſpicetur futurum, ut ibi Dux annonam incendat. Ego quidem, ut verum fatear, hanc rationem ſatis mirari nõ poſſum: quis ènim ſit innocẽs, ſi in ſuſpicionẽ veniſſe ſufficiat? velim mihi narraret adverſarius quẽ in modũ Dux, tanti criminis ſuſpicionẽ ipſi præbuerit. eſto, præbuerit; nũ illi propterea queat pœna irrogari; hoc-eſt nũ queat Iuliâ interdici? Audi, quæſo, Vlpianũ. *Sed nec de ſuſpicionibus*, inquit ille [69], *debere aliquẽ dãnari Divus Trajanus Aſsiduo Severo reſcripſit*. Video jam adverſa-

65 cap. 11. 30 q. 5. l. 9 C. de judic. l. 1. C. Th. tit. 18.

66 Cic. pro Cluẽt.

67 Plutarch. apud Aerod. rer. jud. lib. 6. c. 23.

68 Plutarch. in Alex.

69 l. 5 ff de pœn.

versarium, nullam aliam, quâ me premat, hastam habere, nisi si dicat se ita velle, se ita jubere. Si dicat; eloquar, an sileam? Planè si munus animi est ratione uti [70]: si efficiendum ut appetitus rationi obediat [71]: si nihil est, non dicam in homine, sed in omni cœlo, atque terrâ ratione divinius [72]: denique si societatis humanæ vinculum est ratio, neque ullâ re aliâ absumus à naturâ ferarum [73]; turpissima sanè sunt illa. *LICET, SI LIBET* [74]. *IN SVMMA FORTVNA ID ÆQVIVS, QVOD VALIDIVS* [75]. Contra verò pulcherrima: *MINIMVM DECET LIBERE, CVI NIMIVM LICET* [76]. *CVM OMNIA POSSIMVS, SOLA CREDIMVS LICERE NOBIS LAVDANDA* [77]. *Est sapiētia Iudicis in hoc*, inquit Cicero [78], *ut non solùm quid possit, sed etiam quid debeat, ponderet: nec quantum sibi permissum meminerit, sed etiam quatenus commissum sit*. Nihil est profectò exitiosius civitatibus, nihil tam contrarium juri, & legibus, nihil minùs civile, & humanum, quàm constitutâ, & compositâ Repub. quicquam agi per vim [79]. Sed longiùs, quàm putâram, Excellentissime Domine, mea progressa est oratio. Longiùs, inquàm, quàm putârã, & fortasse lõgiùs, quàm oportebat. Númne, Rege Philippo, Prorege Te, stet adversario pro ratione voluntas? Scis optimè, Excellentissime Domine, scis Adriæ Ducẽ, nullo stimulo cupiditatis, sed solo respectu avitæ memoriæ, ad

Iu-

70 Cicer. Tusc. 5.
71 Idem offic. 1.
72 Idem 1. de L.L.
73 Idem offic. loc. cit.
74 Spart. in Anton. Carac.
75 Tacit. 15. Annal.
76 Senec. Troad.
77 Theodor. apud Cassiod. var. 10.
78 Cicer. pro Rabir.
79 Cicer. 3. de L.L.

Iuliæ conductionem adduci. Scis virum alieni non appetentem, suæque rei munificum, & liberalem, non tam angi oppidi damno, quàm pudore: oppidúmque illud ut habere conetur, non avaritiæ studio, sed verecundiæ necessitate compelli. Tribuere ergo dignare votis suis, precibus meis, moribus tuis, ut ad conductionem Iuliæ, te imperante, perveniat, cui oppidum à majoribus conditum: à parentibus possessum: ceteris urbibus suis, oppidísque finitimum: in quo majorum sepulcra sunt: cujus habet dominium: quod sibi non solùm notum; verùm-etiam inter lactantis infantiæ rudimenta reptatum, in juventute verò, periclitans inter arma, servatum, sicut conduxisse parùm fructuosum; sic non conduxisse nimis videretur ignavum.

PRO EPISCOPO SATRIANI D. IOANNE CARAMVELE

CERTAMEN V.

ARGVMENTVM.

Salvianis Caſtellaro interdicendum: idem Caſtellarum nulli ſervituti obnoxium; ſed pleno jure ad Epiſcopum Satriani pertinere defendit.

EST uſque-adeò æqua, P.C. eſt uſque-adeò facilis, atque explicata Magni [1] Caramuelis Epiſcopi Satriani cum Salvianis cauſa, ut non poſſim non demirari, quòd Iudices varia ſenſerint, & rem injudicatam reliquerint. Neſcio ſanè quo fato id factum ſit; examinata enim res eſt apud Iudices incorruptos, atque inadulabiles, & quà ſcientiâ, quáve conſtantiâ præclariſſimos. Vt obſequar eidem totius Europæ

[1] *Magnum* cum appellat Gallia, quod ſummoperè diſplicuit Iãſeniſtis, quibus, ut & ceteris omnib' Hæreticis, eſt odio, ut eſt terrori Caram. *Magnũ* appellat Veneta Civitas, quæ, quũ ejus Theologiam regularem recuderet, hunc illi titulũ inſcripſit *MAGNI CARAMVELIS OPVS*,

pæ ornamento [2] Caramueli, cujus mihi & nutus pro imperio ſunt, rem vobis ob oculos ponam, planámque faciam; & ſpero futurum, ut non modò vos, P.C. ſitis Epiſcopo cauſam adjudicaturi, ſed ii etiam ipſi, qui in adversâ opinione fuerunt, à ſententiâ deceſſuri. Rem totam ordiar ab initio, & quâ majore potero brevitate ad extremum perducam. Agam verò vobiſcum legibus, & rationibus præſertim; paucis autem, & non proletariis Auctoribus; imò agam pauciſſimis; debet enim opinionum probabilitas, non ab arbitrio, & numero Auctorum, ſed ab ratione pendere [3]. Inter ea, quæ poſſidet Satriana Eccleſia, eſt *Caſtellũ, quod vocatur Caſtellarum, eidem Eccleſiæ, Epiſcopo, & ſucceſſoribus* donodatum à Goffrido, Satriani *Dei gratiâ* Comite, anno MXI; hoc-eſt antequam hæc Sicilia in Regnum abiret, uniúſque imperio ſubderetur, dono, inquam, datum *cum omnibus rebus ſuis, mobilibus, & ſtabilibus, cum pertinentiis, cum Villanis, cum ſeculari dominatu, & nihil penitùs ſibi Comite reſervãte.** Ab eo tempore, nonniſi exigua per intervalla illud Eccleſia poſſedit, nam ſæpenumerò à Potentioribus occupatum eſt. Occupatum eſt multò ante annum MCDXXII, quo anno ab Reginâ Ioannâ, ejúſque Conſilio, re diligenter examinatâ, his verbis eſt imperatum ut Eccleſiæ redderetur. *Decernimus dictum Epiſcopum* (Satriani) *ſuo nomine, & dictæ Eccleſiæ* (Satriani) *redinte-*

[2] Eruditiſſimus ille vir P. *Angelicus Aproſ. Ventimil.* ſub nomine Scioppii, in notis ad eruditiſſimũ *D. Antoniũ Muſcet. in trag.* cui titulus. *La Beliſa, act. 5. ſc. 6. v. 26.* ſic habet. *Di Caramuele, cioè à dire del più raro ingegno, che da un tempo in quà habbia veduto l'Europa.*

[3] *In omnibus*, inquit *Caramuel Theol. fund. nu. 1330. plus rationi, & dialectica, quàm authoritati detuli: non enim quaro ſententias, qua hominibus placeant, ſed qua veritati conſentiant.*

* Verba tabularũ ipſius donationis.

dintegrandum, & reponendum esse in possessioné, vel quasi, dictorum bonorum(Castelli Castellari)*jurium, & affidarum, in integrum, & in totum, amotis quibuscunque occupatoribus, & quòd eidem Episcopo, & Ecclesiæ AB OMNIBVS debeat responderi.* Non multo post, quum eadem Ecclesiæ jura ab Satriani Comite conturbarentur; ejus rei, etiam ex regiâ potestate, statuti sunt Arbitri, arbitriúmque anno MCDLXXXVIII, hoc pacto prolatum: *Declaramus Castellū Castellarū inhabitatum, cum EIVS territorio, tenimento, & pertinentiis omnibus PLENO IVRE spectare, & pertinere ad dictam majorem Ecclesiam*(Satriani)*quod ad ejus dominium, possessionem, & plenam proprietatem, etiam respectu fidæ, & diffidæ, aquarum, herbarum, & spicarum.* Quum iterum fuisset invasum, litigatúmque ab anno MDXIX, ad annum usque MDXLIII; damnatus est per Sacri Consilii sententiam invasor ut illud Episcopo restitueret. Vt visum est in manu Episcopi, hoc est impotentioris, imò absentis domini(erat enim ille Bononiæ) populatim vicini ad illud confluxere veluti ad prædam. Salviæ Baro, per speciem, quòd illud esset intra Salviæ limites, cœpit in eo vectigal exigere, quod nuncupant *Plateaticum*. Salviani, Titani, ceteríque Populi affines, cœperunt pecora illuc pastum appellere, & Ecclesiæ jura multifariàm conturbare. Peracta est lis inter Episcopum, Baronémque, & per Sacrum Consi-

lium,anno MDLII, ita pronuntiatum: *Hac noſtrâ diffinitivâ ſententiâ,manu-teneri,& conſervari mandamus Epiſcopum* (Satriani) *in quaſi-poſſeſsione exigendi jus Plateæ AB OMNIBVS, & quibuſcunque ementibus, & vendentibus in Caſtello Caſtellaro, EIVSQVE territorio.* Ad Populos autem turbatores arcendos, Provinciæ Præſes edicto ſancivit,ne quis ſuis pecoribus in territorium illud invaderet,néve illuc,invito Epiſcopo,detrimenta importaret. Præter Titanos, fuere cuncti dicto audientes; ſed anno MDXLVI, hos arcuit Sacrum Conſilium hoc decreto: *Per Sacrum Conſilium proviſum eſt,dandum eſſe, prout præſenti decreto datur terminus juris ad probandum incumbentia, & INTERIM Vniverſitas Terræ Titi ABSTINEAT.* Nonnullis poſt annis; anno ſcilicet MDLXVIII, iterũ Salviani inſurrexere: cúmque Epiſcopus eâ de re iis diem ad Sacrum Cõſilium dixiſſet; agnoſcentes iniquam ſe cauſam habere, turbamento abſtinuerunt. Quum autem Salvia nuperis annis Paullo Laviano fuiſſet venundata; cœpit novus hic Baro veteres & ſepultas olim jam controverſias excitare, atque ad exagitandum Epiſcopum Salvianos omnes ſummopere inflammavit. Contendit Baro (quanquam judicium non eſt perſecutus, quòd perſequi forſan verecundetur) ſe habere juriſdictionem, & jus; quinetiam quaſi-poſſeſſioné in ejus Caſtelli agro exi-

exigendi vectigal, de quo paullò ante meminimus. Contendunt Salviani, se ab eodem vectigali immunes: se habere jus, & quasi-possessionem illuc pecora ad pastum, atque aquam appellere, ibíque sementem, spicilegium, & ligna conficere, ac pleraque alia. Vt illos Castellari Prætor arceret, edicto sanxit, ne fines ingrederentur. Ductum est inde negotium ad Magnam Curiam, à quâ hoc exiit decretum: *Capiatur informatio quis sit manu-tenendus in possessorio interim*. Re autem in Sacrum Consilium relatâ, inter pares numero Iudices, dissonæ sententiæ sunt prolatæ, delectíque vos estis, P.C. ad hanc rem terminandam. Illud in præsentia apud vos, P.C. certatur, an Salviani debeant illis finibus interim abstinere, dum de servitutis usu pleniùs cognoscatur. Memini me, P.C. anno superiore epistulam ad Caramuelem dedisse, quâ probavi, quasi-possessionem servitutis non posse conservare quasi-possessorem in eo servitutis usu, quem habet, nisi probaverit, servitutem sibi, aut rei suæ deberi: Caramuel, quâ est incredibili humanitate, tametsi nihili erat epistula, magni tamen eam fecit, & quoniam eum vobis legendam dedisse rescivi; non est quamobrem actum agam, & eadem iterem. Agam igitur nunc aliis, sed æquè consectariis argumentis; quanquam vereor ne tempus terere videar; etenim Salviani non modò non probârunt se quasi-

pos-

possedisse; verùm-etiam per Episcopum, ut mox ostendã, est abunde probatum, eos quasi-possedisse nũquam: ut possitis, P.C. & jure quidẽ optimo, illis, nõ solùm interim, sed in perpetuũ iis finibus interdicere, & Caramuelẽ, virũ ingenii mitissimi, atque ad totius orbis terrarũ populos, admirãdis voluminibus suis, erudiẽdos, munúsq; suũ acerrimè incumbentẽ, his occupationibus, immeritísq; inquietibus exsolvere. Momẽtaria, P.C. sive fiduciaria possessio, nobis *Sũmariissimum possessorium*, Romanis *Mandatũ de manu-tenẽdo*, Italis, *nova provisio*, Castellanis *Interim*, Aragoniis *Articulus litis pendentiæ*, Germanis *Provisionale decretũ*, Gallis *Recredẽtiaria dicta* [4], alio pacto habet locũ quum de corporalibus; alio verò, quũ de rebus incorporalibus agitur. Vt autem id appareat, considerandũ est, maximam esse differentiam inter possessionẽ, vel detentionem rerum corporaliũ, atque incorporalium quasi-possessionẽ: nã actus ille corporis, qui sub aspectum venit, & per quem probatur possessio rerũ corporaliũ, per se probat ipsam possessionem, quia suâpte naturâ ostendit nos possidere; actus autem, ex quibus deducitur quasi-possessio rerum incorporalium, per se non sufficiunt ad probandam hujusmodi quasi-possessionem. Quum quis probat se occupavisse rem, utique probat eum modum, quo adquiritur possessio rerum corporalium: item quum probat, suo

[4] *Gaill. lib. 1. obs. 7. Fachin. contr. 29. lib. 8. Frider. de possess. cap. 7. Cancer. var. p. 3 cap. 14.*

cor-

corpore, aut alieno rem tenere, probat modum proprium conservandi possessionem rerum corporalium, & proinde sua probatio, nisi ex adverso elidatur, per se probat, ipsum esse possessorem; quum verò quis probat, se usum fuisse servitute, aut quocunque alio jure, non probat per se quasi-possessionem, sed per accidés, hoc-est, si is, ex cujus personâ id pendet, sciverit, pasśúsque fuerit, actum hujusmodi fieri animo adquirendæ quasi-possessionis. Certi enim juris est, ut uberiùs postea dicemus, nō dari quasi-possessioné, nisi adsit scientia, & patientia illius, ad quem id spectat. Cùm ergo hæc scientia respiciat substantiam quasi-possessionis; is, qui super eâ se fundat, debet plenè probare ipsam intervenisse; interim verò dũ probet, atque disputatio super hoc ejus fundamento fit; necesse est, ut abstineat: uno enim ore docent Iuris-interpretes [s], probationem extrinsecus petendam, necessariam pro fundamento ejus possessionis, cujus manu-tétio postulatur, summariissimum manu-tétionis judiciũ impedire. Nec poterit conqueri, quòd dejiciatur ex eo statu, in quo reperiri se dicit, nisi plenè probaverit, se in hujusmodi statu esse. An verò est, ut manu-tentionis favore, scientia, & patientia præsumantur? an ut leviores hujus rei probationes sufficiāt? minime-gentiũ: non potest enim agi de qualitate; hoc-est de favore manu-tentio-

[s] DD. apud Post. observ. 43.

tio-

tionis, nisi priùs constet de illius substantiâ; hoc-est de scientiâ, atque patientiâ ejus, cujus res agitur. Certè judicium hoc non potest habere privilegium circa suum fundamentum, id-est circa veritatem allegatæ quasi-possessionis, cùm neque doti, respectu probationum, ullum unquam privilegium concedatur [6] Quæ cùm ita sint, P. C. cùm Episcoporum scientia non præsumatur [7]: cùm probata non sit: cùm sit probatu difficilis: cùm plenè probata adversario non proficeret, ut suo loco dicemus; reliquum est, ut conservetis Episcopum in libertate rei suæ, eique *Vti possidetis* interdictum tribuatis: ut etiam factum est à Sacro Consilio contra Titanos, quos jussit, ut ante commemoravimus, ab hismet prædiis interim abstinere. Porrò plus semel Sacrum Consilium, id genus decreta sancivit. Sancivit, teste Capycio [8], in causà eorundem Titanorum cum Comite Potentiæ, & Materanorum cum domino Ginosæ: ut hinc appareat allucinatos quotquot Capycium pro contrariâ sententiâ dilaudant. Duo tempora sunt in Capycio consideranda. Primum, antequã, dato termino, factæ fuerint probationes super quasi-possessione; alterum post probationes jam factas. In primo, per Sacrum Consilium, constitutum est, ut Titani, ut Materani abstinerent. Audiamus Capycium. *In causâ Vniversitatis, & hominum terræ Titi*, inquit ille, *cum Comite Potentiæ, super*

eo,

6 Hęc omnia docet doctissimus *Merend. contr.* 24. *lib.* 19. Apud quem nõnullæ aliæ rationes.

7 *Stat enim pro ignorantia possessio*, inquit Caram. Theol. [illegible]. n. 1316.

8 *Capyc. Decis.* 189.

eo, videlicet, an dicta Universitas, & homines, qui intendunt agitare judicium ORDINARIUM cum præfato Domino Comite, super jure pascendi, aquandi, & lignandi in territorio Potentiæ, & Vineolæ, ratione antiquæ communionis territoriorum hinc inde, in cujus quasi-possesione prætendunt se stetisse à tempore, in cujus contrarium non est hominum memoria, debeant, dictâ lite, seu judicio ORDINARIO pendente, manu-teneri in dictâ quasi-possessione libertatis; an verò pro parte præfati domini Comitis, habentis contra ipsos de Tito intentionem fundatam de jure communi, possit prætendi quòd interea abstineant, prout jam provisiones super hoc expeditæ sunt. QUIA jam in hoc judicio summario DATUS EST TERMINUS, & capta informatio, & factæ hinc inde probationes, in quibus jam APPARET de antiquissimâ quasi-possessione illorum de Tito super pasculatione, & lignatione, VIRTUTE COMMUNIONIS, & in eorum articulis allegant titulum, videlicet communionem antiquitus celebratam cum assensu regio; licèt assensus probatus non sit, PROBATA tamen est quasi-possessio COMMUNIONIS, ut dictum est, HINC INDE PASCENDI, & lignandi, ET ETIAM EMANARUNT PROVISIONES à Sacro Consilio ab initio hujus causæ, quòd illi de Tito ABSTINEANT SE; dubitatur quid nunc sit judicandum debere servari pendente lite motâ, SEU MOVENDA super ORDINARIO judicio. Ecce igitur quod in primo tempore Sacrum

Consiliũ imperavit ut Titani abstinerẽt. quòd si in secũdo decrevit ut manu-tenerentur, id decrevit æquissimè; nam Titani (quæ nostro in negotio desiderantur) non modò titulum allegaverãt, sed etiam probaverant. ibi. *APPARET de antiquissimâ quasi-possessione, VIRTUTE COMMUNIONIS*. Probaverant etiam scientiam adversarii. ibi. *Probata tamen est QUASI-POSSESSIO* (quæ sciẽtiã cõprehẽdit) & quod plus est, *HINC INDE PASCENDI*. Progreditur inde Capyc. [9]. *Et cùm Dominus Ginosæ haberet SIMILEM LITEM cum Universitàte Materæ, quæ similiter prætendebat habere jus pasculandi in territorio Ginosæ, necdum fuisset datus terminus ordinarius ad probandum, quia partes non faciebant instantiam, in causâ hac, quãdo pro Universitate Materæ nihil fuisset productum, Sacrum Consilium haberet pro indubitato quod lite pẽdente, ex quo non constat de quasi-possessione usus, deberet Universitas abstinere, & in similibus SOLENT expediri similes provisiones ad hoc. Sed pro Universitate Materæ fuerunt productæ duæ provisiones; una Regis Ferdinandi primi, directa quondam Duci Venusii, domino Ginosæ, quod permittat uti aquâ, & herbis Civitatem Materæ ratione communionis aquæ, & herbarum, quam habet cum Ginosâ; alia ejusdem Regis, in quâ providet, seu mandat eidem Duci quod tollat certas defensas factas in dicto territorio, & hoc ad instantiam Materensium. Item quod tauri Materanorum intrantes*

[9] Capyc. decis. cit. n. 11.

trantes defensas legitimas Ginosæ expellantur, non autem offendantur. Vltra hoc in libello noviter oblato per Dominum Ginosæ petebatur illos de Materâ debere abstinere ab usu dicti Territorii, quasi quòd sint in quasi-possessione usus, & sic dictæ provisiones emanatæ tot annis retro, præsupponentes cõmunionem aquæ, & herbarum, IVNCTÆ cum dictis verbis supplicationis, seu libelli, inferant ad quasi-possessionem requisitam ad hoc, ut allegans privilegium interea non amoveatur: Sacrum Consilium fuit in voto quòd illi de Materâ abstineant à lignando, & ab omnibus, sed non amoveãtur à pascuis herbarum, & ab aquando, & quòd nihilominus fiat adnotatio animalium intrantium ad herbãdum, & aquandum, & hæc lite pendente; videlicet, donec capiatur summaria informatio de quasi-posseſsione communionis. Ecce igitur quod in jure appellendi pecora ad herbam, atque aquam, duo copulatè convenerant, hoc-est imperium Ferdinandi, ídque ratione communionis, & Materanorũ quasi-possessio: in ceteris autem, quanvis Sacrum Consilium putâsset ex libelli verbis Materanos servitutibus uti; tamen, quia de bono suo jure minimè docuerant, judicavit, à solo usu, quia scilicet non ostenderant patientiam adversarii, non esse partam quasi-possessionem ad illos manu-tenendos sufficientem. Quid quòd, non modò usus, sed & quasi-possessio nõ est potens manu-tenere quasi-possessorem, quum certum est, ut certum est no-

ſtrâ in re, dominium rei ad adverſarium pertinere? Poſſem huc referre quæ dixi in epiſtulâ, de quâ memini; ſed prætereo, libeátque tantùm Mareſcottum [10] audire. *Limita*, infit ille, *ut non procedat quando agitur contra proprietarium prædii ſervientis, de cujus proprietate, & dominio conſtat, nam licèt ubi de proprietate non apparet, poſsidens tuendus ſit in poſſeſsione abſque tituli productione, cùm ſimplex illa juris præſumptio, ex quâ res libera cenſetur, ſit levis, nec ſufficere debeat ad impediendam hanc quaſi-poſſeſsionem; nihilominus ſecus eſt ubi de proprietate prædii ſervientis conſtat, nam hoc caſu neceſſum eſt poſsidenti probare, quo jure, & causâ eam quaſi-poſſeſsionem ſervitutis acquiſiverit; nec ipſa poſſeſsio*, notate, *pro obtinendâ manu-tẽtione ſufficit; nã probato dominio, talis poſſeſsio præſumitur precaria*, ad not. per Bald. in l.2. C. de ſervit. & aqua, *& ſic ceſſat poßeſsionis vis, & præſumptio, quâ ceßante, dominiũ remanet in ſuo libero ſtatu, ut declarat* Menoch. in 5. remed. retin. n.42. Quid igitur erit noſtrâ in re, quando declaratum eſt Caſtellarum *PLENO IVRE ſpectare ad Eccleſiam Satriani quod ad* ejus *DOMINIVM, poſſeßionem, & PLENAM proprietatem, ETIAM reſpectu FIDÆ, ET DIFFIDÆ,* aquarum, &c.*? Quid erit quando ab Reginâ Ioannâ, ejúſque Conſilio de-

10 *Mareſcott. var. reſol. lib.* 1. *c.* 11. Add. DD. *Apud Maſcard. concluſ.* 1200. *n.* 53. *Poſt. obſerv.* 44. *n.* 64. *& obſerv.* 72. *n.* 13. Vbi probat non ſufficere uſum paſcendi, ea ratione, quia ſcilicet, potuerit uſus contingere, vel precariò, vel familiaritate, vel domini incuria. atque hæc addi poſſunt iis, quæ diximus ante n. 6. *Surd. deciſ.* 236. *nu.* 6. Vbi ait, domino rei ſatis eſſe, ſi probet ſe dominũ, & quod obtinebit etiam ſi adverſarius ſit in quaſi-poſſeſſione paſcendi.

* *Fida* noſtratibus, hac in re, eſt jus faciendæ poteſtatis alicui paſcendi pecorum, quorũ capita, apud habẽtẽ hoc jus, profeſſus ſit. quã rem *Conſt. Regn. Cùm per partes Apul. tit. de animal. in paſc. affid.* AFFIDATVRAM vocat. Vide *Gothofr. ad l.* 9. *C. de Vect. Diffida* verò iiſdem eſt jus multandi eos, qui ſine iſta poteſtate paſcũtur. Quid etiam nobis ſit *Affidare*, quid *Diffidare*, quid *Diffidatio*, Vide *Calvin. lexic. in iiſdem verb.*

decretum est *Satriani Ecclesiam redintegrandam, & reponendã esse in possessionẽ, vel quasi Castelli Castellari, jurium & AFFIDARUM, IN INTEGRUM, ET IN TOTUM, amotis QUIBUSCUNQUE occupatoribus, & quod Episcopo, & Ecclesiæ AB OMNIBUS debeat responderi?* An operæ pretium sit, P.C. argumenta contraria refellere? minime-verò: sed nihilominus faciam, ut os Adversario penitùs, penitúsque occludam. Primum igitur est, quòd quasi-possidens, nullâ lege contradicente, sed solùm contra juris præsumptionem quasi-possideat, quæ præsumptio est omnem rem esse liberam: at verò hæc non sit ita vehemens, ut valeat quasi-possessorem ejicere, maximè quia ex quasi-possessione pascendi, modicum, ac leve incommodum prædii domino inferatur [11]. Quod attinet ad illud de levi incommodo, mihi, si liberè loqui licet, P.C. non modò falsum est, sed ridiculũ: præter enim quàm quòd, & naturæ, & civili societati repugnat vel levissimè alteri obesse, aut incõmodare; quis nesciat servitutem, præsertim juris pascendi, permaximum servientis fundi domino damnum parere? maximè si ager sit destinatus pastioni, ejúsque dominus, ut nostrâ in re, ære signato, pabulum annis omnibus elocet? hæc profectò servitus potest usque-adeò domino obesse, ut jus pene totum illius exhauriat*. an leve sit damnum tibi rei tuæ arbitrium,

[11] *D.D. Apud Marescot. loc. cit. & Cãcer. var. p. 2. cap. 14. de jur. Castr. n. 53.*

* *Huc referas; quæ dicemus n. 184.*

trium,& moderamen negari,nec illâ posse uti ut velis [12]? porrò,ut libertate nihil est dulcius [13],ita servitute nihil amarius. Ceterùm,quòd libertatis præsumptio non sit ita potens, ut valeat quasi-possessorem ejicere,falsissimũ est: naturalis enim rei qualitas inesse tandiù præsumitur, quandiù probetur contrarium [14].Neque dixerit quis probari statu præsenti; idest quòd res serviat, quoniam alter quasi-possideat servitutem; hoc enim eòdem revolvitur; nam hoc petimus, an scilicet ista quasi-possessio præsumptæ libertati officiat: & verò cum Lucernâ [15] Iuris ostendam, præsentem statum aliter debere considerari circa libertatem, aut servitutem rerum, aliter autem circa libertatem, aut servitutem personarum. Enimverò persona potest esse serva ab origine, ut si ex ancillâ nascatur, sed res ab initio regulariter est libera [16]. Dixi *regulariter*,non quia excipiã agros, sed ædificia, quæ possunt nasci serva. Sed jam Bartolum audiamus [17]. *Aut status naturalis rei, qui fuit ab initio,de necessitate concordat cum intentione ejus, qui dicit contra præsentem statum,in cujus possessione, vel quasi res est, ut in servitutibus realibus, & tunc est vera opinio* Io: *& quod dicit* Dyn.*nam posito quod quis sit modò in quasi-possessione servitutis realis, & ego dico illam rem liberam, status rei naturalis concordat mecum, quia ab initio fuit libera; aut naturalis status rei non concordat, vel possibile est non concordare*

cum

12 repugnãte *l.* 21. *C. mandat.*

13 *Cicer. ad Attic*

14 *Gl. & D.D in c. is, qui fidem, de sponf. VVes. paratitl. de probat. n.* 15.

15 *Bartol. in l. si priusquam, ff. de oper. novi nuntiat. n.* 17. Quẽ secuti sunt cõmuniter *D.D.* Apud *Mascard. concl.* 1100. *n.* 47. 48. & 49.

16 *L. altiùs, & l. si in ædibus, C. de servit.*

17 *Bart. ibid.*

cum intentione ejus, qui dicit contra præsentem statum, & tunc non habēt locum verba Dyni; *nam si me detines in quasi-possessione libertinitatis, hoc-est ut libertum, & ego dico me ingenuum, licèt hoc verum sit quod ab initio ego non fui libertus, & sic naturalis status repugnet præsenti statui, non tamen sequitur, quod ab origine ingenuus fuerim, quia potui esse servus, & sic naturalis status non concordat.* Hæc est vera, P.C. & solida sententia: adversa verò opinatio locum sibi vendicat iis in rebus, quæ superficiem respiciūt, & serva nasci possūt. Audiamus *Cumanum* [18], ex cujus dictis præcipuè, teste *Mascardo* [19], illa opinatio adolevit. *Et ad id,* inquit ille, *quod dicunt D.D. Aliud in homine, qui potest nasci servus: aliud in re immobili, quæ ab initio libera fuit, respondeo; nam quædam sunt servitutes, quæ respiciunt superficiem, & imponi possunt futuro ædificio, & sic ædificium potest nasci servum, licèt solum à principio fuerit liberum.* Stat igitur nostra sententia, à naturali prædii libertate quasi-possessionē vehemēter affici, státq; ab Legibus quasi-possessores pascuis [20], agris detrudi. *Si enim læserit quispiam agrum, vel vineam, & dimiserit jumentum suum, ut depascat aliena, pro damno æstimationem restituat* [21]. *Non est consentaneum*, infit Callistratus [22], *ut per aliena prædia, invitis dominis, aucupium* (quod tamen, aut nullum, aut levissimum est incōmodum) *faciatis. Per* [23] *agrum quidem alienum, qui servitutem non debet, ire, vel agere vicino minimè licet.*

[18] *Cuman. in cit. l. si priusquam.*

[19] *Mascard. in cit. conclus. 1200. n. 50.*

[20] *L. 1. & 2. C. de Pasc. public. & priv. lib. 11.*

[21] *c. si læserit. de Injur. & damn. dat.*

[22] *L. 16. ff. de servit. rust. præd.*

[23] *L. per agrum, C. de servit. & aqua. c. omnes leges, dist. 1. l. 11. de servit.* cum concordant. apud *Tholosan. synt. l. 3. c. 15.*

*cet.*Quæ cùm ita ſint, P.C. tantum abeſt, ut ſervitutis uſus det quaſi-poſſeſſionem,dètque interdictum,ut potiùs utens,in Leges committat, poſſit prædio interdici, poſsíntque paſcentia pecora intercipi [24].Quin-etiã Eccleſiaſtica prædia invadẽs,horrendi carminis Lege percellitur,atq; à Fideliũ cõmunione disjungitur [25]. Alterũ argumẽtum eſt ejuſdem Cumani [26],qui ſic ait.*Præſumptio ſpecialis, & veriſimilior derogat generali*, l.pen.de in integr.reſtit.l.cum de indebito,de probat.*ſi reſpiciatis ſtatum naturalem,iſta res eſt libera,& ſic præſũptio generalis.Quaſi-poſſeſsionis ſervitus,quæ nihil aliud eſt,quàm ſcientia, & patientia*, l.2. §. dare, de uſufruct. *iſta patientia, quæ eſt inductiva quaſi-poſſeſsionis,eſt præſumptio ſpecialis;ergo debet derogare præſumptioni generali, & hoc probatur* in d. l.cũ indebito, *nam quis non præſumitur debitor, & tamen ſi ſolvat occaſione alicujus debiti,faceret cenſeri eum debitorem*. Sed hoc argumentum facillimè refellitur,ſi conſideremus præſumptionem aliam eſſe levem, quæ ſolam ſuſpicionem parit: alteram gravem, quæ producit opinionem: aliam graviorem, quæ plenam operatur credulitatem [27]. num autem iſta præſumptio, ſi tamen præſumptio eſt, oriens ex patientiâ,ſit adeò vehemens, ut operetur credulitatem, ut opinionem producat? enim-verò nec parit ſuſpicionem.An fieri non poſſet,ut quis ſit uſus re meâ precariò, quo caſu certum eſt nunquam

24 *Conſt.Regn.pervenit, Cõſt.animalia, & conſt. Cum per partes Apulea.*Vid.jura apud *Tholoſ. loc. cit.*

25 Vt habetur in *Bull.Cœn.*

26 *Cuman. loc, cit.*

27 *Menoch.in præſ. 94.n.18. lib.6.*

quam adquiri quasi-possessionē incorporaliū [28]? An-non requiritur quòd ille utatur tanquam jure suo id faceret? *Si per fundum tuum*, inquit Celsus [29], *nec vi, nec clam, nec precariò commeavit aliquis, non tamen tanquam id jure suo faceret, sed, si prohiberetur, non facturus; inutile est ei hoc de itinere, actúque interdictum; nam, ut hoc interdictum competat, jus fundi possedisse oportet*, atque habet probare servitutis se jure fecisse [30], & à me scitum, se hoc jure facere [31]; alioquin, ut dicebamus, atque ex Baldo, Marescotto, Postióque probavimus, usus ille præsumeretur precarius, & ex eo, ne levissima quidem præsumptio oriretur: cùm tamen præsumptio debeat esse talis, ut ad prædium libertate privandum sufficiat. Quid quòd Cumanus, & quotquot eum sequuntur, nimis perperam, illâ lege [32] abutuntur? qui solvit non debitum, facit; qui patitur, non facit; præsumptio verò ex non factis nullâ deducitur [33]. *Hinc scribit Innocentius*, inquit Menochius [34], *quod actus consistentes in pati, atque ita actus negativi, non arguunt consensum. Hinc scripsi maritum retinentem apud se dotem uxoris, non censeri adivisse hæreditatem nomine filiorum, cùm actus iste retentionis sit solùm silentium, sicque non dictum, vel nō factum. huc facit, quod docuit Abbas, cùm dixit, quòd ille, qui patitur, atque ita actum negativum facit, non dicitur dispensare cum inhabili, vel excommunicato, ex quo actus negativus nil infert*. Patet igitur ex solâ

28 Iura, & rationes apud Coras. in l. servitutes, nu 38. ff de servit.

29 L. ult. de itin. act. priv.

30 Gl. in l. 1. §. hoc interdicto, tit. prox. cit.

31 Merend. cit. cōtrov. 24.

32 Hoc est cit. l. cum de indebito, ff. de prob.

33 Menoch. præsumpt. 23. lib. 1.

34 Menoch. ibid.

patientiâ, non tantùm non verisimiliorem præsumptionem, sed nullam oriri. Quid quòd Antistitum patientia nullum Ecclesiæ potest hâc in re damnum afferre, ut inferiùs ostendemus? Quid quòd si posset afferre; cùm probata nō sit; cùm altior ejus requiratur indago; donec id indagetur, cùm sit extrinsecùs petendum; utens, pro quasi-possessore non interim habetur, & consequenter se debet interim abstinere, ut initio dicebamus? Atque ex hactenus dictis, P.C. solvuntur illa alia, quæ objiciunt; nimirū in possessorio summariissimo, etiam prædonem fore manu-tenendum: apparet enim id locū habere solùm in rebus corporalibus: etenim in his, primo tēpore; hoc-est in summariissimo possessorio, constat Iudici de statu, & detentione prædonis, non constat autem de vitiis, ejus detētioni, statuíque oppositis: propterea, donec de vitiis allegatis apparuerit, quia prima facies possessionis, detentionis, ac status hujusmodi ostendit eum esse possessorem; meretur manu-tentionem: Iudex enim, qui rei veritatem ignorat, debet se conformare qualitati tunc apparenti possessionis, detētionis, statúsque ejus, qui officium ipsius implorat, ne patiatur sibi vim fieri à suo adversario. at nō ita res habet in quasi-possessione rerū incorporaliū, ut etiā initio dicebamus. ubi verò manu-tentio fuit concessa ei, cui prima facies favet quod ad detentionem rei, vel

con-

constitutionem certi, ac determinati status, non consideratur ampliùs res adeò largè, sed qualitas possessionis, aut detentionis, statúsve examinatur, & proinde tunc non dicitur ampliùs manu-tenendum esse prædonem: fítque locus iis legibus, quæ denegant interdictum iis, qui possident vi, clam, precariò [35]: sicuti fit etiam in primo tempore, si constet in promptu de injustitiâ possessionis: etenim si non est quis manu-tenendus quãdo habet vehementem juris præsumptionem cõtra se, multò minùs quando sumus in claris: nam tunc petitorium absorbet possessorium: neque enim lex intendit vitiosum possessoré tueri: alioquî si quis in minùs justâ possessione defenderetur; aviditati, & rapinæ daretur occasio: via calũniis patefieret: impudentes protegerentur litigatores: fieret iniquissimè, improbissiméque [36]. Sed quid ultra torquemur, si Sacrum Consilium, non modò id temporis, quo commemoravimus, sed etiam aliàs adversus quasi-possessores pronũtiavit? Operæ pretium erit Capiblancum [37] audire. *Et quod ad discussionem summarii possessorii*, inquit ille, *dum in facto esset hæc quæstio in Sacro Consilio inter Universitates Vetri, & Balbani, Dux Terræ Vetri, cujus partes ego tuebar, intercipiebat animalia, quando pascua sumebant in ipsius territorio, habebat enim fundatam intentionem arcendi exteros ab ingreßu in suum districtum, uti habet quilibet etiam privatus jus prohibendi*

[35] Ita rem hanc declarat *Merend. cit. contr.* 24. Adde *Post. observ.* 42. *à n.* 137.

[36] Hæc omnia apud *Post. cit. observ.* & apud eum *D.D.*

[37] *Capiblanc. de Baron prag.* 11. *q* 80. *n.* 3. Adde *Frecc. de sub-feud. author. Baron.* 46. *num.* 7. ubi testatur ita etiam decisum per Sacrũ Consilium. Adde quoque de ipsomet Castellaro decisionem, inter Episcopũ Satriani, & Universitatem Titi, cujus decisionis verba initio retulimus.

bendi in suum volenti illum ingredi, l.Divus, ff.si servit. vendic. l.in agris, ff. de acquir.rer.dom. Capyc.decis.45.*in nostris terminis*,& Duend.de exeq. mand.reg.c.4.p.1.*& quanquàm Cives, & Universitas Balbani allegarent communionem, tamen, quia jus resistebat, summarium possessorium interim concedi de jure non debebat, ex* c.cum personæ de privil. in 6. de Ponte cons.78.*ut dixi supra* cap. 78. *& ex his obtinuimus, referente Consiliario Caravita, viro eruditissimo, ut dicta Universitas ex adverso abstineret. sed cum illa terminum petiisset super plenario possessorio, dubitavimus succumbere, quia reverà longo tempore extiterat communio inter dictas Universitates, & juxta* decis.Capyc.189.*fuit judicatum in hac materia pro Universitate Titi, quæ petierat conservari in possessione communitatis super plenario possessorio, & quanquàm ea decisio posset impugnari, vel distinguendo concordari cum aliis* deciss.*ejusdem* Capyc.6.& 77.*in quibus videtur contrarium asserere, ut longum tempus non sufficiat quando jus resistit*, ut Ioseph Sese tract.de inhib. cap.5.§.10.ex n.19.*qui meminit de istis decis. & benè explicat hunc punctum, dicens, quod sola possessio, licèt longissima, nil relevet, ut* Afflict.*etiam* decis.254.*cōcludit. si verò cum possessorio adjungatur tituli exhibitio, vel essemus in casu, ubi jus non assisteret, neque resisteret, hic procedit* decis.189.Capyc. *& ita debet intelligi, ne sit contrarius cum aliis deciss. suis suprà citatis, ut diximus in præcedenti tract.*prag.1.n.234. Operæ

quoque

quoque erit pretium, P.C. adversarii aliquot verba referre.ille in oratione pro Purpurato Pōtifice Rospiglioso sic ait. *Advertimus,quòd, cum quælibet res præsumatur libera,& allegans servitutem probare teneatur,*Surd.conſ.177.n.1.& 2.Ciarlin. conſ.76.n.1.Ciriac.contr.135.nu.4.Visc.ad.de Franch.deciſ.301.in fin.*maximè prætendens servitutem pascendi in bonis appatronatis;quia non habet juris assistentiam communis, & Regni, tenetur eam per EVIDENTISSIMAS probationes constituere indubitatam, ut ex* Bart. & Loffred. *firmat* de Franch. deciſ.301.nu.2.& sub nu.4. *ETSI POSSESSOR sit* Ant.de Padill.in repet.l.si ædibus per d.text. C.de servit.& aquâ nu.1.& 2. *& INTERIM abstinere debet.*post Frecc.Covarr.& alios.Staib.cōſ. 87.nu.7.& 8.*maximè quando dominus prohibet* Tholoſ.lib.3.c.15.n.4. Hæc Adversarius,quē citavi, quoniam Sacrum Consilium,quod non modò mihi; sed toti Orbi terrarum est summæ auctoritatis,paucis ab hinc diebus pro eodem Pontifice pronuntiavit. Sed jam video Salviam in me insurgentem, dicentémque,se habere titulum, haberéque præscriptionem:& titulum quidem suo in libello in hunc modum expressit. *Have la Salvia ragione di pascere,&c. nel Castellaro,per esser sito nelle pertinenze della Città distrutta di Satriano*. Deinde attulit quoddam apographum cujusdam decreti Magnæ Curiæ,anno MCDLXXXVI, quod decre-

decretum noſtratibus *Conſervatorium* nuncupatur: Conſervatorium, inquam, juris paſcendi pecorũ, &c. in agris Satriani, & argumentum ſic format. *Territorium Satriani eſt Salviæ obnoxium: Caſtellarum eſt pars territorii Satriani; ergo Caſtellarum eſt Salviæ obnoxium.* Poſſem majorem poſitionem negare: etenim territorium Satriani nec Salviæ ſerviit unquam, nec ſervit. poſſem dicere Epiſcopum habere Conſervatorium antiquius, anno ſcilicet MCDXXII, quum ab Reginâ Ioannâ, ejúſque Conſilio imperatum eſt, ut *eidem Epiſcopo, & Eccleſiæ ab OMNIBVS debeat reſponderi*: nec inde Epiſcopo inaudito, imò juriſdictionis alienæ, potuiſſe Magnam Curiam Salvianis Cõſervatorium in prædiis Eccleſiæ tribuere, & poſſeſſionem juniorem, vitioſam, improbámque cenſerì [38]. eſt etiam quamobrem veriſſimè dicam, exemplar illud, non ſolùm non eſſe publicis literis conſignatũ, eáque propter nullã ſibi fidem mereri; verùm etiam eſſe adulterinum: ſed velim cum Salviâ mitiùs agere, & ſimul Epiſcopi è re facere: etenim illud ipſum Conſervatorium, ut mox demonſtrabo, declarat Caſtellarũ eſſe à territorio Satriano diſcretum. Sit igitur per me vera majòr poſitio, ſítque verum Conſervatorium: minorem poſitionem examinemus. Quem-nam in modum Salvia efficiet, ut Caſtellarum ſit in territorio Satriano? Quinque modis id facere verum, ſed fruſtra conatur.

38 Boſt. deciſ. 156.

tur. Primo, quòd Episcopus id in positionibus factis in causâ cum Titanis pronuntiaverit. Secundo, quòd semel id dixerit ejus Vicarius. Tertio, quòd in eâdem causâ id enuntiaverit unus ex testibus Episcopi. Quarto, quòd id olim quidam alii testes expresserint. Quinto, quòd in compromisso interposito inter Episcopum, Comitémque Potentiæ, fuerit enuntiatum ortas esse cõtroversias inter partes *super nonnullis terris, & territoriis sitis in pertinentiis, & districtu Civitatis Satriani*. Sed hæc omnia sunt per-quam evanida, atque futilia. Primum est falsum: sit tamen verum, quid refert? erat absens Episcopus, nec unquam venerat Satrianum. enuntiatum est id inconsultò Neapoli ab Episcopi procuratore. dixi *inconsultò*, neque enim quærebatur ubi-nam esset Castellarum, sed fuit id perperam, & extra rem, quâ de agebatur, enuntiatum. num fuit id ipsum nominatim procuratori mandatum [39]? sanè procurator officii sui partes excedens, dominum non obligat [40]: excedit verò quoties aliquid contra, citra, præter, aut ultra mandatum fecerit [41]. Fuerit enũtiatio ipsius Episcopi, num oberit Ecclesiæ? num oberit veritati? Fingite me hanc orationem efferre. *Neapolis, Civitas Samnii, est à Chalcidensibus condita*. an ista mea oratio efficiet, ut Neapolis, non Campaniæ, sed Samnii sit Civitas? *Parentes*, inquiunt AA [42]. *natales, non confessio adsignat, quapropter si ex ancillâ*

39 Obesse igitur nõ potest. *l.* 17. §. 3. *de jure-jur.*

40 *Golin. de procur. p.* 5. *c.* 3.

41 *Golin. ibid. & p.* 2. *c.* 5. *n.* 134.

42 *Diocl. & Max. in l.* 22. *C. de lib. caus.* Neque professio, neq; adseveratio nũcupantium filios, qui non sunt, veritati præjudicat. verba *l.* 5. *C. de testam.*

ancillâ nata, post ad libertatem manumissa pervenisti, te servam professa, velut ex ancillâ alterâ natam, hujusmodi, vel simulatione, vel errore quæsitam manumissione libertatem amittere minimè potuisti: cum servi (cum limites) *ratione certâ, non confessione constituantur. Adsumptio originis, quæ nō est,* inquit Vlpianus [43], *veritatem naturæ non perimit. Errore enim veritas originis non amittitur. nec mendacio dicentis se esse, unde non sit, deponitur. neque recusando quis patriam, ex quâ oriundus est, neque mentiendo de eâ, quam non habet, veritatem mutare potest.* Nos autem, P.C. dilucidè ostendemus Castellarum esse Castellum à finibus Satriani disjunctum, atque in hujus erroris tenebras clarissimum lumē inferemus. hæc-ve respōsio in secundum etiam objectum aptissimè quadrat. Ad tertium quod attinet, testis ille auritus est, nec dicit à quo habuerit. dixerit se id optimè callere, quid ad rem, si res ipsa reclamat? Nihili verò est quartum, testes enim illi, nec Episcopi sunt, nec in causâ cum Episcopo, neque erant de hoc interrogati, neque ullam scientiæ causam reddiderunt; quin-etiam habiti sunt falsi. Quintum autem totam Salviæ actionem evertit. Duo erant litis capita inter Episcopum, & Comitem. unū quòd Comes quædam Ecclesiæ prædia occupaverat: alterum quòd idem Comes, prætendendo se habere jus fidæ, atque diffidæ super Castellaro, Episcopum conturbabat. Prædia occupata

[43] *L. 6. ff. ad municip.* Error ejus, qui se municipem, aut colonum existimans, munera civilia suscepturum promisit, defensionē juris non excludit. Verba *Papin. l. 17. §. 10. tit. eod.* Error facti, necdum finito negotio, nemini nocet. Verba *l. 7. C. de jur. & fact. ignor.*

pata sunt in territorio Satriano, nec diffitemur, & hæc sunt illa, quæ tūc dicta sunt esse intra Satriani confinia: de finibus autem Castellari, ne verbulum quidem. Sed jam recitemus & compromissum, & arbitrium, ut Salviæ actionem evacuemus, nostram autem omnino impleamus. Compromissi verba hæc sunt. *Asserunt esse ortas differentias inter partes easdem, in, & super nonnullis terris, seu territoriis, sitis in pertinentiis, & districtu ejusdem Civitatis Satriani, juxta declarandos fines, quas dictus Dom. Episcopus prætendit, indebitè, & minùs justè teneri, & possideri per dictum dominum Comitem, spectantes ad Ecclesiam Satriani legitimè, & de jure, & dictus dominus Comes prætendit eas legitimè, & pleno jure tenere, & possidere.* Ecce quòd prædia, quæ dicuntur esse in continentiis Satriani, erant ea solùm, quæ possidebantur à Comite: atqui Castellarum minimè possidebatur à Comite, ut ex arbitrio liquet: non enim Comes damnatur ad restituendum Castellarum, ut damnatur ad restituenda cetera bona, quæ possidebat, sed solùm est constitutum de jure fidæ Castellari, quoniam disceptatio non erat super possessione, imò ne super dominio quidem, sed tantummodò super fidâ illius. *Nec-non* (incipit alterum caput super diversâ re: dictio enim *nec-non* est dictio, quæ vel diversa copulat [44], vel sententiam variat [45]: erat igitur alia controversia) *Super herbagiis, seu pascuis, ac prætenso jure affidandi in* ter-

[44] Accurs. in Rub. de Iur. & fact. ignor.

[45] Bart. in l. 1. de pact.

territoriis EIVSDEM ECCLESIÆ. Hîc sermo est de aliis territoriis, quæ non alia erant, nisi Castellarum, ut ipsummet arbitrium ostendet. Nec dixerit Adversarius, quòd quærebatur de jure fidæ in ipsismet prædiis occupatis, nam respondetur I, ut prædiximus de dictione *nec-non.* II, quòd dictum esset *Super herbagiis, seu pascuis, & prætenso jure affidandi super IISDEM territoriis.* III, quòd prætensio fidandi erat in territoriis, de quibus Partes ipsæ, super dominio, nullam in controversiam venerant. patet ibi, *In territoriis EIVSDEM ECCLESIÆ*, quod sanè dictum non esset, si de illis aliis prædiis sermo fuisset; quoniam illa occupaverat Comes, nec Ecclesiæ, sed sua esse cōtendebat. IV, quòd si prætēsio fidæ, &c. fuisset super iisdem agris; non opus fuisset ad eam compromittendam nominatim venire, ea siquidem erat primo in capite comprehensa, nam in primo Comes ea prædia *pleno jure* ad se spectare dicebat: itaque in primi capitis decisione decidēdum erat, ut decisum est, etiam de fidâ, &c. Singillatim hoc fuit caput appositum, quoniam non erat eadem controversia. Sed jam Arbitros audiamus. *Nos Arbitri, electi per partes, & demū Cōmissarii per Sacrā Regiam Majestatē, sive ejus Sacrū Consiliū specialiter deputati, declaramus, &c. Castellum Castellarum inhabitatum, confinatum prout in processu continetur, cum EIVS territorio, tenimento, & pertinentiis*

om-

omnibus, PLENO IVRE spectare ad majorem Ecclesiam Satriani, quòd ad ejus dominium, possessionem, & plenam proprietatem. Tenimentum verò S. Mariæ de Stellâ: tenimētum aliud de Arâ-veteri: tenimentum aliud, quod vocatur de Merulâ: tenimentum aliud, quod vocatur S. Mariæ de Roccâ, sita, & confinata, prout in processu continetur, & petias terræ, quæ dicuntur de Guasto, spectare ad eandem majorem Ecclesiam, quòd ad utile dominium, respectu herbagiorum, glandium, aliorúmque jurium, juxta formam transactionis initæ, & firmatæ inter prædecessorem Episcopum, & Comites, apud acta productæ, dictámque transactionem in omnibus esse observandam, præterquam in infrascriptis. Condemnantes propterea dictum Comitem ad relaxandum terras, tenimenta, & territoria prædicta, & possessionem expeditam, itaut de cetero liceat dicto Episcopo, ejúsque successoribus, dictas terras, territoria, & tenimenta prædicta habere, ac tenere, ut alia bona ejúsdem Ecclesiæ: Remanente jure directi dominii, & IVRISDICTIONE universali, ac jure FIDÆ, & DIFFIDÆ, aquarum, herbagiorum, & spicarum eidem Dom. Comiti in dictis omnibus ALIIS territoriis, QVÆ sita sunt intra fines, & districtum Satriani. Excepto in CASTELLO Castellaro, & EIVS pertinentiis, quod quidem Castellum, cum juribus, & pertinentiis suis, declaramus PLENO IVRE spectare ad dictam Ecclesiam, etiam respectu FIDÆ, & DIFFIDÆ, aquarum, herbagiorum, & spicarum, & om-

nium aliorum jurium, ut ſupra. Ecce igitur, P.C. quòd hæc bona diſtinguuntur in alia, in quibus Epiſcopus habet ſolùm utile dominium, & hæc ſunt in finibus Satriani, hácve de cauſsâ, jus fidæ, ac juriſdictio ſpectāt ad Comitem: aliud verò eſt Caſtellarum, & quoniam hoc ſitum eſt extra Satriani confinia: eſt Caſtellum habens ſuum territorium: eſt cum ſeculari dominatu, &c; ideò ſuper hoc, nec juriſdictionem, nec jus fidæ, nec aliud Comiti reſervant, ſed pleno jure ſpectare ad Epiſcopum arbitrantur. Quòd ſi eſſet intra Satriani confinia, non autem Caſtellum per ſe ſtans; procul dubio, quemadmodum, univerſalis dominii ratione, jus Comiti reſervârunt in ceteris, quæ sūt intra limites Satrianos; ita in Caſtellaro feciſſent. Certè non erant hæc prædia diverſo jure cenſenda, ſi Caſtellarum non ſtaret per ſe, nec eſſet alibi poſitum: hæc enim, ut & Caſtellarum, eâdem Goffridi donatione, nec diſſimilibus verbis, comprehenduntur. Malè igitur fundamenta Pars adverſaria in Conſervatorio locat, ejúſque ædificium omnino concidit. Sed velim rudera colligamus, & eodem etiam Partis Conſervatorio jura Epiſcopi incolumia conſervemus. Planè Conſervatorium iſtud oſtendit, Caſtellarum haud eſſe intra Satriani confinia. Habet Conſervatorium, quòd Salviani poſſint in territorio Satriani *animalia affidare, juráque fidæ, & diffidæ percipere;* ſed

jura

jura illa in Castellaro percipere, nec prætendũt, nec audẽt prætendere:nam tantummodò dicunt se esse immunes: nec vocant in dubium,quin jus fidæ, diffidæque sit Episcopi: ergo Castellarum non est in territorio Satriano. Ad hæc. In isto Cõservatorio dicitur, quòd valeat Salvia in Satriani territorio serere, & nulla de mercede ibi mentio habetur: sed ipsamet Salvia profitetur se teneri prædiorum Castellari pensionem Episcopo dissolvere: ergo illud de Castellaro non loquitur. Præterea. In isto Conservatorio non dicitur, Salvianos non posse illuc accedere statis anni temporibus: sed ipsimet hodie fatentur, se non posse ad Castellarum, statis anni temporibus, accedere; ergo Castellarum à Cõservatorio haud-quaquam respicitur. Ostensum est sole clarius, P. C. Castellarum in territorio Satriani non esse, & futiliter ab Salviâ actionem intendi: ut autem eidem Salviæ magis, magísque satisfaciam, addam aliquid ampliùs, quod ejus intentionem convellit, ac dissipat. Sciendum igitur est, in eo judicio, quod anno MDLII, inter Episcopum, & Salviæ Baronem, super plateatico jure peractum est, novẽ, & quadraginta testibus confirmatum fuisse ab Episcopo, Castellarum esse Castellum cum suo territorio, extra fines Satriani, extra fines Salviæ, & per se stans: quinetiam probatum est, Salvianos ibi plateaticum, de quo id temporis quærebatur, de-

pen-

pendere:ut hinc etiam appareat,ab Salvianis pẽdendum esse pro fidâ, atque diffidâ: etenim hæc jura ex eodem fonte descendunt, nec debent ad imparia judicari. Verùm quid multis?ipsemet Baro in suis positionibus, ipsimet Salviani suis in depositionibus Castellarum extra Satriani confinia locârunt: etenim intra Salviæ limites, ab Satriano disterminos,posuerunt.itaque sic argumẽtum informo. Per te,Baro, per vos,Salviani,Castellarum non est in territorio Satriani, quia dicitis esse in territorio Salviæ: sed non est in territorio Salviæ:ergo nõ est neq;in territorio Salviæ, neq; in territorio Satriani.Minor positio patet,tũ ex iis,quæ hodie dicitis:dicitis enim,illud esse in territorio Satriani, tũ etiã ex Sacri Cõsilii sentẽtiâ, quòd, nullâ vobis habitâ fide, judicavit illud esse Salviæ disterminũ: nã judicavit jus plateaticũ ad Episcopum pertinere, habuítq; fidẽ iis,qui dixerant,illud esse positum extra Salviam, extra Satrianum,staréque per se: per se igitur stat consequentia, & argumentum est consectarium, neque potest ullo pacto dissolvi.planè nullum vobis effugium est,ni fabulam aliquam fabulemini. Velit igitur nolit,P.C.& totâ,quanta est ejus, invitâ minervâ,necesse habet Pars adversa fateri, sive testibus Episcopi, sive Salvianis ipsis credamus, Castellarum esse Castellum extra Salviæ, extra Satriani confinia. quod & liquebit,quum Castel-

larum

larum esse feudum, & jurisdictione præditum ostendemus. Sed fingamus, P.C. Castellarum esse in Satriani finibus positum: quâ nam ratione Salviani contendent, se habere jura pascendi, &c. in territorio Satriani? an ex fabulâ illâ, quam hodie comminiscũtur: hoc-est, mortuo Satriano, ex ejus cineribus Salviam surrexisse? sed hoc est mendacio mẽdacius: constat enim ex publicis documẽtis, vivente Satriano Salviam vivere, multísque annis ante natam fuisse: imò constat vixisse Satrianum anno etiam MCDXCV, quo anno Iulius de Scortiatis, Dominus Satriani, Titi, & Calvelli, Ioannem de Caro affinem suum, Satriani prætorem creavit: quo tempore Salviam extare, nulli dubium est. Constat ex positionibus ejusdem Baronis, constátque per testes: posuit enim probandum id temporis Baro, & Salviani, aliíque testati sunt, Satrianos cum Salvianis habere territoria compascua ratione societatis: uno igitur vivente vivebat altera. Sit denuo Castellarum intra limites Satrianos: sit inita ista societas; num sit hodie stabilis, sítque non irrita? irrita profectò, & Satriani morte soluta [46]. Porrò soluta est, nec hodie Salviani ad Satrianũ territorium, ullo servitutis, aut societatis jure accedunt. Sed vereor, P.C. ne aliam fabulam Pars tentet nobis obtrudere: nimirum, se ex Castellari ruderibus obortam, eoquòd quidam ex ejus, & ultroneis, & ab omni religione remo-

[46] §. 5. *Inst. de societ. Capit. Pondus æquum, de commun. territor.* Vide *Afflict. decis* 254. *Thor. con. p. dec. t. 3. p. 1.*

remotis teſtibus dixerint, Salvianos in Caſtellaro immunes *come veri Cittadini*: fieri enim poteſt, ut ea immemor ſui, eorúmque, quæ dixerat, ſcilicet Salviam Satriani obitu natam; ad hanc rem illorum teſtium verba detorqueat. quid ſi fecerit? profectò ejus vanitas foret maximè deridicula: etenim ipſamet, ut ſuam impleat actionem, contẽdit, Caſtellarum nunquam-gẽtium fuiſſe habitatum: quod & Baro profeſſus eſt anno MDL. Sanè aut illa verba ſonant, Salvianos immunes, tanquã Satriani cives: cùm putaverint, vel ſaltem putare, in Baronis gratiam, aſſimulaverint, Salvianos ab Satriano deſcendere, & Caſtellarũ Satriani eſse partẽ: aut illâ conjũctione *come*, quæ latinè redditur, *ut, quaſi, perinde, perinde quaſi, acſi, per inde acſi, tanquam ſi, ita quaſi* [47], ſimilitudinem teſtes enuntiant (exempla verò hujus rei ſunt innumera, tum apud Pandectas [48], tum apud latinæ linguæ Auctores [49]) ſi enim conjũctionẽ illã alio sẽſu teſtes pronuntiâſſent; in hoc etiam, ut in ceteris, ſecum pugnarẽt, & Salvia fabulã fabulâ, aut ornare, aut explodere conaretur. Hactenus, P.C. tituli vanitatem optimè oſtendimus: reſtat ut de vanâ Partis adverſæ præſcriptione loquamur. Ad miſerum profectò, & minimè tutum aſylum ſeſe recipit Salvia: etenim prætenſa præſcriptio non eſt aliquem potens ſummariiſſimo in poſſeſſorio manu-tenere. ſanè plurima probanda ſunt ei, qui dicit

[47] *Onomaſt. Rom. dict.* come

[48] De quibus legetis *Lex. jur. dict.* Vt.

[49] *De quibus videte Theſ. ling. latin. dict. cit.*

cit

cit ſe præſcripſiſſe:& ſive titulum, ſive bonam fidem,ſive poſſeſſionem reſpiciamus; altior eorum cognitio deſideratur:neq; enim quæritur,quũ de præſcriptione certatur,an quis ſit in quaſi-poſſeſſione manu-tenẽdus, ſed an adquiſiverit ſervitutem. quin-etiam,ut præſcriptione tueri ſe poſſit, requiritur quòd ſententia,poſt eam cognitionem ſecuta, in rem judicatam tranſiverit. & ne id ad ingenium, libidinémque dixiſſe videar,vos,P.C. ſi per otium licet, Mareſcottum [50] legatis: nam apud eum invenietis præſcriptionis obtentum haud illi prodeſſe,qui manu-tentiõnem expoſtulat. profit per me; an Pars adverſa præſcripſerit? cùm autem præſcriptio ſine poſſeſſione contingere non poſſit [51]; videamus an Pars adverſa poſſederit. Putat Salvia plurimis argumẽtis ſuam quaſi-poſſeſſionem oſtendi: nos ſingula ſingulatim,atque facillimè refutabimus. Dicit primò,ex eo id apparere, quòd Salviani ſint ſacris olim-jã ab Epiſcopo interdicti, & nihilominus liti non cedant, facturi, ſi malam cauſam haberent. Vt prætercam, P.C. iis non hâc ſolùm de re divinorum uſum fuiſſe ademptum,ſed ob eorum immania ſcelera:turmatim enim (cetera omitto) in Caſtellarum armati invaſerunt, & Caſtellari cuſtodes, magnam partem, fuſtibus percuſſerunt, cuſtodum aliquot ſaucios, aliquot verò cadavera fecerunt. ut hæc,inquam, prætercam; magnâ utique

[50] Mareſcott. cit. c. 11. n. 6. Addite de Marinis reſolut. 204. t. 2.

[51] c. ſine de præſcript. in 6. l. 25. & 44. in fi. ff. de uſurp. & uſucap.

que rapior admiratione, quòd tam gravi errore Pars adversa ducatur. ergóne in peccandi libidine obstinati: quos gehennæ terror non commovet: qui pravi tenaces divina despiciunt, pro se juris præsumptionem habebunt? nónne de sacrorum interdictione ad summum Pontificem provocârunt? nónne Pontifex olim-jam imperavit, ut si sacra velint, dent cautionem de parendo legibus Episcopi, faciendóque satis partibus læsis? númne Põtificis imperata fecerunt? volúntne igitur, aut respuunt sacra? Retorquete, P.C. retorquete argumentum, atque ita dicatis. *Salviani sacra non curant; ergo dignum est credi, eos aliena invadere, aliena diripere*. Retorquete iterum, & dicetis. *Caramuel est vir scientiâ, sapientiâ, æquitate, animi integritate, & quâlibet aliâ virtute toto Orbe terrarum conspicuus, neminique secũdus; ergo perdignum est credi, ab eo neminem læsum. Est gregis sui Curator diligẽtissimus, Custos præclarissimus, Antistes optimus; ergo perdignum est credere, quòd nisi Salviani morbosæ oves fuissent; tantus Heros, ex grege salubri, benéque valenti eos minimé abegisset*. Ait secundo loco Pars adversaria quater Episcopum esse confessum Salvianorum quasi-possessionem, idq; verũ facere, manibus, pedibúsque in hunc modũ conatur. *Quum Episcopus Salvianis, rebus divinis interdixit, eos vocavit pastionum Castellari occupatores; sed qualitas illa occupationis rejici debet, quum quis dicit ab aliquo suam*

rem

rem occupatam; ergo, &c. Quid si respondeam, ab Salviâ falsò hoc dici? porrò nunquam id Episcopus dixit. dixerit, quid ad rem? Si Salviæ positio est vera, est vera tantummodò quum agitur de rebus corporalibus: quũ enim dico, aliquem occupâsse rem meam, fateor illum esse rei detentorem: quum autem rei detentio sit verus modus probandæ possessionis, ut initio dicebam; adversarius, per meam confessionem, probat se possidere, & qualitas illa rejicitur, quia Iudex, ut etiam dicebam, debet statui tunc apparenti sese conformare: at non ita est in rebus incorporalibus: etenim iismet verbis, quibus mearum incorporalium rerum aliquẽ occupatorem appello, nego eum quasi-possidere, quia nego me pati: pati autem est sola caussa quasi-possessionis. In re nostrâ nõ quæritur an Salvia possideat Castellarum, ipsamet enim fatetur Episcopum esse illius dominum, esséque possessorem, sed solùm contendit se pascendi jus possidere. quotquot autem Iuris-interpretes Salviæ patronus allegat, omnes de re corporali loquuntur: imò Accursius [52], & Gothofredus [53], quos ille citat, sincerè mihi testificantur, sibi nunquam tale aliquid in mentem venisse. Gordianus autem, quem etiam laudat [54], rei nostræ mirum in modum præsto est, favétque quam-maximè, *Domum*, inquit ille, *quam ex matris successione ad te pertinere, & ab adversâ*

[52] *Accurs. in l. domum, C. de rei vend.*

[53] *Gothofred. cit. l. domum lit. A.*

[54] *Cit. l. domum.*

sâ parte injuriâ occupatam esse ostendis, præses provinciæ, cum pensionibus, quas percepit, aut percipere poterat, & omni causâ damni dati restitui jubebit. An dixerit Adversarius sibi τὸ *Occupatũ esse ostendis*, opitulari, Salviãq; manu-tenendam donec eam jus pascẽdi occupavisse ostenderimus? hoc Gordianus nõ dixit, neq; enim de hoc fuerat unquã rogatus. dixerit; quid attinet? nónne de re corporali respõdit? Dixi, eum nobis valde favere, & verum dixi: nam statim ac dico, adversarium occupavisse jus pascendi in re meâ: cùm abnegem patientiam, statim eum occupatorem ostendo, quòd res mea libera præsumatur, ut initio dicebamus. Quòd ad secundã confessionẽ attinet, P.C. dicit Salvia, eam ab Episcopo factam, quũ anno MDLXVIII, Salvianis in Sacro Consilio dicâm conscripsit. Si verum id esset; multa mihi essent, quæ responderem: sed hoc etiam Salvia excogitat, confingítque: nunquam enim eo in libello id Episcopus fecit. recita libellum. *Iactant Salviani se habere jus pasculi in territorio Castellari, & ibi posse incidere ligna; ideò intendens declarari facere per Sacrum Consilium, nullum iis jus competere, & interim mandari quòd abstineant.* Ecce quòd, ne verbulum quidem, Episcopus de quasi-possessione locutus. Verùm suspicor, Partem adversam, spem totam locare in verbo *Abstineant*, quòd putet, in eo servitutis usum implicitè contineri. Esset quòd responderem, si ser-

servitutis usus prodesset, uti non prodest, eum debere esse clarum, atque indubitabilem: talem autem non esse, qui implicitè indicatur; idē enim sonat *Implicitè*, atque *Involutè*, atque *Latenter* [55]: sed non est quamobrem responsum hoc reddam: etenim *Abstinere*, non modò significat non facere illa, quæ aliquando fecimus, sed ea, quæ fecimus nunquam. Si verò Adversarius mihi non credat, quærátque Latinos; ecce Livium dicentem [56]. *Romano bello Fortuna Alexandrum Magnum abstinuit.* Ecce Tullium scribentem [57]. *Qui cùm interemisset Clytum familiarem suum, vix à se manus abstinuit.* Si quærat Iuris-cōsultos; ecce Papinianus [58]. *Adversus tutorem*, inquit ille, *qui pupillum hæreditate patris abstinuit*. Ecce Paullum respondentem [59]. *Si filius priusquam sciret se necessarium extitiße patri hæredem decesserit relicto filio, permittendum est nepoti abstinere ab avi hæreditate, quia & patri ejus tribueretur.* Ecce totus Codicis titulus. *Si minor ab hæreditate se abstineat*. Quid autem sit se ab hereditate abstinere, Severus, & Antoninus, eodem in titulo, sic explicant [60]. *Si vos paternæ hæreditati non immiscuistis.* est igitur abstinere se ab hereditate paternâ, hereditati paternæ non sese immiscere. possem innumera exēpla indicare, sed libenter omitto, ne videar Adversario Grammaticum agere. porrò verbum *Abstineant* eo in libello appositum, cùm respondeat verbo *Iactant*, omnino dicēdum est

[55] Vt habet Latinū Lexic. *verb.* Implicitè.

[56] *Liv. dec. 1. l. 8.*

[57] *Tull. Tusc. 4.*

[58] *In l. tutores, §. 4. de administr. tut.*

[59] *L. si quis filium, ff de acquir. hæred.* Adde *l. 42. eod.*

[60] *L. 1. C. si minor ab hæred. se abstin.*

est quòd significet *Abstineāt ab actu nō facto*. Quid quòd si dixisset Episcopus se ab Salvianis turbari; nihilominus Salvianorum quasi-possessionem haud foret confessus, eíque interdictum daretur? *Interdicto uti possidetis*, inquit Gothofredus [61], *Seu retinendæ possessionis agens, se possidere ait, & in suâ possessione se turbari conqueritur*. Hæc de secundâ Episcoporum confessione, P. C. nunc-jam tertiam audiamus. *Paria sunt*, inquit Salvian, *per se, & per testes fateri: bis Episcopi meam quasi-possessionem, per testes, professi sunt; ergo, &c.* Argumentum sanè inenodabile! quando-nam primâ vice? qui-nam testes isti? iidem, qui quum in Castellaro pecora pascerent, à Castellari Prætore intercepti fuere, rogatíque dixerunt, se, pabulari non solutâ mercede, pecora in Castellaro pavisse. Responderem, P. C. quòd licèt solus pascendi actus foret, ut non est modus adquirēdæ, aut probandæ quasi-possessionis; tamen tres Salviani, quot isti fuere, Salviæ, qui cum concertamus, quasi-possessionem non quæsivissent: etenim, ut ea Civitati per cives quæratur (si tamen quæri potest) illud exigitur, nempe quòd cives saltem sint decem, quòd Civitatis nomine id agant, & pleraque alia [62]. Hæc, inquam, responderem, sed quò, si nihil vanius, nihil inanius poterat à Parte proferri? Si verum id esset; nequiret pascui dominus aliena pecora, nec intercipere, nec multare; imò

[61] Gothofr. ad l. 8. §. Aristo lit. s. ff. si servit. vendicetur.

[62] De quibus, Surdus cit. decis. 236. & Cepoll. de servit. rust. præd. & præsertim cap. 9. à nu. 26. vbi etiam docet non posse per Civem Civitati adquiri.

imò nequiret ex prædiis extrudere ; pabulator enim se quasi-possidere exciperet. profectò tantum abest, ut, hoc negotio, pabulatoris quasi-possessio probetur; ut probetur ejus delictum, possítque multari: etenim probatur repugnantia domini, cùm tamen necesse habeat pabulator, domini patientiam demonstrare. & risu, hercule, foret excipiendus reus, qui à Fisci procuratore, per Iudicem, rogatus negaverat, si postea eidem procuratori objiceret. *Te interrogante negavi me crimen admisisse; ergo, ut testis tuus, innocentiam meam probavi.* Audîstis, P.C. de tertiâ Episcoporum confessione: de quartâ nunc, quid Salvia dicat, accipite. Ait Salviæ possessionem eos esse testificatos, qui anno MDXLVI sunt ab Episcopo in causâ cum Tito testes adhibiti, iisque putat fidem habendam, quòd quis nequeat testes à se productos repudiare [63]. Antequam ad ista respondeam, P.C. mihi quatuor sunt capienda. Primum, regulam illam intelligendam quòd ad personas, non autem quòd ad testimonia: quoniam Iustinianus [64] hunc in modum legem præscripsit. *Si quis testibus usus fuerit, iidémque testes adversus eum in aliâ lite producantur, non licebit ei PERSONAS eorum excipere:* ad arguendum autem testimonium, non est necesse arguendi rationem aliunde piscari, sed satis supérque est, si ipsummet testimonium sese redarguat: nam idem Iustinianus [65] sic ait. *Non adi-*

[63] *Ad text. in l. si quis testibus, C. de test.* cujus legis verba referuntur *in c. 4. in fin. 4. q. 3.* adde Farin. *q. 62. limit. 10.*

[64] *Cit. l. si quis testibus.*

[65] *Cit l. si quis testibus.*

adimenda scilicet ei licentia, EX IPSIS DEPOSITIONIBVS *testimonium arguere.* Quid autem sit EX IPSIS DEPOSITIONIBVS *testimonium arguere*, sic explicat Gothofredus [66]. *Testis ex suâ depositione potest argui, ut si sit varius, contrarius,* PERIVRVS, *vacillans,* REPVGNANTIA *deponens, singularis, non juratus,* SI IN FACTO PROPRIO TESTETVR, *si* NVLLAM *testimonii* RATIONEM *reddat, si publicatis testimoniis receptus.* Enimverò, quòd ad factum proprium attinet, quis non eum irrideret, illuderétque, qui libertatis meæ à me testis prolatus, me suum diceret esse mancipium, deindéque, suæ depositionis auctoritate, me vellet in servitutem asserere? *Nunquam enim producens obligatur, per productionem, credere testi producto, in his, quæ respiciunt causam propriam ipsius testis, quia tunc non dicitur testis, sed pars* [67]. Illud etiã, quod attinet ad testimonii rationem, ut cetera omittam, est profectò verissimũ: is enim, qui nullâ fultum ratione testimonium perhibet, perhibet non aliter ac pecus [68]: non est autẽ, P.C. cur nos, qui ratione belluis maximè præstamus, hujuscemodi testibus, ne minimùm [69] quidem, credamus. quod & verum est, licèt testis rationem afferat, illa verò parva & impotens sit: perinde enim est nullam, atque imbecillam rationem afferre, cùm tota testimonii fides, & vis ab solâ ratione dependeat [70]. Secundum, quod præcapio, est,

66 Gothofr. ad cit. l si quis, lit. X.

67 Verba sunt Farin. cit. q. 62. nu. 249.

68 Farin. q 70. n. 9.

69 Farin. q cit n. 8.

70 Farin. ibid.

est, quòd cùm nullus idoneus testis in re suâ intelligatur [71], civium nemo queat pro civitate suâ testificari; maxime-verò quum utilitas ad ipsum relabitur [72]: atq; id locũ habere quũ de pascuis agitur, & singuli cives jus pascendi pecorũ controverso in prædio obtinerent, nullus est, qui pro certo non habeat [73]. quî enim propriam causam ab alienâ discernimus? utique palàm est eam esse propriam alicujus causam, cujus causæ emolumentum, vel damnum ad eundem pertineat [74]. His ita præsumptis, P.C. sciendum est septenos testes à Parte citari, horúmque testium Salvianos esse quaternos: non est igitur causâ, quamobrem quaternis istis respondeam: etenim Salvia contendit, non modò sibi; verùm-etiam Salvianis omnibus esse jus, & potestatem pecoris in Castellaro pascendi. Quid autem quòd testes isti omnino falsa eo in judicio locuti sunt? nam, ut cetera mendacia prætercam, quæ mendacia sunt innumera, eorũ quisque sic ait. *Il Vescovo possiede il Castellaro, e ci hà il jus della fida, e diffida, eccetto dagli huomini della Salvia, li quali sono stati sempre trattati, come sono stati, e sono franchi, tanto nel territorio di Satriano, quanto del Castellaro, e ci hanno lo jus pasculandi, aquandi, pernoctandi, glandandi, spicandi, fructus colligendi, lignamina incidendi, FIDA, e DIFFIDA à loro arbitrio, e volontà, & io ne hò veduto VN' istromento di conservatorio in tutti li territorii di*

[71] L. 10. ff. de test.

[72] Affl. decis. 400. Farin. q. 60.

[73] Afflict. ibid. ibidemq; Farin. n. 501. Capoll. cap. cit. n. 28.

[74] L. 1. §. 11. ff. quand. appell. sit.

Satriano, e preciſamente nel Caſtellaro. Súntne falſi nécne hi Salviani, ſi non modò jus pecoris paſcẽdi, ſed etiam jus fidæ, diffidæque ſibi attribuunt? Súntne falſi nécne, ſi tabulæ illæ ſolùm de Satriano territorio loquuntur? Videte nunc (ut obiter hoc annotem) P. C. quàm bene Salvia utatur his teſtibus ad verum faciendum ſuum illud Cõſervatorium, ſi de illo Conſervatorio teſtimoniũ hos teſtes falſiſſimos facit. ſed ſive ſit verum, ſive falſum, nihil ad nos; nos enim eodem illo Conſervatorio, Salviæ actionem vehementer infregimus. Verùm ad ea, quæ diximus de teſte ab aliquo producto, duo Adverſarius objicit. Primum eſt illud Farinacii [75] dicentis. *Sed ego de hâc ſublimitatione multùm dubito, quando intereſſe proprium ipſius teſtis eſt benè notum producenti ante productionem; ſicut enim per pactum, & de partium expreſſo conſenſu fieri poteſt, ut ſtetur depoſitioni partis adverſæ, eodem modo fieri poteſt, ut producens credat dicto teſtis intereſſe habentis in causâ; quia in iſtâ materiâ par eſt virtus taciti, & expreſsi, & actus judiciales ita contractum inducunt, ſicut ſtipulatio expreſſa.* Sed hæc objectio, P.C. ſi liberè loqui licet, eſt omnium ſanè vaniſſima: tum quia Farinacius ipſe non hoc affirmatè dicit: tum quia hæc locum haberent ſi Epiſcopus in causà cum Salviâ Salvianos, vel Titanos in causâ cum Tito teſtes adhibuiſſet; non autem quum Salvianos in causâ cum Tito citavit. Quid dixi?

75 Farin. cit. q. 61. n. 251.

dixi? fallor vehementiſſimè; non enim potuiſſet Epiſcopus, ſuper rebus Eccleſiæ, nec in judicio, nec extra, nec expreſsè, nec tacitè pactum inire. qui ſecus fecerit, *quo iratus Deus animas percutit, anathemate feriatur, niſi fortè & alienator, & qui acceperit, celeri reſtitutione ſibi proſpexerint: quòd ſi minore animæ ſuæ curâ remedium oblatum neglexerint, præter pænam ſuper hoc aſcriptam, effectum exinde DOCVMENTVM viribus (quamvis ab initio nullas habuerit) vacuetur* [76]. Non potuiſſet igitur Epiſcopus in causâ cum Tito Titanos, neque cum Salviâ Salvianos teſtes producere, quia fuiſſet id de rebus Eccleſiæ in judicio quaſi-contrahere: quid erit ergo quum Salvianos in causâ cum Tito vocavit? irritum ſanè, vanum, caſsúmque eſt Salvianorum, quo de agitur teſtimonium. Secundum quod objicit Adverſarius, eſt quòd Epiſcopus teſtibus iſtis minimè reclamaverit, ac proinde eorum teſtimonia accepiſſe cenſeatur. Ad hæc, P.C. poſſem eadem reſpondere, quæ paullò ante; id-eſt Epiſcopum non potuiſſe, nec in judicio, nec extra, ſive per expreſſum, ſive tacitum per pactum, ullum Eccleſiæ damnum infligere: debet enim Epiſcopus providere ne quid Eccleſia detrimenti accipiat [77]. verùm quid hoc opus, ſi hæc teſtimonia, nec ab Iudice publicata, nec Epiſcopo nota fuere? Vrget Adverſarius, publicationem apud nos fieri ipſo jure. fit ipſo jure; quid inde?

[76] Verba *c. 6. de reb. Eccleſ. non alien.*

[77] *c. 1. de in integ. reſtit.*

quid eſt fieri teſtimoniorum publicationem? eſt illa fieri publici juris. númne valeat hæc argumẽtandi ratio. *Mare eſt publici juris; ergo Salviani navigaverunt?* Sanè tibi non officit teſtium depoſitiones potuiſſe reſcire, ni reſcîſſe etiã cõvincare. Audiamus Farinacium [78]. *Si ultra productionem, & examen*, inquit ille, *poſt illius publicationem produxerit etiam illud idem examen didicitum, & publicatum, tunc enim videtur approbare non ſolùm perſonas teſtiũ, quos ad examinandum induxit, ſed etiam dicta, poſtquam illa bene non ignorans pariter produxit; ſecus autem ſi ſolùm teſtes ad examinandum induxerit, non tamen didicitos, & publicatos, tunc enim non poteſt dici, quòd eorum dicta approbaverit per productionem, cùm illa ignoraverit*. Sed quid quòd erat abſens Epiſcopus quum hæc geſta fuere? erat enim Bononiæ, neque unquam Satrianum advênit. Quid quòd ejus ſucceſſor, ſtatim-atque iſta fortaſſe reſcivit, acerrimè reclamavit, & Salvianis in Sacro Conſilio, ut ante commemoravimus, dicâm reſcripſit? Quid quòd hi Salviani ſunt ipſo mendacio mendaciores, ut poſtea dilucidè oſtendemus? Hæc de teſtibus Salvianis, P.C. nunc-jam ceteros inſectemur; ſed, ut faciliùs id faciam, reliqua duo præſumam. Primum, quòd eo in arbitrio, de quo mentionem habuimus, arbitri voluerunt, ut *Epiſcopus fidam, diffidámque Comitibus cederet pro PENSIONE declarandâ per Commiſſarios Apoſtolicos, reſervato*

78 Farin. q. 61. n. 229.

servato, dicto Episcopo, & Ecclesiæ jure glandium, terragiorum, & omni alio jure dominii, seu quasi: ideóque ab eo tēpore, ab anno scilicet MCDLXXXVIII, perpetim jura illa Comitibus locata fuere, quoad usque novi Comites, ante annum MDXVIII, Castellarum occupaverunt, coactíque sunt per Sacrum Consilium, anno MDXLIII, illud Episcopo restituere. Episcopi igitur, fidæ, atque diffidæ jura, ab anno MCDLXXXVIII, ad annum usque MDXLIII, nunquam exercuerunt. Secundum, quod præcapiam, est, non posse eum, per quem possidemus, quisquis sit, nostræ possessioni obesse [79]. *Ex libris Sabinianis*, inquit Iustinianus [80], *quæstionem in divinas nostri numinis aures relatam tollentes, definimus, ut sive servus, sive procurator, vel colonus, vel inquilinus, vel quispiam alius, per quem licentia est nobis possidere, corporaliter nactam possessionem cujuscūque rei dereliquerit, vel alii prodiderit, desidiâ fortè, vel dolo, ut locus aperiatur alii eandem possessionem detinere: nihil penitùs domino præjudicii generetur, ne ex alienâ malignitate alienum damnum emergat.* His ita præcognitis, testimonia videamus. Primum est Paullucii, qui sic habet. *I fattori de' Vescovi hanno esatto i terraggi delle vettovaglie nel Castellaro, e la fida si è pagata alli Baglivi, che hanno tenuto affittata la bagliva di Satriano, & io com' Erario del Conte di Satriano pagava ogn' anno ducati trenta al Fattore del Vescovo, per la rata parte, che havea in*

[79] *DD. ad l. ult. C. de adquir. possess. Gabr. de præscript. concl. 1. nu. 61. v. contrarium.* & ita judicatum per *Sacrum Consilium*, teste *Capyc. decis. 57.* præsertim in rebus Ecclesiæ; *D.D. in cap. cū olim de restit. spoliat. Gothof. ad cit. l. ult. lit. V.*

[80] *Cit. l. ult. C. de adquir. poss.*

detto

detto territorio (Fallitur, quòd putat Castellarum agri Satriani esse partem) *mà non sò come i Vescovi haveano contrattato insieme colli Conti*. Ecce illud, quod dicebamus, nimirum, illius arbitrii ratione, fuisse fidam, diffidámque locatã Comitibus: quâ de re, præter testes innumeros, eósque antiquissimos, publicas etiam tabulas habemus. Ecce quoque, quòd credi perdignum sit, ex hac etiam re, esse falsos & Salvianos, quos ante refutavimus, & Petrum (quem mox refellemus) in eo, quod ajunt, hoc est Comites ab cũctis pabularem pecuniam exegisse; habuisse verò Salvianos immunes, eósque ab ceteris omnibus omni tempore secrevisse: etenim, si hoc veritate niteretur, quis istius rei, Paullucio, Comitũ Quæstore, scientior? Quid quòd in tabulis illis, quibus fida ab Episcopis locatur Comitibus, non est Salviâ excepta? nũ id Comites voluntate, & nullâ sibi ab Episcopis lege dictâ fecissent? Quid quòd sexcenti olim-jam testificati sunt, à Comitibus, quibus magis sibi placeret, datam pascendi potestatem, & sine potestate illâ pascentes multatos; de Salviâ verò, aut Salvianorum exceptione, ne verbulum quidẽ faciunt? Quid quòd Salviani, aut solverunt, aut multati sunt à Comitibus, ut id temporis iurati dixere testes innumeri, dixítque ipsius Salviæ Baro Caracciolus? Vt hinc evidẽter appareat, improbissimos, & perjurissimos esse Salvianos, quos

paullò

paullò ante confutabamus. Sed jam Petrum audiamus. *Sono ventisei anni*, inquit ille, *che io venni nella Diocesi di Satriano con Monsignor Cherubini, Vescovo di detto luogo. Sò che i Signori di Satriano hanno soluto affittare il jus della fida dalli Vescovi.* Magnum sanè, impudénsque mendacium! quando-nam Comites illud jus ab Episcopis suâ memoriâ cōduxerūt, si vi assiduè detinuere, ut postea demonstrabo? *e solevano fidare tāto quelli del Tito, quāto de' luoghi convicini, eccettuata, e riserbata la Salvia.* Hoc certè dixisset Paullucius, sexcentíque illi testes dixissent, atque falsissimum est, ut paullò ante manifestè ostendimus. *la quale era, & è franca nelli territorii di Satriano.* Putat Castellarum esse territorium Satrianum. *Secondo intendeva esso testimonio dire dagli huomini della Salvia.* Optimam quippe sciētiæ caussam! *e del Tito.* Qui-nam fuere Titani, & quâ ratione sciebant? Quid quòd Titanorum intererat Salvianos haberi immunes, idque illo in judicio probare, sed perperàm studuerunt? *& hà visto da detto tempo in quà, che ci è prattico, come sempre sono stati franchi in detti territorii, eccetto la Perolla in tempo delle ghiande, ch'è stata, & è difesa dal Vescovo.* Quomodò scit fuisse immunes? num dixerit scire, quòd sciat, eos pabularem pecuniam nunquam solvisse? at quomodò scit? nónne id est negare, inficiaríque factum? númne reddit suæ negantiæ rationem? nónne reddere, non rogatus

etiam

etiam tenebatur? quis dubitet [81]? Quid ergo? non probat, & est de falso suspectus [82]. Suspectus etiam aliâ ratione. Res solùm cum Tito agebatur; ponebátque probandum Episcopus Castellarum esse liberum: si Salviæ serviebat, nolebátque Petrus hoc præterire; an-non satis erat dicere; *Est liberum præter à Salvia?* Quid opus erat historias narrare, vel, ut veriùs dicam, fabulas cōponere? Quid opus erat usqueadeò effusè dicere, quæ strictim, paucissimísque dixisset? nónne videtis, eum verbosè nimis, & magnâ cum affectatione locutum? nónne igitur suspectus sit? sine dubio. *Non solùm commodum, & interesse*, inquit Farinacius [83], *testem à testimonio repellunt, sed etiam sola affectio.* aliàs ait [84]. *In teste nimis affectatè deponente, affectio præsumitur non mediocris: ideò illi ob talem affectatam depositionem, fidem non esse habendam probârunt plures:* & aliâs [85]. *Propter præsumptam affectionem, testis verbosus nimis in suâ depositione suspectus est.* Considerabitis etiam, P.C. utrùm simpliciter hic testis visus sit dicere, utrùm unum, eundémque, & meditatum cum Salvianis sermonem attulerit [86]. Sed quid quòd, aut falsissimus est, aut certè ne minimùm quidem Episcopum afficit? Duo continet hæc depositio: unum juris, hoc-est, Salvianos immunes esse; alterum facti, hoc-est, immunes habitos fuisse. quòd ad primum, auritus est, & ab Salvianis, Titanísque audivisse

81 *D.D. apud Farin. de test. q. 65. n. 130.*

82 *Farin. q. cit. n. 207. & D.D. apud eum ead. q. n. 216.*

83 *Farin. q. 60. n. 29.*

84 *Farin. q. cit. n. 33.*

85 *Farin. cit. q. n. 37.*

86 Quæ omnia esse considerāda monet *Callistratus in l. 3. ff. de testib.*

divisse profitetur;ab iis scilicet,quorũ res agebatur,quíque nullâ ratione dicebant:cùm tamen in iis, quæ juris sunt, & sensu percipi nequeunt, omnino necesse sit,ut testis constantẽ,necessariámque scientiæ caussam alleget [87]. Quòd ad secundum, aut testatur Salvianos immunes habitos ab Episcopo, aut ab Satriani Comitibus, qui jus illud fidæ, atque diffidæ, aut conduxerant, aut invaserant.Si hoc secundum;falsissimus est,& si talis non esset; nullum tamen Episcopo negotium facesseret:neque enim invasor, neque cõductor, nec quispiam alius domino fraudi esse potest, ut paullò ante * apertissimè,luculentissiméque probavimus.Si primum;nihil omnino est falsius:tempus enim,quo ipse Satrianum advênit, incidit in annum MDXX: multò autem ante annum illum erat à Comite Castellarum invasum: nam principio anni MDXIX, erat lis contestata cum Cherubini antecessore Augustino de Ortis: quæ lis ad annum usque MDXLIII duravit. Sed ecce mihi fit obviam tertius testis Angelus Muscus, qui hunc in modum testificatur. *Sò,che la fida, e diffida del Castellaro, prima la tenevano li Conti di Satriano, e poi li Prencipi di Stigliano, e mi diceano i Baglivi di Satriano, che tanto gli huomini del Tito, quanto de' luoghi convicini erano fidati da loro* (hi ergo, sexcentíque illi, de quibus ante meminimus, non excipiunt Salviam: ergo,ex eorum oratione,

[87] Farin. q. 70. n. 6.

* n. 80, & diccmus, n. 153. 154. 195. 196. & 197.

& Salviani solvebant) *mà una volta, trent'anni, e più sono* (tenacissimam sanè, ingentémque memoriã, cùm oblivio, maximè rei alienæ, per deceniũ præsumatur [88]) *Il Vescovo Agostino de Ortis ci pose li Baglivi, ch'erano di Picerno, li quali una volta pignorarono un'Albanese, che habitava nel Tito, & un'altra volta detti Baglivi riportarono in Picerno una morra di porci d'huomini della Salvia, & il Vescovo glie li fece tornare, dicendo, che gli huomini della Salvia erano franchi*. Quid hoc secundum ad rem, quâ de re agebatur? nónne percipitis, P.C. hunc testem cũ affectatione locutum? At quî scit Episcopum ita dixisse? num dixit ipso præsente? num Picernum est sedes Episcoporum? Sciat quòd ipso præsente Episcopus dixerit; nónne confessio extra judicium est per duos testes probanda, ut indicium faciat? ita sanè [89]: quid igitur quum est probata per unum? est utique indicium indicii; hoc-est nihil admodum. Quid quòd non est verisimile, id Episcopum dixisse? siquidem monimenta, quæ in Episcopii tabulario erant, eũ docebant, Castellarũ ad Ecclesiã *PLENO IVRE* spectare, deberéq; Episcopo ab *OMNIBVS RESPONDERI*. Dixerit Episcopus; quid ad Ecclesiã? quid ad Christum? nempe unus hic rerum Ecclesiæ dominus, verúsque possessor est [90]. Porrò Episcopi confessio nullum Ecclesiæ, nullum Christo præjudicium potest afferre [91]. Quid quòd fuisset errore facta con-

[88] *Mascard. concl.* 1127.

[89] *Mascard. concl.* 379.

[90] Qua de re videndi sunt *Innoc. in c. cum super de caus. poss. & propr. Felin. in c. ex literis, de probat.* & *Bald. in l. si aquam, C. de servit. & aqua.*

[91] *Mascard. concl.* 367.

confeſſio, quæ nemini nocet, quanvis à parte accepta, à confitente iterata, & confirmata jure-jurando [92]? Sed iterum quid quòd teſtis iſte graviter, multúmque mentitur? ob illud enim arbitrium Comites, ab anno MCDLXXXVIII, quo anno latum eſt, partim conductione, partim invaſione, ad annum uſque MDXLIII, fidâ, diffidáque perpetuùm ſunt in Caſtellaro potiti. An dixerit, verba illa: *Trent'anni, e più ſono*, retrahi ad illud uſque tẽpus, quo arbitrium non erat pronũtiatũ; ad annum ſcilicet uſq; MCDLXXXVII? retrahantur, ni diſpliceat Vlpiano [93] dicenti: *Hæc adjectio*, PLVRIS-VE, *non infinitam pecuniam continet, ſed MODICAM, ut taxatio hæc; ſolidos decem PLVRIS-VE, ad MINVTVLAM ſummam referatur*. retrahantur, inquam, an-non teſtis iſte ſit quolibet perjuro perjurior? Quando-nam hoc teſtimonium dixit? Anno MDXLVI. Inter hunc annum, annúmque MCDLXXXVII, quot anni intercedunt? LIX: quotum annum ipſe agebat quum teſtimonio fuit? LX: quotum annum agebat anno MCDLXXXVII? erat puer anniculus: ſenex ergo hic eſt hujus rei ſplendidè mendax: nam *infans, & qui infantiæ proximus eſt, non multùm à furioſo diſtant: quia hujuſmodi ætatis pupilli NVLLVM habent INTELLECTVM* [94]. Vidiſtis, P.C. proſtratum adverſæ partis Achillem: nunc-jam ejus, ni pudor ſit, Pumiliones adoriamur. Ait

[92] *Maſcard. concl.* 378.

[93] *L.* 192. *de verb. ſignif.*

[94] §. 10. *Inſtit. de inutil ſtip.* Adde *l. ult. ff. Rem pupill. ſalv. for. l ult. ff. de jur. & fact. ignor. l.* 26. *ff. de jur. jur. l.* 1. *C. de falſ. monet.* Infans autem eſt minor ſeptem annis *l* 18. *C. de jur. delib.*

Salvianos habere in Castellaro tuguria, idque non permissuros Episcopos, ni Castellarum Salvianis serviret. Possem ire inficias: sed habeant; quid ad rem? an-non etiam habent ibi Titani, aliíque complures? num quoque istos hæc servitutũ cupiditas invadat? Sint eâ cupiditate incessiti; an ad suam implendam intentionẽ suffecerit, ipsos habere ibi tuguria? minime-verò: quîd ita? quoniam, Episcoporum concessione, illorum sunt agrorum cultores: colonis autem est licitum in fundo, quem colũt, casas exstruere [95]. Porrò Episcopi certas agrorum partes pluribus etiam Salvianis ad cultionem precariò concesserunt. ostẽdere igitur Salviã oportuit, illos, qui eò loci habent casas, cõcessiones nequaquam habere: cùm enim Episcopus habeat suæ actionis fundamentum, hoc-est libertatis præsumptionem; si Pars adversaria dicat esse casas illorum, qui non habẽt concessiones; debet id facere verum: nam præsumptio rejicit in adversarium onus probandi [96], & ei, qui dicit, non qui nẽgat probatio incũbit [97]. Num fieri non possit, ut eorum sint casæ, qui habent concessiones? si ita; probatione Salvia deficitur: non enim probat hoc esse, si hoc idem abesse contingat [98]. Quid quòd ipsamet Salvia, per testimonia, quæ produxit (produxit verò perperàm, ut postea demonstrabimus) fatetur tugurium (dico *tugurium*, non autem *tuguria*, quoniam de

[95] *Capoll. de serv. rust. præd. c. 16.*

[96] *Menoch. præs. 116. n. 34. lib. 4.*

[97] *L. 2. ff. de prob.*

[98] *D.D. per tex. in l. 4 C. und. legit.* Vide *Farin. q. 68. n. 4.*

de uno solùm nominatim testimonia loquuntur) Quid quòd, inquam, tugurium dicitur esse cujusdam Prosperi Ilarii: quidam autem Cæsar Ilarius (est ut conjiciamus, illũ esse hujus heredẽ) olimjam habuit precariam ab Episcopo fundorum concessionem? Quid quòd hoc argumentum jure optimo in Salviã rejicitur? siquidem Salviani potestatem ibi casas ædificandi, ab Episcopis, & non-nisi stipulato canone exorârunt, ut manifestum, certúmque est ex antiquissimo bonorum Ecclesiæ repertorio, quod fidem facere, & quasi-possessionem ostendere Vincentius de Franchis [99] testatur. Profectò neque talem sibi potestatem Salviani ab Episcopis impetrâssent, neque canonem pensitarent, si Castellarum sibi serviret: suo enim jure tuguria illa struxissent. Refutatâ, P.C. hac Salviæ ratiunculâ, ratiũculam aliam refellamus. Ait conductores fidæ, diffidæque Castellari suis in libris (vocat libros quasdam paginulas à conductoribus memoriæ causfâ exaratas, & nomina eorum habentes, quibus illi pascendi potestatem fecerunt) in libris, inquam, illis Salvianos non esse annotatos, propterea immunes censeri, quòd liber cujuslibet coactoris, sive sit vectigalium, sive cujuslibet alterius rei, probet illius immunitatem, qui in codicem illum non sit relatus: imò majorem fidẽ his libris, quàm testibus habendam. Sed mirificè fallitur Adversarius,

[99] *De Franch. dec. 103. in princ.*

ſarius,vocabuláque perturbat.an iſti libri,ſi libri ſunt, æquentur codicibus, de quibus loquuntur ii,quos ipſe allegat? Allegat de Franchis[100]: ſed hic loquitur de codice illiuſmet, qui actionem intenderat. Allegat Maſcardum[101], & alios:ſed hi loquuntur de libris,publico in archivo conditis, qúmque res agitur cum eo, qui librum cōfecit. Allegat Pomponium[102]:ſed hic loquitur de exceptione factâ,aut non factâ ab eâdemmet teſtatrice, cujus de re agebatur. ut poſſim, P. C. omnes iſtas auctoritates in Adverſarium torquere:non enim iſti ſunt libri Epiſcoporum: imò Epiſcopi in locationibus neminem unquam exceperunt: quod ſanè feciſſent,ſi Salvia immunis fuiſſet,ne conductores de penſionis ſummâ deceſſionem petere potuiſſent. Nunquam ſanè id fecerunt Epiſcopi: quòd ſi conductores,ſive dolo,ſive deſidiâ, ſive liberalitate, ſive ſuâ ſtoliditate Salvianos immunes feciſſent; quid ad Epiſcopos? quid ad Eccleſiam?quid ad Chriſtum[103]? Hæc quoque reſponſio,P.C.quadrat in omnes conjuratos illos homunciones Partis adverſæ,qui ſe conductores faciūt,dicúntque Salvianos ab ſe factos immunes. Quid nunc reſpondebimus ad ea? *Prohibitio unius, alterius eſt incluſio:Sed ſic eſt, quòd quum quidam Salviani arbores in Caſtellaro ſuccidiſſent, juſsit eos Epiſcopus ſatiſdare ſe poſthàc vivas arbores non inciſuros; ergo mortuas poſſunt incidere*. Fallax omnino conſecutio:

100 De Frāch. ibid.

101 Maſcard. concl. 316.

102 L. Titia, ff. de leg. 1.

103 Huc referetis, quæ diximus n. 79. addetis Cotbra conſ. 10. apud Frider. de poſſ. cap. 11. n. 60. & Affl. deciſ. 380.

cutio: etenim cùm fida, diffidáque, singulis annis, ab Episcopis locetur, locetúrque cum solâ potestate succidendi arbores mortuas; eos intercepit Episcopus, qui arbores vivas exciderant, sibíque cavit arborum tantũmodò vivarũ incolumitatẽ, quandò mortuarum sibi cavere non poterat: jus enim in istas erat non penes ipsum, sed conductorem, in cujus præjudicium neminem poterat ipse impedire [104]. Demus, non esse ab Episcopis fidam locatam: an fieri non potest, ut eum in modum sit cautio præscripta, quòd incisores illi Episcoporum concessione in Castellaro sementem facerent? quâ in re licuisset illis, ad frigus depellendũ, ligna conficere. planè Camillus, & Rogerius (de his autem adversa Pars loquitur) Castellari partem colebant, poterántque, non modò arbores mortuas, & cremia; verùm, ad boves reficiendos, ramalia, atque, ad tuguria conficienda, infecundas etiam, licèt vivas, arbores excidere. Non ita res habeat; quod nam Episcopi, utque veriùs dicam, ejus Vicarii (Vicarius enim cautionem imperavit) conjecturâ tracta illa cõfessio successoribus? Ecclesiæ? Christo noceat? Quod proximè ab extremo loco Salvia proponit, P.C. tam est vanũ, quàm quod vanissimũ. *Titani*, inquit, *in causâ cum Episcopo, anno MDXLVI, posuerunt probandum, Salvianos in Castellaro immunes; ergo, &c.* Posuerũt, fateor: fecerúne verum? nequaquã. quî fecissent, si

[104] *Afflict. cit. dec. n 6. Post. decis. 87 n.6.*

ſi falſiſſimum erat? nónne fecimus manifeſtũ,ab Salvianis, aut mercedem, aut multam perpetuò depẽsã? planè tota illa Titanorũ poſitio eſt apertiſſimi mendacii, ſummæque falſitatis comperta: habet enim,non modò Salviã,ſed municipes etiã Sanctangelii, & Petræfixæ immunes haberi:cùm tamẽ hi omnes,ut apertiſſimè liquet,nullo nõ tẽpore ſolverint. Noviſſimè Pars adverſaria dicit,ſexaginta ſibi eſſe homines,qui teſtimonia de nuperâ Salviæ quaſi-poſſeſſione,dirarũ Eccleſiæ religione protulerint,quódque octo ex iis coram Titi Prætore id ſacramento iteraverint. ſed quoniam iſti omnes ex Tito ſunt, proptereáque,hoc in negotio, quandò Titi poſtulatio durat, ſuam rem agunt, & Sacrum Conſilium, tum iſtâ, tum aliâ de cauſsâ,nullã de his,nec voluit,nec debuit rationem habere; non eſt, P.C. quamobrem vos eorum ineptiis diſtineam. Duo tamen ſunt, quæ præterire non poſſum.primum, tantam fuiſſe Baronis auctoritatem,ut Titi Prætor à Magnâ Curiâ inhibitus ne hac in re porrò pergeret, nihilo ſecius,neglectâ Magnâ Curiâ, ſpretóque illius imperio,Titanis illis octo teſtimonio dicendo diem dixerit. Secundum,quòd ruſticuli illi magno nobis exemplo ad virtutem præluxerint: etenim adeò religioſi fuere, ut unus, & quadraginta eorum,non ſecus atque apum examen, uno die, nullo alio, niſi religione cogente, teſtimonia perhibue-

bue-

buerint: imò religionem religioni addiderunt, quoniam veriti ne ſua ipſorum teſtimonia perirent; inſuetâ cautelâ, hoc-eſt adhibitis teſtibus, cùm tamen ſecretò ferenda ſint, ea communiverunt. Magnam ſanè virtutem: magnum enim-verò, rarúmque exemplum: ſed ut unicuique virtuti finitimũ vitium reperitur, atque humanum eſt in errores dilabi; in plurimas falſitates, eáſque maximas inciderunt. eorum, ducíſque tantorum mẽdaciorum parcam pudori, ſed ſi uſus erit; erit, qui illa recenſeat, palámque faciat. Probent, per me, homines iſti Salvianorum uſum paſcendi, &c. num probant eorum quaſi-poſſeſſionem? porrò nullus iſtorum hominum, de ſcientiâ, & patientiâ Epiſcoporum teſtimonium dedit, cùm tamen ſine domini ſcientiâ, & patientiâ, quaſi-poſſeſſionem minimè adquiramus [105]. Etenim, ut exponit doctiſſimus, erudititiſſimúſque, ac mihi in omni memoriâ venerandus præceptor meus, in florentiſſimo Firmanorum Lyceo, Galvanus [106], in rebus incorporalibus, veluti ſervitutibus, cùm eæ verè nequeant poſſideri [107], ut denotant hæc genera loquendi. *Quaſi poſsidentur* [108]. *Intelliguntur poſsideri* [109]; admiſſum oportuit quoddam aliud genus poſſeſſionis, quâ defectus corporis poſſeſſi suppleretur. Ad confirmandam autem hanc interpretatam poſſeſſionem, Auctores juris, ſuo more, commentum quæſiverunt ficti actus,

[105] *D.D. apud Poſt. de manut. obſerv.* 40.

[106] *Galvan. de uſufruct. c.* 33.

[107] *L. ſi ædes, §. ult. ff. de ſervitut. præd. urb. l.* 4. *§ ſi viam, ff. de uſucap.*

[108] *L. ſervitutes* 20. *de ſervit. præd. urb.*

[109] *Cit. l ſi ædes, §. ult.*

derans,ſcientiam hoc ipſo exprimit [118], atque requirit [119]. ut nihilo juverint Adverſarium leges illæ,quæ uſum, non etiam ſcientiam deſiderare videntur, cùm hoc ſatis ſupérque aliis legibus ſit expreſſum [120]. Porrò exprimitur ab Imperatore Antonio [121] dicente. *Si aquam per poſſeſsionẽ Martialis, EO SCIENTE, duxiſti*. Exprimitur ab Iuliano [122], qui ait.*Si à te emero, ut mihi liceat ex ædibus meis in ædes tuas ſtillicidium immittere, & poſtea, TE SCIENTE, ex causâ emptionis immiſſum habeam*. Exprimitur à Gajo [123]. *Dare autem,* inquit ille(uſumfructum) *Intelligitur, ſi INDVXERIT in fundum Legatarium, eúmve PATIATVR uti frui*. At quæ-nam ſunt leges illæ,quæ uſum, non etiam ſcientiam deſiderare videntur? Citant Iavolenum [124], cujus verba ſunt hæc.*Quoties via,aut aliquod jus fundi emeretur,cavendum putat eſſe Labeo,per te non fieri quominus eo jure uti poſſit,quia nulla ejuſmodi juris vacua traditio eſſet* (Hæc eſt expreſſa illa patientia,quâ de ante ſermonem habui) *ego puto uſum ejus juris pro traditione poßeſsionis accipiendum eſſe.* Ecce patientiam tacitam,de quâ etiam locuti ſumus.At quiſ-nam uſque-adeò fungus ſit,ut non intelligat,Iavolenum hâc in lege ſubintelligere venditoris ſcientiam,& patientiam cum uſu conjunctas? An-non eo ipſo, quòd te dixit jus vendidiſſe, & emptorem, cauſsâ emptionis, eo jure nunc uti, dixit etiam,te ſcire, pa-

118 L. qui patitur, ff. mandat. l. 2. ff. de juriſ omn. jud l. illud, ff. de acquir. heredit. Coraſ. ibid.

119 c 2. de his, quæ fiunt à Præl. & cit. l. illud.

120 Coraſ. ibid.

121 L. 2. C. de ſervit. & aqua.

122 L. 16. ff. ſi ſerv. vindic.

123 Cit. l. 3. §. dare, ff. de uſufr.

124 Cit. l. quoties.

tíque usum emptoris? Citant illa Vlpiani [115]. *Si quis diuturno usu, & longâ quasi-possessione jus aquæ ducendæ nactus fuerit, non est ei necesse docere de jure, quo aqua constituta est, veluti ex legato, vel alio modo, sed utilem habet actionem, ut ostendat per annos forte tot usum se, non vi, non clam, non precariò possedisse.* Sed hæc nihil ad rhombum: etenim Vlpianus, non modò non respuit scientiam, sed eam etiam desiderat: id quod ex eo manifestũ est, quòd non solũ dicat: *Si quis diuturno usu*, sed addat; *Et longâ quasi-possessione.* Dixerat ante Vlpianus [116]. *Traditio planè, & patientia servitutum inducet officium prætoris.* Quod, aut ita legendum, aut hic sensus est. *Patientiâ planè, ut traditione servitutem inducet officium prætoris* [117]. Adeóque non præteribat Vlpianum, in quasi-possessionis vocabulo, patientiam (quæ scientiam comitem habet) includi. & summus ille juris Interpres Antonius Faber [128], quum rationem dubitandi attulisset ad illa verba Vlpiani: *Non est ei necesse.* hanc decidendi rationem affert: *In servitutibus, quemadmodum usus, & patientia pro traditione est,* l.ult. de servitut. l. 1. §.ult. rust. præd. *Ita, & pro titulo est, si is, qui nullam servitutem debuit, scivit tamen, & passus est adversarium uti servitute.* Existimat igitur vir doctissimus Faber, ab Vlpiano eò loci scientiam desiderari. Quid quòd Vlpianus eo in loco non ita loquitur: *Si quis diuturno usu, & longâ quasi-possessione aquam duxerit*, sed, quod

115 *L. 10. ff. si servit. vind.*

116 *L. 1. §. ult. ff. de servit. præd. rust.*

117 Vt scilicet legendum existimat *Gothofred. ibi, lit. K.*

128 *Faber. Ration. ad cit. l. 10.*

quod longè aliud eſt: *Si quis diuturno uſu, & longâ quaſi-poſſeſsione, IVS aquæ ducendæ nactus fuerit?* Planè, ut quis tale jus nanciſcatur, non ſufficit, eum duxiſſe aquam per longum tempus, ſed illud etiam exigitur, nimirum ut duxerit tanquam jure ſuo [129], non vi, non clam, non precariò [130], adeóque ſciente, & patiente adverſario [131]. *Qui probabis,* inquit Rævardus [132], *te non precariò poſſediſſe, niſi manifeſtum feceris quâ auctoritate jus aquæ ducendæ nactus fueris? Quâ ratione oſtendes, te non clam poſſediſſe, niſi te ſine aliquo celandi animo, prædii ſervientis domino, tuam poſſeſsionem denunciâſſe oſtenderis?* Planè *clam facere videri, Caſsius ſcribit* [133], *eum, qui celavit adverſarium, neque ei denunciavit, ſi modò timuit ejus controverſiam, aut debuit timere. Eum quoque clam facere Ariſto putat* [134], *qui celandi animo habet eum, quem prohibiturum ſe intellexerit, & id exiſtimat, aut exiſtimare debet ſe prohibitum iri.* Citant eundem Vlpianum [135] dicentem: *Hoc interdicto prætor non inquirit utrùm habuerit ſervitutem jure impoſitam, an-non; ſed hoc tantùm, an itinere, actúque hoc anno uſus ſit, non vi, non clam, non precariò.* Sed hanc ad rem reſponſum paullò ante reddidimus, quãdo cum Coraſio probavimus ſufficere, quòd aliis in legibus ſcientiam Iuris-conſulti requirant: & quando cum Rævardo expoſuimus quid ſit non clam, non precariò poſſidere. Poſſem etiam dicere, quòd non quæri an ſervitus fuerit jure impoſi-

ta

129 *L. ult. ff. de itin. act. priv.*

130 *Cit. l. 10. ff. de ſervit.*

131 Hæc conſideratio eſt *Antonii Fabri conject.* 19. c. 10.

132 *Ræːard. ad L. Scribon. n. 7.*

133 Verba ſunt *Vlpian. lib 71. ad edict.* relata in *l. 3. §. 7. & 8. ff. quod vi, aut clam.*

134 Verba eiuſdem *Vlpian cit. §. 8.*

135 *L. 1. §. 2. ff. de itin. act. priv.*

ta, non excludat quæstionem, an fuerit imposita: aliud enim est quærere, an aliquid sit factũ, aliud, an jure factũ: sanè quũ quærimus, an aliquid sit jure factũ; ponimus esse jã factũ: quî enim rei qualitates, atque attributa investigemus; si ejusdẽ rei substantiã eamus inficias? Ponit igitur Vlpianus fuisse impositam servitutem: at quomodò impositam? nempe possessione habitâ, non vi, non clam, non precariò: hoc-est scientiâ, & patientiâ domini. Hæc est nova responsio, P.C. si vobis non arridet, dabo alteram, etiam fortasse novam. Ad hoc autem negotium, illius loci superiora oportet Vlpiani [136] verba referre. *Prætor ait. Quo itinere, actúque privato, quo de agitur, vel viâ, hoc anno, nec vi, nec clam, nec precariò, AB ILLO usus es, quominus utaris, vim fieri veto.* Sic ille. Quid fuit caussæ cur diceret Vlpianus. *AB ILLO usus es?* an-non satis erat dixisse. *Nec clam, nec precariò usus es?* utique satis erat, per ea, quæ nuper attulimus: sed ne videretur cuiquam subobscurè locutus, addidit *AB ILLO*, ut manifestiùs ostenderet, se domini scientiam exigere. Quid enim est ab aliquo possidere, nisi possessionem ab eo habuisse? *Significant autem*, inquit Latinæ linguæ Thesaurus [137], *præpositiones Abs, Ab, A, causam efficientem; ideóque serviunt verbis passivæ significationis in ablativo. A me viâ uti*, infit idem Thesaurus [138], *est, cùm ego dominus essem fundi, tibi concessi, ut viâ in meo fundo utereris. Ab auctore*

136 Cit. l. 1. in princ.

137 Thes. Ling. Lat. præpos. A. & Ab.

138 Thes. Ling. Lat. ibid.

meo

meo uti, cùm auctor meus, qui mihi fundum vendidit, tibi eam viam concessit. Sic etiam est illud ejusdem Vlpiani[139] explicandum. *Vti eas ædes, de quibus agitur, nec vi, nec clam, nec precariò, alter ab altero possidetis.* & illud[140]. *Vti ex lege locationis, sive conductionis, superficie, quâ de agitur, nec vi, nec clam, nec precariò, alter ab altero fruemini;* hoc-est altero alteri possessionem, altero alteri fructum concedente[141]. Et quanvis nō nesciam, eum quoque dici à me possidere, qui rem meam injustè possidet, scribente Paullo[142]. *Si quis proponeret possessionem justam, & injustam; ego possideo ex justâ causâ, tu vi, aut clam: si à me possides, superior sum interdicto.* tamen aliud sonat, *Ab aliquo*, quum clam; aliud verò, quum non clam possidetur. possidetur ab aliquo clam; idest eo ignorante: non clam autem eo sciente. Quum simpliciter dicitur, *Ab aliquo possidere*, neque aliqua peristasis, nec expressè, nec tacitè superadditur; planè significat eo concedente possessionem habere: quid ergo erit, quum etiam apponitur, ut ab Vlpiano, *Non clam?* Laudant postremò Imperatorem dicentem[143], in præscriptione longi temporis nullam scientiam, vel ignorantiam expectandam. sed quoniam huic rei Corasius[144] abunde satisfacit; non est cur diutiùs vobis, P.C. moras injiciam: existimant enim, nec ab re, Iurisinterpretes, Imperatorem nihil de incorporaliū, sed corporalium rerum præscriptione locutum.

Quâ

[139] *L. 1. ff. uti poss.*

[140] *L. 1. ff. de superfic.*

[141] *Thes. Ling. Lat. ibid.*

[142] *L. 3. ff. uti poss.*

[143] *L. ult. C. de prescript. long. tēp.*

[144] *Coras. l. servitutes, ff. de servit.*

cere, ne major ſit vis taciti, quàm expreſsi. non licet autem Antiſtiti rebus Eccleſiæ ſervitutem imponere [151], quia non eſt dominus rerum Eccleſiæ, & non ſibi, ſed Eccleſiæ, ſed Chriſto poſſidet. Quinimò res Eccleſiæ ad ſucceſſores naturâ perveniunt: maxime-verò Caſtellarum, quod expreſſis verbis conceſſum eſt *Epiſcopo, ejúſque ſucceſſoribus*: ut hunc in locum jure optimo referam, quod in epiſtulâ illâ ad Caramuelem dicebam; hoc-eſt poſſe præſcriptionem objici ſolùm Epiſcopo, qui patientiam præſtiterit, paſsúſque ſit labi tempus, non autem ejus ſucceſſori: & hominum neminem eſſe, qui dixerit, unquam ea præſcribi, quæ ſuâpte naturâ deferuntur ad ſucceſſores. Hæc Hartmannus [152] his me verbis edocuit. *Quoniam agnati* (Epiſcopi) *in feudis ex pacto anteceſſorum jus quæſitum habuerunt priuſquam præſcribens poſsidere cæpit; licèt igitur quis præſcriptionem contra vaßallum* (Epiſcopum) *ſuperſtitem impleverit, atque, ex hoc, jus ſuum quæſierit; hoc tamen Agnato* (Epiſcopo) *in jure ejus proprio, nullum præjudicium afferre poterit, niſi doceatur contra ipſius perſonam præſcriptionem adimpletam eſſe: non enim debet alteri per alterum iniqua conditio inferri* [153] *: neque quis jure ſuo, ob alterius incuriam, aut negligentiam privari* [154] *: cùm præſertim agnatus* (Epiſcopus) *non ab agnato* (Epiſcopo) *cauſam habeat, neque illi ratione ullâ ſuccedat; ſed jure proximioris agnati* (Epiſcopi) *per mortem penitùs extincto, ſequens agna-*

151 *c. nullo*, ibique *Abb. de reb. Eccleſ. nõ alien. c. poſſeſſiones eod. tit.* latè alienationis nomine præſcriptio cõtinetur, *authẽt. niſi tric. C. de bon. mater. l alienat. ff de verbor. ſignif.*

152 *Hartm. Piſtor. lib. 2. c. 8. n. 56.* Adde D.D. quos citat *Fachin. contr. 12. lib. 7.* & *Roſental. de feud. c. 9 & 84. La Ratha Theatr. feud. tom. 1. p. 8. diluc. 30.*

153 *c. 1. 12. q. 2. l. non debet de reg jur. cit. l. ult. ſin autem, C. de adquir. poſſ. ff l. tranſactione matris, C. de tranſact. l. ult. ff de pact.*

154 *L nam ſatis, §. ult ff. quemad. ſervit. amitt. l. ſi non expedierit, §. ſi pupillus de bon. aut. jud. poſſ. l. ult. C. depoſiti.*

tus (Episcopus) *feudum à primo acquirente, suo quodam proprio jure obtineat: ex quo fit, ut jus ipsius penitùs diversum, & separatum existimetur à jure antecessoris sui* [155]. *Non mirum igitur cur præscriptio contra defunctum adimpleta, non etiam* jus agnati (Episcopi) *penitùs diversum tollat*. Hócve adeò verum est, ut ne millenos quidẽ annos possedisse sufficeret [156]. Dicet fortasse Adversarius, me hoc negotio omnes adversus Ecclesiã præscriptiones evertere, cùm tamen sit in comperto cõtra Ecclesiam quoque præscribi. Nego à me id factum, quia nego tãtùm præscriptionem, quæ oritur ex patientiâ, non autem, quæ, bonâ fide, justóque titulo adquiritur. loquor de illâ præscriptione, quæ Præsulem tantummodò habet auctorem, non de illâ, quæ legibus virescit. nego cui patientia vires facit, quia nego posse Præsulem aliquid pati in fraudẽ successorũ, in fraudẽ Ecclesiæ, ut supra perspicuè demonstravi. Dicet etiam Adversarius, ea, quæ diximus, hoc-est ne mille quidem annorum tempus ad præscribendum possessori prodessé, non obtinere locum, ni doceatur, servitutem, antequã res ab Ecclesiâ adquireretur, minimè debitam: cùm tanto tempore elapso, servitutem antea deberi credendum sit. Nolo id ire inficias, sed certè Adversarius non congrua loquitur: etenim nostrâ in re, sive Castellarum, sive Salviam respiciamus; Adversarius ut succumbat necesse est. Si

Ca-

155 *Andr. de Isern. c. 1. §. quid ergo de invest. de re alien. fact.*

156 *Hartman. loc. cit. & Rosental. cit. concl. 84.* & apud eũ *D.D.* adde *La Ratha cit. par. 8. diluc. 31, & Capibl. de Baron. tom. 2. c. 7. n. 10.*

Castellarum,illud,postquam est dono-datum Ecclesiæ,nulli obnoxium pronuntiatum est: pronũtiatum est enim *PLENO IVRE, etiam quod ad FIDAM, DIFFIDAMQVE spectare ad Ecclesiam*, multóque ante, ab Reginâ Ioannâ, ejúsque Consilio fuerat decretũ,*ut Episcopo AB OMNIBVS debeat responderi*: quin-etiam ab Salviâ, omni tempore, immune nos luculenter ostendimus. Si verò Salviam consideremus; ea est proculdubio nata postquam Castellarum est Ecclesiæ largitum: ipsamet enim ex Satriani reliquiis se constare contendit:Satrianum autem,post Castellarum donatum, effloruisse, tam est certum, quàm quod certissimũ. Tandem Adversarius dicet,Iuris-interpretes,qui illam, tanti etiam temporis,præscriptionem rejiciunt, esse locutos de rerum feudalium præscriptione, iccirco sententiam eorum rei nostræ minimè convenire.Sed sanè perperàm:dicit enim Isernia [157]; *Sic in aliis,quæ non possunt alienari*,l.1.ff.de fund.dot.l.peto,§.prædium,de legat.2.Porrò quis nesciat,ratio ubi eadem, idem jus statuendum [158]? Sed quid quòd apertissimè liquet,Castellarum esse feudum: imò feudum jurisdictione munitum? Quid à Goffrido largitũ Ecclesiæ? *Castellum, quod vocatur Castellarum, cum ejus territorio, cum Villanis, cum seculari dominatu.* Quid autem Castellum? Est locus habitatus muris circũdatus [159]. Est feudũ nécne? Omnia

[157] *Isern. loc.cit.*

[158] *L. illud, ad leg. Aquil. l. ult. C. de cõstit. pecun.*

[159] *Frecc. de subf. auctor. Bar. 29. n. 5. Capyc. invest. feud. verb. Castris.*

Castella in Regno Siciliæ sunt feuda [160]. Continétne jurisdictionem? Castellum, Villa, & similia, ut quid universale, jurisdictionem regulariter cōtinent [161]. Eo cōcesso, cēsetúrne jurisdictio cōcessa? Cēsetur, nisi concedens eā sibi reservet [162]. Reservavítne sibi Goffridus? Cōcessit *nihil penitùs sibi reservans*: quinimò jurisdictionem exprefsè concessit, nam *cum seculari dominatu* Castellum concessit. Quid est dominus, dominatio, dominatus? Est etiam princeps, principatus, imperium. hoc sensu habet Maro [163]. *Romanos rerum DOMINOS, Gentémque togatam.* hoc sensu habet Cicero [164]. *Quâ impudentiâ putatis, eum in DOMINATIONE fuisse, qui in fugâ tam improbus sit? Iudex verò quantum habet DOMINATVM?* & aliàs [165]. *Vrbs in Thessaliâ, tum admodum nobilis, ab Alexandro autem Tyranno, crudeli DOMINATV tenebatur. Cassio verò sententiâ meâ DOMINATVM, & principatum dicari.* habet Tacitus [166]. *Non Cinnæ, non Sullæ longa DOMINATIO. Quæ cunctis malis DOMINATIONIS cupidinibus flagrans.* & demum hoc sensu habet Pomponius [167]. *Et cùm placuisset,* inquit ille, *Leges quoque ferri, latum est ad Populum, ut omnes Magistratus se abdicarent, & quòd Decemviri constituti sunt anno uno, hi, cùm Magistratum prorogarent sibi, & rem injuriosè tractarent, neque vellent deinceps sufficere Magistratus, ut ipsi, & factio sua perpetuò Rempublicam occupatam retinerent; nimiâ,*

atque

---

160 *Isern. const. Iustitiarii nomen, & normam. Capyc. ibid.*

161 *Luc. de Penna, Roman.* & alii apud *Cācer. resolut. p. 3. c. 13.*

162 *Cancer. ibid. nu. 28. & seqq.* Advertendū, quòd qui negant, accipiunt Castrū pro arce, & non ut quid universum, sed quid particulare.

163 *Virg. 1. Æneid.* Vide *constitut. Regn. Iustitiarii de offic. Iustit.*

164 *Cicer. 5. Verr. & in Parad.*

165 *Cicer. 1. de divin. & Philip. 11.*

166 *Tacit. lib. 1. & 13. Annal.*

167 *L. 2. §. & cùm placuisset, de orig. jur.*

atque asperâ DOMINATIONE eò Rempublicam perduxerunt,ut exercitus à Republicâ secederet. An quòd est dirutum, desertúmque,jura, & privilegia, quibus antea potiebatur, amiserit? minime verò [168]. *Durat ea qualitas feudalis,licèt omnes Castelli homines moriantur: quia character impressus semper durat* [169]. Durat profectò in Castellaro,& ita declaratum ab arbitris. Durat; nam ibi in præsentia quoque habet Episcopus jus plateaticum, jus fidæ,diffidæque, quæ omnia inter Regia jura censeri, nemo est, qui dubitet [170]. Durat; nemo enim est, qui illud feudi nomine non appellet. Durat; nam ibi Episcopus, ab hominum memoriâ,Magistratus creavit,& creat,qui Magistratus in eo jus dicunt. Durat,ut opus non esset de territorii vocabulo quidquam dicere, ni aliquid aliud intenderemus. Fuit Castellum hoc cum ejus territorio Ecclesiæ largitum: quid autem est territorium? *Est universitas agrorum intra fines cujúsque Civitatis: quod ab eo dictum quidam putant, quòd Magistratus ejus loci intra eos fines terrendi, idest summovendi jus habeat* [171]. Ecce denuo jurisdictionem: ecce Castellarum esse universitatem agrorum à territorio Satriano discretam. An-non sit feudum quòd sit Ecclesiæ? meræ, & maximæ nugæ. non erit, ut vocant, *quaternatum*, quoniam ab Regibus, qui post hujus Castelli concessionem, sunt in Siciliâ rerum potiti, in quaterniones referri.

168 *Cancer.ibid.nu.* 51.

169 Verba *Frecc. loco cit.*

170 *Tit. quæ sint regal.ver.vectigalia*, ibiq; *Isern.* Idem *in constit. Si quando. Capyc.Invest.feud. verb.Fidis,vers. Plateis, & vers. Gabellis.* & in jurisdictione sunt: nam diffida dicit multã: multa verò dicit jurisdictionem,*l.* 131.*de verb. signif.*

171 *L. pupillus* 239. §. 8. *de verb. signif.* Vide *Vãd. ad l.non dubito, de capt. & postl. rev.c.*2.

ferri.

ferri non potuit: tum quia liberè fuerat concessum, proptereáque immune ab operis, atque servitiis [172], tum quia erat Ecclesiæ [173]. Itaque ergo probavimus, P. C. ab Salvianis non esse probatam pascendi quasi-possessionem: quinimò licèt eam probâssent; ne hilum quidem ipsis prodesse. ut nunc promissa perficeremus, esset nobis probandum, eos quasi-possedisse nunquam: sed liceat hanc rem in locum paullò inferiorem rejicere: est enim nunc, ut de titulo, ad præscribendas servitutes desiderato, aliquid subjungamus. Porrò titulus ad præscriptionem requiritur [174]: injustum enim putavit lex, unicuique licere, ex omni caussâ, atque ad libidinem, sibi possessionẽ asserere, alienámque rem usucapere. si enim nuda traditio à vero domino facta, dominiũ non transfert, sed justam aliquã caussam præcedere oportet [175]; utique fortuitò habita possessio, usucapiẽdi potestatem non facit [176]. idque locum habere in servitutibus, quanvis magni nominis Iuris-consulti [177] eant inficias, magni [178] tamen affirmant, acerriméque propugnant. enimverò intelligere non possum quomodò bona fides ad servitutes præscribendas omnino necessaria [179], allegari possit, si bonũ initium, ut loquitur Imperator [180], quasi-possessio non habuerit. num usucapiones introductæ sunt, ut hominum dolis malis indulgeamus, contrectationésque rerum alienarum

scienter

172 *Capyc. investit. feud. verb. Frãcum, Clar. §. feudum, q. 12.*

173 *Frecc. loc. cit.*

174 *L. nullo, C. de rei vind. l. servum, C. fam. ercisc. l. ult. C. ne de stat. defunct. l. ult. C. de usuc. pro hæred. l. diutina, & l. ult. C. de præscript. long. temp.*

175 *L. nũquam nuda, ff. de adquir. rer. dom.*

176 *Coras. ad l. servitutes, ff. de servit.*

177 Apud *Hunn. ad Treutl. disp. 17. q. 27.*

178 Apud eundem, ibid.

179 *c. ult. de præscr. l. qui fundum, §. qui bona fide, ff. pro empt.*

180 *l. ult. C. de præscript. long. tẽp.*

ſcienter factas, in civium, Reíquepublicæ perniciem defendamus [181]? Ceterum, qui titulum non desiderant, ſcientiã, & patientiam domini omnino requirunt. utra ſit verior opinio non diſputo: nam nihil ad rem, quâ de agitur: quum enim agitur de præſcribendâ ſervitute in rebus Eccleſiæ; certo certius eſt titulum deſiderari [182]: idque, tum eâ ratione, quam ante adduximus, hoc-eſt Præſulum patientiam Eccleſiæ nocere non poſſe; tum ex aliis, quæ in re certiſſimâ hunc in locũ referre me piget [183]. Sed quid quòd ii etiam ipſi, qui tituli neceſſitatem poſſeſſori remittunt, nequaquam id faciunt, quum agitur de præſcribendâ ſervitute paſcendi? Audiamus GilKenium [184]. *Hæc de ſervitutibus*, inquit ille, *quæ nullam tituli probationem, aut adminiculum requirunt, quod tamen arbitramur non ita generaliter, & indiſtinctè procedere, ut idem quoque in illis ſervitutibus admittamus, quæ quã proximè ad jura proprietatis, & emolumentum totius rei accedunt, VT IN IVRE PASCENDI, ligna ex ſilvis cædendi, &c. conſtituentes, tali præjudicio propoſito, nudam ſcientiam non ſufficere; SED TITVLVM etiam requiri: quamvis enim leges, quibus id apertè ſanciatur, in medium proferre non poſſimus; tamen ſufficere exiſtimamus, ſi rationis præſidio illam minimè deſtitutam eſſe oſtendamus, quam ipſi Iuris-conſulti de hâc ipsâ quæſtione interrogati, non videantur repudiaturi fuiſſe: ea nimirum, quam acutiſſimus Iuris-*

con-

---

181 *Coraſ. ad cit. l. ſervitutes.*

182 *Capoll. de ſervit. urb. præd. c. 20.*

183 Sed eſt videndus *Paul. de Caſtr. in cit. l. ſervitutes*, *Capoll. loc. cit.* & *Bald. conſ.* 367. *lib.* 3. ubi loquitur de jure paſcendi. hæc-ve addi poterunt iis, quæ diximus poſt *nu.* 156. & Bald. ſequuntur *Tuſc. concl.* 111. *lit. P. Molfeſ. ad conſuet. Neap. tom.* 3. *p.* 18. *q.* 9. *n.* 21.

184 *Gilken. de præſcrip. p.* 2. *memb.* 8. *c.* 10. & hæc addi poterunt iis, quæ diximus à *n.* 11. ad 13. uſque.

consultorum Papinianus suggerit l.66.Mævius,§.fundo de leg.2.*quòd usufructus,licèt in jure, non in parte consistat;tamen emolumentum rei contineat. Cùm itaque Papinianus causam usufructus à cæteris servitutibus secernat,ob damni,quod ea res adferre posset,gravitatem; non animadverto quid absurditatis illam sententiam consequatur,si jus pascēdi,& id genus alia jura à reliquis servitutibus separemus, quippe quæ gravius præjudicium inferre possint,quàm usufructus,qui morte, & multis aliis ex causis perimatur*, l. corruptionem,C.de usufr.*incertam præterea causam contineat, quæ non ita considerari solet*, l.sancimus,C.de donat. *hæc autem certam,& perpetuam. Vnde cùm jure nostro cognita illa regula sit,quòd idem jus amplecti debeamus in casu, ubi eadē ratio versatur*,l.illud,ff.ad l.Aquil. l.à Titio, ff.de verb.oblig. l.nō possunt,ff.de L.L. *& hîc non eadem,sed major ratio urgeat, atque intercedat,quæ plus etiam movere solet,etiam in constitutionibus antiquationem legum continentibus*, l.his tātum, C.de revoc.donat.ubi Bald.&alii;*non video quare de titulo docendi necessitatem his remittamus, cùm in usufructus vindicatione, quæ ratione temporis indulgeatur,illum omnino exigamus*,l.fin. C.de præscript. long.temp.X,vel XX ann. Quæ diximus, P. C. sunt luce clariora,sunt firmissima,sunt certissima: verùm Adversarius hæc omnia despicatur,putátque me oleum, & operam perdidisse,quòd putet Salviam habere quasi-possessionem, cujus initii

me-

memoriam vetustas obruerit. Referam ipsissima ejus verba, ut apertiùs videatis, quàm nulla sit ejus contentio, quàm faciliter ea frangatur, & corruat. *Nec de probatione immemorabilis*, inquit ipse, *in casu nostro dubitandum est, quia habemus eam probatam ab anno MCDLXXVI, ut enunciatur in decreto conservatoriali, & cùm etiam constet, & dubitari non possit de possessione præsenti, ut supra demonstravimus. Et exhinc tanquam ex duobus extremis probatis, possessionem mediam continuatam fuisse, & cum bona fide, dum Adversarius contrarium non probat, nos optimè concludere possumus, vel duas immemorabiles, vel unam immemorabilissimam probatam cõcludentissimè habere. Et quod magis notatu dignum est, licèt medium sit quasi improbabile, & hac de re præsumi oportere, nos de media quoque possessione documenta potissima, & indubitata exhibemus; sub anno enim MDXLVI, Episcopus Satrianensis per testes à se productos in causa, quam habebat cum Universitate Titi, possessionem, & usum Salviensium ab antiquo, & de eo tempore supposuit, & probavit. Sub anno MDLXVIII, Episcopus successor eosdem Salvienses depascere, & lignare confessus fuit, dum in suo supplici libello tunc porrecto exposuit id agere Salvienses, & proinde ordinari petiit, ut abstinerent, atque declarari nullum jus competere. Ex ea quidem expositione ab Adversario facta, licèt sub qualitate turbationis, & molestiæ, possessionem probari indubitatum fecimus. Et*

nos tandem ad revelationem excommunicationis, & per testes juratos, & receptos à Gubernatore Titi, antiquissimam, & immemorabilem possessionem Salviensium manifestam fecimus. Audiſtíſne, P.C. quàm egregiè Adverſarius probaverit, quod intendit? quàm benè Salvianorum actionem impleverit? Quid magis perperàm, quid abſurdiùs poterat in medium proferri? Quis patientibus auribus accipiat, quod de Conſervatorio dixit, ſi Conſervatorium illud (ut ut ſit verum) de territorio Satriano tantummodò loquitur, & nos apertè, atque dilucidè oſtendimus, Caſtellarum in territorio Satriano non eſſe, ſed eſſe univerſitatem quãdam agrorum, & feudum per ſe ſtans? ſi oſtendimus inſuper, Conſervatorii verba Caſtellaro diſconvenire? Quis Adverſarium ferat laudantem, qui conjurati anno MDXLVI, in ſuâ causâ, verſutè, atque verbosè: qui manifeſtè perjuri, & per maximum ſcelus, teſtimonia dederunt? Quorum teſtimonia publicata non ſunt, & ſi publicata, imò accepta fuiſſent (ut ilico ſunt repudiata) ab Epiſcopo, Eccleſiæ obeſſe nõ poſſent; quin-etiã ab Epiſcopo accipi non potuiſſent? Quorum teſtimonia, non modò firma non ſunt, ſed ſunt infirmiſſima, ſuntque improbiſſima? Quis Adverſarium ferat citantem libellum illum Epiſcopi A. MDLXVIII? num habetur in eo aliquod verbulum, quod Salvianorum quaſi-poſſeſſionem

im-

implicitè ſaltem enuntiet? Ecquæ verò etiam æquiſſimæ aures patientiam non rumpant, quum audiunt Adverſarium laudantem conjuratos illos, & ab omni religione remotos homunciones, qui ſuperioribus annis, poſt incohatum judicium hoc, ad teſtimonia ferenda, (neſcio, an, ut fama eſt, partim rapti, partim ſubornati) per ſpeciem religionis, inſuetâ illâ, atque illegitimâ cautelâ venerunt? Quæ cùm ita ſint, P.C. perperàm Adverſarius ex vetuſtate titulum quaſi-poſſeſſionis tentat arguere. Sit vera iſta poſſeſſio; num poterit Salvia ex eâ titulum aliquem expromere? jam titulum allegavit; natalem ſcilicet ſuum ex Satriano; cùm autem hic è re ſuâ non ſit, à ſpe debet omnino decidere: quum enim titulus allegatur, ſi ille inveniatur inefficax, præſumptio eſt, eam nullum alium titulum habere, quoniam ſi haberet, illum expromeret [185]: ideóque præſcriptione ſe tueri non poſſet, quanvis poſſediſſet per tempus, cujus principium ſit ab hominum memoriâ remotum [186]: ceſſat enim tunc bonæ fidei præſumptio, & primi, qui cœpiſſent Caſtellari pabula ſuis pecoribus infenſare, aut ſciebant, aut ſcire debebant (quæ paria ſunt [187]) jus illud ad ſe ipſos minimè pertinere [188]: quod enim meum non eſt, debeo ſcire ad alium ſpectare [189]. Nec tueri ſe poſſent dicendo, quòd bonâ fide quaſi-poſſederint, quia putaverint, ſe ab Satriano fluxiſſe, &

[185] *Cacher. decis. 101.*

[186] *Cacher. ibid.*

[187] *L. qui fundum, §. ſervus, ff pro emptore. Cacheran. loc. cit.*

[188] *Cacher. ibid.*

[189] *L. ult. C. unde vi. Cacher. loc. cit.*

Castellarum esse intra Satriani confinia: etenim, ut ita esset; *error falsæ causæ usucapionem non parit: veluti, si quis, cùm non emerit, emisse se existimans possideat: vel cùm ei donatum non fuerit, quasi ex donatione possideat* [190]. Quoties igitur Salviani pecora in Castellari pastiones misissent, admisissent mortiferum scelus, capitáque diris Ecclesiæ devota fuissent [191]: propterea, ne illa quidem præscriptio objici posset, quæ ab immemorabili tempore pēderet [192]: imò temporis diuturnitas peccati malitiam augeret [193]: nunquam enim est utile peccare, quia semper est turpe [194]. Quid quòd Salviani varium suæ quasi-possessioni titulum inscribunt? eorum majores dicebant, Castellarum esse intra limites Salviæ, Salviámque habere cum Satrianis territoria compascua ratione societatis: hodie verò cum iis pugnantia ipsi loquuntur: asserunt enim Castellarum esse intra Satriani confinia, ibíque posse pascuis uti, quòd Salvia ab Satriano surrexerit. profectò ne coloratum quidem titulum habent: cecidit arbos eorum, nec ampliùs erigi potest. Ostendimus, P.C. non esse ab Salviâ probatam quasi-possessionem: nullam unquam ei fuisse fidem bonam: nullum unquam titulum: nullam unquam præscriptionem: esset igitur nunc-jam canendum receptui; sed quoniã sum pollicitus, me palàm facturum eam nunquam possedisse; ne videar plus verborũ habere, quàm

operæ,

190 §. *error Instit. de usucap.*

191 *Bull. Can.* §. 17.

192 *Paris. & Bellam.* apud *Cacher. loc. cit.*

193 Theologi omnes quũ de peccatorũ circũstãtiis agũt.

194 *Cic.* 3 *offic.*

operæ, libero fidem meam. nunquam sanè quasi-possedit: non ab anno MCDLXXXVIII, ad annum usque MDXLIII; quoniam toto hoc tempore Castellarum fuit partim cōductum, partim autem à Comitibus invasum: supra verò luculenter probavimus, nec rei conductorem, nec invasorem, sive desidiâ, sive dolo, rei possessionem alteri tradiderit, ullum domino præjudicium creare. nec invasorem modò itero, nec ullum bonæ fidei possessorem posse, quanvis agatur de solâ servitute constituendâ, domino rei quidquam obesse. de invasore quis dubitet? sanè *malæ fidei possessore alienante, cessat longi* etiam *tēporis præscriptio* [195]. de bonæ autem fidei possessore, *possit existimari,* vir doctissimus ille Bachovius [196] infit, *si initium usus illius fiat contra non dominum, non præjudicaturum domino postea fundum evincente; quòd scilicet per servitutis constitutionem, jus quoddam prædio imprimatur: & cum patientiâ ejus, contra quem præscribitur servitus, opus sit; patientia, vel scientia v.c. bonæ fidei possessoris, domino vero, non videtur posse præjudicare.* sanè non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri [197]. Quid quòd probavimus, nunquam Salvianos à Comitibus immunes habitos, & aut mercedē, aut multā usque solvisse? Non possedit ab anno MDXLIII, ad instans usque tempus, quia pascua Castellari assiduè fuere locata: imò locata auctionibus factis in foro Salviæ nundinario, neminem

[195] *Auth. malæ fidei, C de præscript. long. tempor.*

[196] *Bachov. ad Treutl. disput. 17. de servit. thes. 8. lit. A. adde Fabr cit. def. 1.*

[197] *L. non debet de regul. jur.*

minem unquam excipiendo:& ſanè Salvia fuiſſet excepta, ne conductores remiſſionem mercedis petere potuiſſent: quin-etiam tota Salvia præconis vocibus inclamâſſet, eúmque ex lapide dejeciſſet. Quid quòd Caſtellari prædia Salviani ab Epiſcopo ad culturam quotannis ferè habuerũt? Ad hæc, P.C. quò ſe vertat Salvia ignorat: tota enim æſtuat, confuſéque reſpondet, non potuiſſe à Municipibus ullum juri Municipii damnum his actibus importari: quin-etiam Municipes, ne minimùm quidem ſibi præjudicâſſe, quòd, qui liberè facit, ſibi nunquam præjudicet: maxime-verò cùm conditionem ſuam conductionibus fecerint meliorem; h.e. adquiſiverint jus colendi per alios, & retinendi fundi, quanvis illum non ſererent. Sed certè Adverſarius toto aberrat cœlo, totáque terrâ: etenim pro certo ſumit illud idem, quod quæritur. quæritur, an Salviæ ſit ſervitus; ipſe verò diſputat (ſanè præpoſterè) an ſit ſervituti præjudicatum. ſi Salvia, ſervitutem, aut impoſitã, aut præſcriptam docuiſſet, eſſet id inquirendum: cùm autẽ ſit ſecùs; ſi ſecùs fecerimus, rem à caudâ ad os transferemus: profectò muſica in luctu intempeſtiva narratio. At quid eſt illud, quod ait, Salvianos ſuam cauſam conductionibus meliorem in partem mutâſſe? nónne factæ ſunt illæ conceſſiones, aut ad breve tempus, aut quoad Epiſcopi paterentur? hiccíne ſit tranſitus, & mutatio

tatio in melius? Quid quòd quum Salvianorum unus in prædium concessum immitteretur, Salvianorum alter ex eodem prædio extrudebatur? Quid quòd quotquot Salviani eas concessiones ab Episcopis exorârunt, omnes (illud quod testes etiam omnes in causâ Episcopi cum Barone testati sunt) omnes, inquam, Castellarum ad Episcopum pleno jure spectare professi sunt? ab anno igitur MCDLXXXVIII, ad instans usque tẽpus, Salvia nunquam possedit. Nec loquor de tempore ulteriore; nullus enim nominatim testatur de Salviæ quasi-possessione ante annum prædictum: ipsimet Salviani, qui anno MDXLVI, tot, ac tanta mendacia effuderunt, hoc dicere ausi nõ sunt, & si dixissent, forent, ut ceteris omnibus, mendacissimi: nullus enim eorum ante annum illum erat in lucem editus. Demus, dixisse; num probent hujus rei memoriam non extare? porrò, quum testimonio fuerunt, nullus eorum ad quadragesimum quintum ætatis annum pervenerat; cùm tamen sit necesse, ut qui de tempore immemorabili testificantur, saltem quintum, & quinquagesimum agant [198]. Fuerint per me senectute confecti, fuerint decrepiti: num aptè, congruentérque loquuntur? num dicunt, quæ Paullus, & Labeo desiderant? Labeo [199] sic ait: *Si arbiter animadvertere debeat, an operis facti memoria extet, hoc ei quærendum est, an aliquis meminerit id opus factum esse.*

[198] *D.D. apud Cacher. decis. cit. n. 16.*

[199] *L. si arbiter, ff. de probat.*

tum & quinquaginta centuſſibus ab ſe muneratum, ut ipſis colligendorum militum poteſtatem à Prorege impetraret? inſigne enim-verò, P.C. atque illuſtre perjurium. quis argentum Mercado detulit? quis numeravit? Sed ecce mihi fit obviam Porpulus, reſpondétque, ſe ante oculos coram Rocco, Tilennóque illi dinumerâſſe. quid autem Roccus? *Porpulus*, inquit, *Didaco Sevocato, nullóque præſente, pecuniam papyraceo cucullo incluſam, proſpiciente me, dedit.* quid Tilennus? *Didacum Porpulus in ſecretum adducit, remotíſque arbitris, pecuniam ei dinumerat; ut ex eodem Porpulo accepi: verúmque mihi cũ dixiſſe colligo, quòd ex illo Didacus meliore nos vultu reſpexit.* Vt inter ſe diſſentiunt! ut inter ſe diſſident, atque diſcordant [9]! Quid quòd magis magíſque diſſident? Porpulus id factũ in aulâ, Roccus in ambulacro, Tilennus in intimis ædibus, per Dei nomen jurant, dejerántque [10]. unus, & alter ex eis ſacramento dicunt, impetratam à Didaco poteſtatem contrahendi militum eodem die, quo illi eſt numerata pecunia; tertius autem exoratam poſtridie [11]. Quid quòd unus ab alio totus diverſus eſt, atque contrarius? ſcilicet improbitatum pleniſſimi, non ſecus ac flumina, quæ repẽtinis imbribus extumida, ripas exſuperant, diffluúntque, millena vomunt mendacia, egerúntque millena perjuria. Quid quòd blaterantium anteſignani, plus, quàm ad rogatum reſpondent,

[9] Reũ igitur minimè premunt. Vide *Farin. q.* 64.

[10] Itaq; ſycophãtæ ſunt, atque impoſtores *Daniel. c.* 13 Vide *Farin. q cit &* *q.* 65. *p.* 4.

[11] Eorum ergo teſtimonium, vanum, atque irritum, etenim non modò irriti sũt teſtes, inter ſe, de loco, verùm-etiã de tempore diſſẽtientes. *Farin. ibid.* & *q.* 65.

12 Testis præmaturè respondēs sui suspicionē facit. *Far.q.60.*

13 In loquendo multus eandem movet suspicionē.*Farin.ibid.*

14 Sicuti, qui non rogatus respōdet, suspectus est; ita, qui extra rogata responsum dat. *Farin.q 71.*

15 Quis neget, eos falsitati affines, qui audacem in modum deponunt? *Farin. q. 69.* An-non deponit audacter, qui in crimen esse vult, quod per naturā ipsā fas est?

16 *Cujac. ad l. juris gentium, §. sed si fraudādi, ff. de pact.* fraus pro damno accipitur in *l. 33. ff. ex quib. caus major. l. 1. ff. de alien. jud. mut. caus. fact. l. 18. ff. de jud.* & alibi. Vid. *Lex. jur. v. fraus*. Fraus, ut & furtum, dici putatur, quòd de alieno auferat aliquid, & detrahat. est igitur fraus propriè damnum: & utriusque vocabuli, ut similis est significatio, ita est origo eadem. illud enim ab auferendo; damnum autem est à demendo. Vide *Thesaur. Lingua Latina. v. fraus.* A *fraus* est *fraudo*, unde *defraudo*, quod Nonius exponit *per fraudem aliquid eximere.* Vide. *Voss. Etymolog v. fraus.* 17 *Cujac. in Rubr. ff. de concuss.* ibique *Gothofr.*

& non laborant quemadmodum probent quod dicunt, sed quemadmodum se explicent dicendo? Rogati an apud stipendiorum scribam aliqua fuerit fraus in Regem composita, an ulla apud eum fuerit cuiquam expressa pecunia; quum paucis expedire se se potuissent, respondendo, *Ita*, vel *Non*, nihil hoc ipsi morati, avidè, nec-non præfestinè [12], fabulam, de quâ diximus, profluenti loquentiâ [13] sunt prosecuti, respondéntque aliâ [14] de re, quæ ad Scribæ munus nō pertinet: id enim, quod ipsi testificantur, erat negotium, quod per quemlibet etiam privatum exigi potuisset. quinimò ad testimonium perhibendum adducti, sibi Iudicis munus usurpant, & fraudem, concussionémque vocant quod tale nîl continet [15]. Enimverò, P.C. fraus est damnum, quod nobis cujuspiam mala fides importat [16]: nullum autem damnū esset Regi hac in re importatum. concussio verò est terror injectus, pecuniæ, vel rei alterius extorquendæ causâ [17]: nullū autem his militum coactoribus terrorem Mercadus injecit: nullum in modum perterruit: nec verò leviter pavefecit. nónne jure-jurârunt, Mercadum à se conventum, eíque, ut munus illud à Prorege exoraret, ultro pecuniam se fuisse pollicitos? Agedum, demus,

P.C.

P.C. pro impetrandâ illâ colligendorum militum potestate, fuisse Didacũ, & ex cõventu, ex spõsu, ab his coactoribus ære signato remuneratum; an inconcessum erat sibi illud accipere? nempe jus erat ab iis, etiam invitis, exigere. *Si remunerandi gratiâ*, inquit Vlpianus [18], *honor intervênit* (idest salarium promissum sit [19]) *erit mandati actio. Labeo* [20] *scribit, extra causam donationum esse talium officiorum mercedes, utputà. si tibi adfuero: si satis pro te dedero: si aliquâ in re, operâ, vel gratiâ meâ usus fùeris*. nimirum donatio, quæ fit ob caussam, non propriè donatio est, sed ejus tantùm caussæ remuneratio [21]. *Si tamen donatio*, inquit Paullus [22], *non merces eximii laboris appellanda est*. Ecquibus nominibus, P.C. Mercadus erat obstrictus, ut talem iis potestatem gratuitò conciliaret? Quid faciebat ut Didacus Principis gratiam in illos divideret, illorúmque causâ sibimetipsi obesset? Enim-verò, P.C. *ut magnum adversæ fortunæ solatium est, prosperam ante cum multis communicâsse, et favore Principis ad sublevandos alios usum esse; ita admonendus est Aulicus, cautè ut ista quoque beneficia dispenset: certum est enim, quicquid nostro rogatu contulerit in alium Princeps, magnam partem nobis imputaturum* [23]. Quis nesciat quantũ malarum rerum su-

[18] *L. 6. ff. mandat.*

[19] *Gothofr. ad cit. l. 6.*

[20] *L. hoc jure, §. 1. ff. de donat.*

[21] *Gothofr. ad cit. §. 1.*

[22] *L. penult. §. 1.* ibique *Gothofr.* & *Giphan. ff. de donat.*

[23] Verba *Pastor. Aulic. inculpat. c. 36.* Ratio autem, & usus obtinuit, neminẽ contra utilitatẽ & rationem cogi de proprio facere beneficium. *c. precaria, 9. q. 2.* atque hac ratione in hãc rem utitur *Navar. in extravag. Gregor. XIII. de dat. & promiss. pro just. vel grat. obtin. n. 50.* Verba Navarri hæc sunt. *Potest quis pro suo interesse, præsertim dãni vitandi accipere recompensam*, l. 3. ff. de eo, quod certo loc. l. vinum, ff. de reb. cred. l. unic. C. de sentẽt. quæ pro eo, quod interest. *at multi intercedentes pro aliis apud Reges, Principes, & alios, perdunt obligationes antidorales, & suas spes, sive expectata ab eis beneficia ob cognationes, amicitias, & obsequia præstita, eòquòd in compensationem eorum concedunt eis sic illa, ut satisfaciant illis obligationibus; ergo rectè possunt accipere justam recompensationem ab eis, quibus, cum hoc damno, gratiam, vel justitiã impetraverunt.* Videsis *Navar.* ibi, & *n. 51.* Vbi excusat quoscunque Principum, & Magistratuum famulos aliquid accipientes, si longè utiliore modo præstant officium, quàm teneantur.

ſtineat Aulicus ad Principis benivolentiam aucupandam? multa, me hercule, difficilia, atque ardua eum ferre fortiter, & patienter oportet. ſanè, ſi Aulicis, ſi aſſectatoribus in crimen vertatur, pro gratiâ, à Principe, ſive exoratâ, ſive exorãdâ quid accipere; Aulicorum, aſſectatorúmque omnis illa frequentia tolletur, & Princeps in ſolitudine collocabitur. eorum, qui feruntur ad aulas, aliquos ducit honorum ſtudium: aliquos cupiditas aliis imperandi: ſed magnam partem trahit ſpes lucri, atque divitiarum. utinam omnibus utilitas, & ſalus Principis propoſita eſſet! Vt hinc, P, C. intelligatis eſſe parcendum, quanvis, eo nomine, qui accipit, ſcelus in ſe concipere videretur. *Qui ſequitur priores malè iter ingreſſos, quidni habeat excuſationem, cùm publicâ viâ erraverit* [24]? *Si quis patremfamilias eſſe credidit*, inquit Vlpianus [25], *non vanâ ſimplicitate deceptus, nec juris ignorantiâ, ſed quia publicè pater-familias pleriſque videbatur, ſic agebat, ſic contrahebat, muneribus fungebatur; ceſſabit Senatus-conſultum. Apud Labeonem, & Cælium quæritur*, idem Vlpianus inquit [26], *Si quis in aſylum confugerit, aut eò ſe conferat, quò ſolent venire, qui ſe venales poſtulant, an fugitivus ſit. ego puto non eſſe eum fugitivum, qui id facit, quod publicè facere licere arbitratur.* Quid quòd, ſi hoc eſt piaculum, *plus committitur, quàm quod poſſit coërcitione ſanari? nunquid enim ſinguli, aut pauci rupere Legem? undique, velut ſigno dato, ad*

fas,

[24] Verba Senec. lib. 2. de ira. c. 9.

[25] L. 3. ff. ad S.C. Maced.

[26] L. 17. §. 12. ff de Ædilit. edict. *Qui dicit, aut facit id, quod ſolitum, & conſuetum eſt fieri, non ſolùm non dicitur in dolo, ut dixi in q. 89. n. 2. ſed nec etiã in culpa.* Sunt verba Farin. q. 95. n. 19. proptereaq; nec extra ordinẽ quidem in eũ animadvertitur, Farin. n. ſeq.

fas, nefásque miscendum coorti sunt[27]*. In singulos severitas Imperatoris distringitur, at necessaria venia est, ubi totus deseruit exercitus. Quid tollit iram Sapientis? turba peccantium. intelligit quàm iniquum sit, & periculosum irasci publico vitio*[28]. *Non potest*, inquit Augustinus[29], *esse salubris à multis correptio, nisi cùm ille corripitur, qui non habet sociam multitudinem. Si cōtagio peccandi multitudinem invaserit; consilia separationis inania sunt, & perniciosa, atque sacrilega, quia impia, & superba sunt.* Audîstis, P.C. maximam vanitatem primi capitis accusationis hujus; nūc jam audietis aliorum capitum etiam majorem. Accusatur Mercadus, toto Regno persæpe falsò disseminâsse, stationibus militum quædam oppida destinata fuisse: hinc factum, ut in fraudem adducti oppidorum Curatores, & Syndici eum convenerint, ingentíque pecuniâ donaverint, ut curaret stativa præsidia per alia loca disponi. Arguitur, literarum D. Andreæ, per quas novi milites in album referebantur, senos centusses, iniquam mercedem, singulis militibus, per injuriam, extorsisse. Arcessitur, argentum expressisse tyronibus, ut iis à D. Andreâ condonaretur curriculum illud, quòd ejus in conspectu, antequam conscribantur, hastati, effusísque habenis, ad ostendendas agendi vires, & corporis dotes, novi equites facere sueverunt. Defertur, immani pecuniâ ab Cēturionibus munerátus, ut iis conducibilia,

27 *Senec. lib. cit. c. 8.*

28 *Senec. lib. cit. c. 10.*

29 *D. Augustin.* relatus *in c. non potest, 23. q. 4.* Vide hac de re *Tiraq. de pœn. temper. c. 47. Farin. q. 96. & Zyp. de Iudice, c. 10.*

bilia,& meliora ſtativa à Prorege impetraret.Me miſerum! quid ad apertiſſimas háſce delationes dilucidè ipſe reſpondeam? quâ potero eloquendi vi graviſſimum hoc judicium elevare? quâ diſertâ, quâ grandi, quâ robuſtâ, vehementíque oratione Mercadum ego defendam?crimina permulta,totóque Regno vulgata: teſtes amiciſſimi:teſtes graviſſimi,locupletiſſimi, certiſſimíque. *prô Dii immortales! cur interdum in hominum ſceleribus maximis, aut connivetis, aut præſenteis fraudis pœnas in diem reſervatis* [30]? Ecquæ unquam,ab inſtitutis judiciis,P.C.aut odio dignior, aut conſceleratior accuſatio? quæ impudentia, ab natis hominibus, aut major, aut incredibilior? qui unquam teſtes, aut magis leves,aut magis irati,aut magis ab religione remoti? Sed quidum ego teſtium infero mentionem? ſi Ciricum excipitis, ceteri omnes, accuſatorum, & teſtium partes agunt,cum iſtius judicii vanitate oppidò quàm manifeſtâ,imo-verò manifeſtiſſimâ [31]. quot autem ceteri illi? duo duntaxat. qui verò? Menàgus, de quo jam diximus, & Sinerus, homo nequam & inhonorus, quémque Didaçus paullò ante; percipitis animis, P.C. jamdudum, quid velim,aut potiùs quid nolim dicere. Nec loquor de Cirico: teſtatior enim

[30] Verba *Cicer.pro Cælio.*

[31] Nō poteſt enim quis in eadem cauſa eſſe accuſator, & teſtis; quia *in omni negotio hæ perſonæ quærūtur: Iudex*, ACCVSATOR, *reus, & tres* TESTES. Verba *c. forus de verb.ſignif.* Itē accuſatori nō eſt teſtis idoneus, neque ejus propinquus, neque familiaris, neq; domeſticus *Accuſatores*, inquit Pontifex, *in c. 12. 3. q. 5. vel teſtes ſuſpecti non recipiātur, nec familiares, vel de domo prodeuntes, nec etiam conſanguinei accuſatoris adverſus extraneos teſtimonium dicāt: quia propinquitatis, & familiaritatis, ac donationis affectio veritatem impedire ſolet.* Cōſonant *tex. in l. 9. & 24. ff. de teſt. Accuſatoribus verò, inimicis, vel de inimici domo prodeuntibus, vel qui cum inimicis immorantur, aut ſuſpecti ſunt, non credatur, ne irati nocere cupiant, ne læſi ulciſci ſe velint.* Sunt verba *tex. in c. Accuſatoribus. 3. q. 5.* Vide hac de re *Farin. q. 53. 54. 55.* & 60.

enim res eſt, eum eſſe hominem profligatum, atque à D. Andreâ, cujus jampridem in ſervitio erat, ejectum ob enervatam, perditámque ſuam vivendi conſuetudinem. At cur diutiùs vos teneo, P.C.? excutiamus nunc-jam ſingulas iſtorum ineptias, atque omnia diligenter teſtimoniorũ verba cognoſcite. Dicunt, à Didaco, toto Regno diſſeminatũ, &c. verùm nõ ſubdũt, neque quibuscũ, neq; quo præſente, neq; quomodò, neq; quãdo. Dicũt, oppidorũ Curatores, & Syndicos egiſſe cum Didaco, eíque munera ſubmiſiſſe; nullum tamẽ oppidum, Curatorem nullum, nullum Syndicum nominant. De quantitate munerum nîl, nîl de viſu: de loco, de menſe, de anno nîl [32]. Ajunt, eum militibus extorſiſſe pecuniam, atque à Centurionibus affectum muneribus; ſed Centurionum nemo, nemo militum, quanvis admodum multi, & penè innumerabiles id auſus eſt affirmare. Toto Regno maximoperè veſtigatum: per ſingula oppida impensè quæſitum: rogati milites, rogati Centuriones; nihil tamen perveſtigatum, ni-

[32] Non eſt igitur lex Pontificia cuſtodita, cujus legis, *in c. cum cauſam de teſt. & atteſt.* verba hæc ſunt: *Eos* (teſtes) *diligenter examinare procures: & de ſingulis circunſtantiis prudẽter inquirens, de cauſis-videlicet, perſonis, loco, tempore, viſu, auditu, ſcientia, credulitate, fama, & certitudine, cũcta plenè conſcribas. Libellorum inſcriptionis cõceptio talis eſt*, inquit Paullus, l. 3. ff. de Accuſ. *Conſul, & dies*, apud illum prætorem, vel proconſulẽ Lucius Titius profeſſus eſt ſe Mæviam lege Iulia de adulteriis ream deferre, quòd dicat eam cum Cajo Sejo in civitate illa, domo illius, menſe illo, conſulibus illis, adulterium commiſiſſe. *utique enim & locus deſignandus eſt, in quo adulterium commiſſum eſt, & perſona, cum qua admiſſum dicitur, & menſis.* Eſt-ne annus quoque deſignandus? ita. ibi. *Conſulibus illis.* Vide *Gothofr.* in cit. *l.* 3. An hæc eadẽ in inquiſitione? omnino. *Clar.* § *fin. q.* 31. Cur ita? ne reo defenſio auferatur. *Clar.* § *fin. q.* 12. Quid ſi omittantur? fruſtra proceditur. *Clar. ibid.* ni teſtes, aut Iudex ſuppleant. *Bajard ad Clar. ibid.* An dies, & hora exprimẽda? minimè. *cit. l.* 3. niſi fortè per omiſſionẽ diei reo inferretur læſio. Quid enim ſi reus poteſt probare, die, qua de agitur, ſe alibi fuiſſe? Quid ſi res tali die, tali hora ſit aut mitiùs, aut minùs punienda? *Gothofr. ad cit. l.* 3. *Clar. cit. q.* 12. Quid ſi reſpondeat accuſator, ſe diem non tenere memoria? non excuſatur, niſi ſi id juratus reſpondeat. *Clar. ibid.*

nihil inventum: conquestus nulli, nullæ querelæ. Quotquot sunt rogati, ab iis ore uno dissentiunt, & Concubletti, atque Mercadi singularem integritatem, singularem innocentiam, summámque castitatem præclarissimè, amplissiméque dilaudant: malúntque diuturno carcere confici, quàm illorum opinioni, gloriæque detrahere [33]. Sed quîd ego pluribus ad hos refutandos? recita testimonia, & ipsa se se refutabunt. enim-verò, P.C. posset Didacus jure optimo proclamare, amputandum hísce falsariis caput, & carnificem statim acciri cum machærâ, mensáque lanioniâ flagitare [34]. Iam duas partes orationis confeci, P.C. nego nunc, Didacum Davali Ducis epistulam esse mentitum. Rogatus Didacus respondit, unum aliquem, ut erat ipse illius rei peritus, ab se petivisse, ut ad exemplar illam epistulam exararet: se bonâ fide fecisse; Davali autem subscriptionem imitatum se negat, pernegátque. Ego verò, P.C. non satis intelligo, quo jure Didacus hac de re fuerit interrogatus: quum enim Pelicus perhibuit testimonium, ne verbulum quidem de Mercado deprompsit: & præter Menagum, ridiculum illum accusatorem, nullus est, qui dicat, epistulam esse Didaci manu exaratam: nequit verò Iudex, ni velit ingens, & capitale scelus admittere, hominem non suspectum inter reos ponere, déque crimine interrogare [35]. Dicet delator, nîl id refer-

[33] Quid igitur? cũ hi, quibuscum trãsacta res dicitur, id negent, qui affirmant, à falsi suspicione sunt haud immunes. Vide *Farin. q. 65. n.* 274. Imò crediderim, falsarios habendos.

[34] Cur ita? quia in judiciis criminalibus falsi testis pœna ultimũ supplicium. prag. 4 de fals.

[35] *Clar. q. 10. Farin. q* 1. & 81.

referre, quandò Didacus ipse ultro fassus est, epistulã se cõscripsisse. est cõfessus; verùm nõ hoc est satis: *Divus* enim *Severus rescripsit, confessiones reorum pro exploratis facinoribus haberi non oportere, si nulla probatio religionem cognoscẽtis instruat* [36]. Est cõfessus; quidni? cur se fecisse abnegaret quod nullâ sceleris labe polluitur? Cuncta, si videtur, P.C. jura percurrite: Legem Corneliam diligenter inspicite: Libonianum Senatus-consultum sedulò videte: Constitutiones studiosè lustrate: Iurisconsultorum responsa accuratè perlegite; nusquam Legem illam, nusquam illud Senatus-consultum adeò solicita, nullam Cõstitutionem, nullum responsum adeò durum deprehendetis, ut nolit epistulæ corpus conscribi, si illud scribatur, aut ad instar, aut quò ab altero subnotetur: inq; amicorum gratiam epistulæ sæpe exarantur, ab altero subnotandæ [37]. *nemo* autem *in falsi crimen incidit, nisi quem Lex Cornelia, & Senatus-consultum Libonianum, quod in supplementum Legis Corneliæ latum est, aliæque constitutiones, ac responsa Iuris-consultorũ, quæ eã Legem interpretantur, disertè notant* [38]. Est id cõfessus Mercadus, & sẽpiternò confitebitur: ut enim est vir sincerus, & fortis; ea, quæ gessit, ultro, & sincerè fatetur: atqui hæc ejus, nullo metu probationum, sed voluntate facta confessio, tametsi epistulæ corpus conscribere foret illicitum; omnem ab eo suspicionem averte-

36 *L.1.§.17.ff.de Quæst. Confessio rei sola non probat, nisi aliunde Iudex argumẽta credendi habeat.* Verba *Gothofr. ibid.*

37 Vt si esset delictum, nihilominus Mercadus excusaretur. *Excusatur enim à falso,* inquit Theodoricus, Colleg. crimin. disput. 8. thes. 2. *qui facit id, quod consuetũ est. Hostiẽs. in c. quanto, de his, quæ fiunt à Prælat.*

38 Verba *VVesembec. in Paratitl.* quẽ sequtur Bachovius *in not. ibid*, & *in not. ad Treutl. disp. 32, thes.* 8. Adde *Farin. q.* 150, & *Oinot. in §. Lex Cornelia, Instit. de public. judic.*

ret [39]. Faciamus non avertere;an confessionem hanc Adversarius bifariè dispertiatur, ejúsque partem accipiat, alteram verò partem repudiet, dolóque malo Mercadũ fecisse contendat? enimverò,P.C. aut tota est ab eo accipienda ista confessio,aut tota repudianda [40]:præsertim cùm scribere ad instar non sit de rebus illicitis, & conjecturas pro Mercado habeamus, easdémque probabiles,atque perspicuas,ut post paullùm dilucidiùs,atque commodiùs demonstrabo. An suspicio sit, Mercadum Davali Ducis adscriptionem suâ manu effinxisse? de hoc etiam postea dicam; nunc ea, P.C. quæ criminationem hanc nugatoriam, & futilem faciunt, vobis aperiam. Tria erant à delatore conjunctè docenda;dolus malus Mercadi,veritatis mutatio,quódque ista mutatio fuerit nociva. De primo dubitat nullus, *cùm nonnisi dolo malo falsum committentes crimini subjugentur* [41]. *Interest*, inquit Augustinus [42], *quemadmodum verbum procedat ex animo. ream linguam non facit nisi mens rea.* ut ne lata quidem culpa [43], ne dolus quidem præsumptus [44] sufficiat: creditur enim quis,magis errore, quàm malitiâ falsum fecisse [45]. Secundum usque-adeò requiritur,ut falsum

39 *Confessus sponte, & liberè delictum, de quo interrogatur*, inquit Farinacius,q.81,num.180; *non solùm mitiùs punitur, sed etiam præsumitur sine dolo deliquisse. Bec. cons. 96. Bertaz.cõs.193. Port.Imol.cons. 95. Ioseph. Ludov. concl.15.*

40 Tum quia facti de genere non prohibitorũ cõfessio, quæ habet circunstantiam delictum excludẽtem, nõ dividitur, tum quia nec dividitur, si aut facti nulla adsint indicia,& aliunde non cõstet, quã per rei confessionem;aut conjecturæ, illi circunstantiæ faveãt. *Farin. cit. q.81. à n.110.*

41 Verba *tex. in l. nec exemplum, C. de fals.* §. 7, *Instit de publ. jud Clar.* §. *falsum. Farinac.q. 150. Carpoz. q. 93.*

42 *D.Aug.* relatus *in c.homines falsum,22.q.2.*

43 *Farin.ibid Theodor.colleg.crim disp 8. thes.1. Hunn.colleg crim, disp.12.*

44 *Beer.dec.116. Farin. Theodor. & Carpz locc.citt.*

45 *L.5. C.de his,qui sib. ascrib. & DD. proximè cit.* Omnis enim capiẽda est interpretatio, ut falsitas excludatur. *Farin.cons 60.* & ne dicatur commissa, nimia subtilitas adhibenda est. *Feller.in pract. Rubr. Item quòd commis. falsit.* usque-adeò, ut,si adsit aliquod verbum aptum importare falsitatem, fiat interpretatio,quòd non importet. *Feller.ibid. Theodor. disp cit. thes.5.*

ſum non ſtatim committatur, atque dolus fuerit adhibitus, niſi etiam veritas mutetur, & pervertatur [46]. De tertio quis ambigat? utique non omnis mutatio veritatis Lege Corneliâ vindicatur, ſed solùm ea, quæ nocuit, aut nocere potuit [47]. atquî hoc in judicio tria hæc deſiderantur omnino. ordiar à ſecundo: etenim primum fruſtra requirimus, ſi veritatem eſſe immutatam delator minimè demonſtraverit. Dic mihi, Menage, quî adulterantur epiſtulæ? nónne adulterãdo adſcriptionem? at quî manifeſtũ feciſti Davali adſcriptionem eſſe adulteratam? ſanè teſtium nullus tibi dat operam, nullus ſanè adulterinã exiſtimat. & quanquam aliam attuliſti epiſtulam, ad oſtendẽdum, unius adſcriptioné alterius adſcriptioni eſſe diſſimilem; tamen nullus eſt, qui de hac diſſimilitudine teſtimonium dixerit. Quid verò mihi obſtrepis, atque obgannis, apertè conſtare de illarum diſparitate? porrò ceteri hominum aliter ſentiunt, credúntque nec aquam aquæ, nec lacti lac eſſe ſimilius. Verùm demus illas eſſe diſſimiles; quis aſſerat ſubſcriptionem illam, quæ in aliâ eſt exarata, eſſe veram, hanc autem, de quâ nobis eſt quæſtio, aſſimulatam? an potiùs illis, quàm iſtis tabulis credemus? minime-verò nequaquam: *Scripturæ nanque diverſæ fidem ſibi invicem derogantes, ab unâ, eadémque parte prolatæ, nihil firmitatis habere poterunt* [48]. finge alium delatorem conten-

[46] *Theodoric.* & *Carpz. locc. citt.*

[47] *Afflict. decis.* 21. *Foller in pract. v. item, quòd cõmiſit falſitatẽ. Gaill. obſervat.* 100. *Farinac. Hũn & Carpz. locc. citt. Theodor. diſput. cit. theſ.* 3.

[48] Verba *tex. in l.* 14. *C. de fid. inſtrum.*

dere, ut pœnâ plectatur qui alteram epistulam cōscripsit; in eâdem, per te, navi erunt; nam utraque per te subscriptio erit falsa, utrique reorum supplicium decernendum. huc recidit, mî Menage, tua operosa probatio. Vos autem probè nôstis, P.C. tunc solùm comparationes literarũ permitti, quum aliud ejusdem scriptoris chirographum indubitatum profertur [49]: & probè nôstis etiam quàm pusilla sit, atque infirma, præsertim in judicio falsi [50], per literarum comparationem quæsita probatio [51]. ea siquidem est, propter multa, res plena periculi, eíque si creduli simus, ipsammet innocentiã in discrimen adducimus [52]. Respondebit fortasse delator, ab hujus causæ Actuario ostensam Davalo epistulam, ostensámque subscriptionem; Davalum autem respondisse, subscriptionem illam non esse suâ manu exaratam. Risu, hercule, dignam responsionem. num Davalus testimonium deposuit? num coram Didaco? num vobis coram? num juratus id affirmavit? atquî *Iure Pontificiali, nullius testimonio, quantumcunque religiosus existat, nisi juratus deposuerit, in alterius præjudicium debet credi* [53]. Iuréque Civili, *Iurisjurandi religione testes, priùs, quàm perhibeant testimonium, jamdudum arctari præceptum est* [54]. Sed, rogo, quis

[49] *L. 20. C. de fid. instr.* ibique *Perez. Caball. cas.* 251. Adde *D.D. in l. admonendi, ff de jur. jur.*

[50] *Caball. ibid.*

[51] *Afflict. dec.* 181, ibique *Addent. de Franch. decis.* 105, ibique *Addit. Caball. loc. cit.*

[52] *Caball. ibid.*

[53] Verba *tex. in c.* 51. *extra de testib. c.* 17, 39, & 47, *eod.* Iure quoque Divino idem statutum esse docêt D.D. à Gail. cit. *obser.* 101. *lib.* 1.

[54] Verba *tex. in l.* 9, *C. de testibus*, Vnde notãt, testiũ depositionẽ duobus constare: ipso testimonio, & sacramẽto, quorum alterum sine altero non valeat. *Gothofred. ibid.* *Quid verò jurant? de veritate dicenda, non modò super articulis datis, sed & in iis omnibus, quæ ad causam faciunt; aliàs eorum testimonium nullum.* Verba *Gothofr. ibid.* Iurant autem apud Iudicem *c. 2 extr de testib.* omnino in criminalibus judiciis. *auth. apud eloquentissimum, C. de fide instrum.* Iurant adversa parte citata, &, si venire voluerit, ea præsente, *l.* 18. *C. eod. auth. Sed & si quis, C. de testib.* alioquin eorum testimonia carent fide: *Gothofr. ibid.* Vide *Gail. observ. cit.* & 96. *Foller. in pract. v. Et demum repetantur testes Curia.* Adde *Senec.* 1. *de Ira. c.* 19.

quis asserit, hoc à Davalo dictum? *Ferrarus.* númne Ferraro, in causâ, cujus actuariũ agit, testimonii dictio sit [55]? per me sit; nónne solus, & injuratus id asserit? Equidem, P.C. ut fatear, quod res est, duo hac in re non satis intelligo. primum, cur Davalo, & præsenti testimonium non fuerit denuntiatũ. secundũ, cur nõ prolata plurima Davali chirographa, cúrve celata? nũ delatori deerãt? num interierant? sanè plurima apud eum: est enim is, ut bene nôstis, ratione muneris, cui præpositus, omnium id genus epistularum custos, & conservator. Quid igitur, P.C. quid igitur? Audite Iustinianum [56]: *Si legatarius,* inquit ille, *vel fideicommissarius celaverit testamentum, & postea hoc in lucem emerserit; an posset legatum sibi relictum is, qui celaverit, ex eo testamento vindicare, dubitabatur: quod omnino inhibendum esse censemus, ut,* notate, *non accipiat fructum suæ calliditatis, qui voluit hæredem hæreditate suâ defraudare: sed hujusmodi legatum illi quidem auferatur, maneat autem quasi pro non scripto apud hæredem: ut,* notate iterũ, *qui alii nocendum esse existimavit, ipse suam sentiat jacturam.* Audite Dioclet. & Maximian. A.A. [57] Eorum verba sunt hæc: *Si de possessione servitutis, instrumentis subtractis, in libertatem proclamat Eutychia: cùm petitori probationis onus incumbat, intentione suâ defecta, his juvari minimè potest. nam si in servitutem petatur, ad emptionis probationem NON EST INDICIIS ALIIS OPUS,*

SED

[55] *Rosbach. proc. crimin. tit. 1. c. 2.*

[56] *L. 25, C. de legat.*

[57] *In l. 20, C. de probat.* Ex hoc textu, ex proximè citato, & nõnullis ex aliis colligunt D. D. subtrahentẽ adversario probationes, litem amittere. Sed vide hac de re *Afflict.* ibique *Ursill. decis. 330,* & *Boer. decis. 292.* Imò, *Si quis ex litigatoribus detectus fuerit, separatim tractasse cum plurimis causidicis, & adversario suo, tali fraude, subtraxisse paris defensionis copiã, ut scilicet, illum à rudibus, atque tyronibus necesse sit sustineri; ostendit procul dubio iniquam à se litem foveri, & auctoritatem judiciariam à se delusam experietur.* Sunt verba tex. in l. 7. C. de postul.

SED INSTRVMENTORVM FVRTVM MONSTRARE SVFFICIT. Quid quòd, *Eũ qui celavit, vel amovit testamentũ, cõmittere crimen falsi, publicè notum est* [58]? *Qui testamentum amoverit, celaverit, eripuerit, deleverit, interleverit, subjecerit, resignaverit*, inquit Paullus [59], *quive testamentum falsum scripserit, signaverit, recitaverit dolo malo, cujúsve dolo malo id factum erit, Legis Corneliæ pœnâ damnatur*. Scribítque Vlpianus [60]: *Itẽ si tabulæ testamenti, ne de inofficioso diceretur, diù suppressæ sint, mox mortuo filio prolatæ; heredes filii adversus eos, qui suppresserunt* [61], *& Lege Corneliâ, & de dolo posse experiri*. An de solis testamentis id cautum? *Paulus respondet, Legis Corneliæ pœnâ omnes teneri, qui etiam extra testamenta, cætera falsa signâssent. sed & cæteros, qui in rationibus, tabulis, literis publicis, aliáve quâ re, sine consignatione falsum fecerunt, vel, ut verum non appareat, quid celaverunt, subripuerunt, subjecerunt, resignaverunt, eâdem pœnâ affici solere dubium non esse* [62]. *Celare verò*, inquit Cicero [63], *est quum, quod tu scias, id ignorare, emolumenti tui caussâ, velis eos, quorum intersit id scire. hoc autem celandi genus*, notate, *quale sit, & cujus hominis, quis non videt? certè non aperti, non simplicis est, non ingenui, non justi, non viri boni: versuti potiùs, obscuri, astuti, fallacis, malitiosi, callidi, veteratoris, vafri.* Atque hinc illud factum crediderim, P.C. quòd in re illâ; nempe: An falsi teneatur testis, qui non falsum quidem dixit, sed

verum

58 *In l. 14. C. de fals.*

59 *L. 2. ff. eod.*

60 *L. 9. §. 2. ff. de dol. mal.* Iunge *l. 3, §. 6, ff. de tabul. exhib.*

61 Supprimere, celare, occultare, synonyma sũt. *Thes. ling Lat. v.* Supprimo. *Gothofr ad cit. l. 1. lit L, de fals. Celaverit*, inquit ille; *i. suppresserit.* Paul. 4. sent. §. 1. *Supprimit, qui cùm habeat potestatem proferendi, nõ profert.* Paul. ibid. §. 3, 4. & 5.

62 Verba *l. 16, §. 1, & 2, ff. de fals.* Iunge *l. 1, §. 4, & l. 9, §. 3, tit. eod.*

63 *Cic. offic. 3.*

verum reticuit, eum teneri multa sit opinio, eáque jam pro vero recepta [64]. *Pejerat*, inquit Plautus [65], *sæpe, qui tacet. tantum est enim verum tacere, quantum & falsum dicere.* Ammianus ait [66]: *Fallere non minùs videtur, qui gesta præterit sciens, quàm ille, qui nunquam facta fingit.* & Asconius [67]: *Jurati*, inquit, *testes produci solent, non solùm ne falsa dicant; verùm-etiam, ne, quæ vera sunt, taceant.* Ostensum est, P.C. atque apertissimè, non esse à delatore approbatum, Davali Ducis chirographum adulteratum fuisse: progredior nunc ad probãdum, epistulam hanc non fuisse nocivam. Non est hac in epistulâ adscripta dies, nõ mensis, non annus; nullorum ergo hominum homo poterat, per hanc, in militum album referri: *Si qua* enim *beneficia personalia, sine die, & Consule fuerint deprehensa, auctoritate carent* [68]. Hoc planè sufficeret, P.C. ut ex regulâ juris evincerem, quod intendo; nihilominus honestissimorum hominum testimonio, ac tabulis eorum, qui militaribus in subselliis munera exercent, constat, quum Ducum in epistulis ista desunt, neminem posse in album describi. Quæ cùm ita sint, P.C. ejuscemodi epistula impunè conscribitur, sicuti *testamentum, quod nullo jure valet*, impunè

64 *Mascard. concl. 5, n. 73. Farin. q. 67. n. 220. Matthaeus de crim. tit. 7 c. 1. Theodor. disput. cit. thes. 2.* estque creditum, nihil interesse, pretione accepto, an gratis tacuerit; cùm lege Cornelia teneatur, non solùm, qui testamentum falsum fecit, sed & qui verum celavit: nec distinguatur, mercede ad hoc invitatus sit, necne; ut ex legibus supra citatis, *n.* 58, 59, & 62. Falsum est fraudulenta veritatis inmutatio, vel suppressio in præjudiciũ alterius facta, ut ex *citt. ll.* supprimit autem veritatem, qui, licèt sine pretio, verum dicere recusat. Vide *Matth. loc. cit.*

65 *Plaut.*

66 *Ammian. histor.* 29.

67 *Ascon. ad Verrin. 3.* 68 Verba *l. 4*, ibiq; *Gothofr. C de divers rescript.* & *c dicenti 25, q 2.* Adde *Iacob. Gothofr. ad l. 1. C. Theodos de Const. Princ.* Vide *Foller. in pract. 2. item quod commiss falsit.* ubi excusat à pœna depravantem instrumentum in quo dies desideratur. Scio, diem, & annum, quòd ad contrahẽtes ipsos, & eorũ heredes attinet, in tabulis omitti posse: & cùm convenit de pignoribus, non icci rco obligationem pignorum cessare, quòd in epistula dies, & Consules additi non sint, *l. 34. §. 1. ff. de pignor.* atqui hoc obtinet solùm in scriptura privata, cum que tempus probari non est necesse. *Gothofr. ad cit. l.* 1. Est autem in re nostra necesse probari tempus, & hujuscemodi literæ privatæ non sunt.

punè ſupprimitur : nihil eſt enim, quod ex eo, aut petatur, aut conſiſtere poſsit [69]. Sed hæc nihil moror, quãdoquidem adlegendi in centuriam militis nomen hac in eâdem epiſtulâ deſideratur. Didacus hoc pacto exarat epiſtulam : *Non tibi moleſtum ſit in meam centuriã adſcribere* : : : : (lineam abrumpit, ſpatiúmque relinquit nomine militis intercalandum) *quoniam iſte mihi ſatisfacit.* Iam verò quid aliud ſonant hæc verba, niſi, quòd nemo in cẽturiam adſcribatur, aut, adſcribatur is, quẽ Davalus illo in ſpatio interpoſuerit ? Sed demus, P.C. demus fuiſſe in epiſtulâ diem appoſitum, noménque militis adſcriptũ; num propterea Didacus pœnâ plectendus? nempe Didacus imperfectam, innocentémque epiſtulam exaravit. porrò imperfecta, innocẽs, atque, ut ita dicam, inanima eſt epiſtula, niſi mittentis ſubnotatione abſolvatur, & quaſi quodammodò animetur. *Si quis ex teſtibus nomen ſuum non adſcripſerit, veruntamen ſignaverit*, inquit Paullus [70], *prò eo eſt, atque ſi adhibitus non eſſet*. Scribítque Leo Imperator [71] : *Sacri affatus, quoſcunque noſtræ manſuetudinis in quâcunque parte paginarum ſcripſerit auctoritas, non alio vultu penitùs, aut colore, niſi purpureâ tantummodò inſcriptione luſtrentur : ſcilicet, ut cocti muricis, & triti conchylii ardore ſignentur. EAQVE TANTVMMODO fas ſit proferri, vel dici reſcripta, in quibuſcunque judiciis, quæ in chartis, ſive membranis SVBNOTATIO NOSTRÆ*

[69] Verba tex. in l. 38, §. 6, ff. de pæn.

[70] L. 22, § 4. ff. qui teſt. facer. poſſ. quam legem in hanc rem citat Bald. in proœm. ff. Vide l 17, C. de fid inſtr. & l. 11, C. qui pot in pign. hab. Adde D.D. in l. nuda, ff. de donat.

[71] L. 6, C. de diverſ. reſcript.

STRÆ

STRÆ SUBSCRIPTIONIS IMPRESSERIT. Quæ cùm ita ſint, P.C. an, inquam, Didacus pœnâ plectendus? Audite, quæſo, Africanum [72]: *Si quis legatum ſibi adſcripſerit*, inquit ille, *tenetur pœnâ Legis Corneliæ, quamvis inutile legatum ſit: nam & eum teneri conſtat, qui eo teſtamento, quod poſtea ruptum, vel etiam quod initio nō jure fieret, legatum ſibi adſcripſerit. hoc tamen tunc verū eſt, cùm PERFECTUM teſtamentum erit. cæterùm ſi non ſignatum fuerit, magis eſt, ut Senatus-conſulto locus non ſit. ſicuti nec interdictum de tabulis teſtamenti exhibendis locum habet. priùs enim oportet eſſe aliquod teſtamentum, vel non jure factum, ut Senatus-conſulto locus ſit. nam & falſum teſtamentum id demum rectè dicitur, quod, ſi adulterinum non eſſet, verum teſtamentum diceretur.* Quis neſciat, P.C. *Epiſtola* eſſe ab græco ἐπιστολή, quaſi dicas *miſſoria*, ab ἐπιστέλλω, *mitto* [73]? Quis neſciat, inventas epiſtulas, ut certiores faceremus abſentes, ſi quid eſſet, quod ſcire, aut noſtrâ, aut ipſorum intereſſet [74]? quis igitur neſciat, non ſubnotatam epiſtulam, epiſtulam non eſſe, quòd non ſit eam qui mittat, non ſit qui loquatur? Sed quid quòd ea nullo in loco Davali nomen habet [75]?

72 *L. 6. ff. de fals.*

73 *Voſſ. Etymolog. ling. Lat. v. Epiſtola.* Vide *Lexic. jur. v. eod.* Roget hic naſutulus aliquis: *Si ex etymo patet,* Epiſtola *per o ſcribendum; cur tu ſcribis ubiq; per u?* Nō reſpōdebo, per *u* maluiſſe Politianum, multoſque alios: *teſte Voſſ. ibidem.* Nec per *u* ſemper Florentinos Codices, & veterū alios auctorū libros habere: *Lex. jur. v.* Epiſtula; ſed quærā cur ſcribamus *ambulo* ab ἀμ & πολῶ? *Fur* à φώρ? *puppis* à πόποι? *alumnus* ab *alo*? *amuletum* ab *amolior*? *dolus* à *dolor*? *fulgur* à *fulgor*? *muto* à *motus*, & ſexcenta alia? Vide *Voſſ. de literar. permut.* Non placet *Epiſtula* per *u*? repone *o*; per me licet. 74 *Cic. ad Quint. fratr.* 75 Hoc ideò dico, quia docet D.D. apud *Maſcard. concl. 627. n. 20.* non carere effectu epiſtulam, ſi nomen mittentis continet, licèt ſubſcriptione careat.

Quid quòd erat ſigillo [76],Ducum omnium more, ſignanda? Porrò nihil omnino ſceleris in ſe Mercadus concepit, quia nihil fecit, nihil omnino patravit [77]. *Neque enim ullum balineum*,inquit Cajus [78], *aut ullum theatrum, aut Stadium feciſſe intelligitur, qui ei propriam formam (quæ ex conſummatione contingit)non dederit*. Scribítque Vlpianus [79]: *Perfeciſſe ædificium is videtur, qui ita conſummavit, ut jam in uſu eſſe poſsit*. Imò,*qui falſam* etiam *monetam percuſſerint, ſi id totum formare noluerint, ſuffragio juſtæ pœnitentiæ abſolvuntur* [80]. Dicet fortaſſe Menagus, epiſtulam non eſſe ſignandam, præſumíque, Davali manum à Didaco ementitam: ſed num ſignanda,

---

76 Annulis ſignare vetus & antiquus mos fuit (hinc annuli ſignatorii, ut *l.* 74.*ff.de verb.ſignif.* & *l.* 15. §. 10.*de aur.*) qui mos noſtris étēporibus apud pleroſq; obtinet: ſed ſignis, ſive ſigillis plurimū nunc utimur. In iis primùm nudæ dūtaxat literarum notæ habebantur:ſculptura poſteà multiplex,atque in ipſa materia. Aucta luxuria, adſcitæ ſunt gemmæ, in quibus varia ſculpi cœperunt;ut Cæſaris,aut alicujus majorum, aut amicorum imago,aut capti hoſtis effigies.quin & bruta animalia,& mōſtra: imò etiam inanima, Sculpit quis convenientia ſibi,vel ob eventum quempiam,vel artem,quā factitar,vel munus, quod gerit.*Vide Hoeping.de jur.Inſign.c.*10.§.10.Sculpit etiam quis inſignia majorum,vel ſua: multi etiam aliena. An id jure? ex lege nego : quanvis enim poſſit quis,privata,& popularia ſibi quædam inſignia fingere:*Hoeping.tr.cit.c.*2.*n.*1057:ea potiſſimùm ratione,quòd quis nomen alterius, modò id ſine fraude fiat,aſſumere poſſit pro libitu.*l.un.C.de mut.nom.Hoeping. ibid.* ſecus ſi in fraudem alterius id faciat.*Hoeping.n.*1058.Imò,*qui illicitis inſignibus uſus eſt graviſſimè puniendus eſt.*Verba *text.in l.eos,*§.1.*ff.de falſ.*explicat ibi *Gothofr.Illicitis;ideſt altioris ordinis. Paulus* 5.*ſent.*25. §.11. Vide *Farin. q.*150. 77 Sicuti caviſſe nō videtur, qui vitiosè cavit : *l.* 6,*ff. qui ſatiſd. cog.* condemnaſſe non dicitur, qui ritè non condemnavit:*l.*4. §. 6, *ff. de re jud.* & nulla differentia eſt, non interveniat auctoritas tutoris, an perperam adhibeatur:*l.* 2,*ff. de auct. tut.* 78 *L. ſi is, qui*, §. *quadam,ff.ad l.falcid. Forma individua eſt: pars forma, aut operis nulla eſt:* Verba *Gothofr. ibid.*

79 *L.* 139. *de verbor.ſignificat.* 80 *L.qui falſam,ff.de falſ. per quem text. Hyppolit. ibid. poſt alios inquit, quòd ſi in una litera deficiat, non dicatur falſum commiſſum.* Verba *Vrſill. ad cit.deciſ.Afflict.*21.Fallitur verò *Gothofr in cit.l.qui falſam*,dicens:*Imò non abſolvuntur:l.*8, *C.eod.* ea enim in *l.*8.non ideò accuſationem evadere poterant falſarii, quòd negarent, ſe falſis codicillis uti:nam codicilli erant perfecti:& illis prodeſt inſtrumenti uſu abſtinere,qui non ipſi falſi machinatores dicuntur,& quos periculo ſolus uſus adſtrinxerit:*cit.l.*8. Fallitur etiam in eadem l.8.dum putat,hoſce codicillorum falſificos videri excuſandos, per cit.*l.is, qui:* etenim ibi res abſoluta non erat. Vide *Afflict.* ibi, docentem,non puniri mentientem Regis etiam literas, ſi in illis Regis ſignum non appoſuerit,quanvis quin apponeretur, per ipſum non ſteterit.

gnanda non ſit, ſi ex more ſignatur [81]? De præſumptione verò in Mercadum; cùm præſumptio ſit conjectura, ſeu divinatio in rebus dubiis, collecta per rerum circunſtantias, & argumenta, vel indicijs frequenter evenientibus [82], ecquod-nam perſonæ Didaci: ecquod-nam hujus rei attributum id confirmare videatur? verùm de his poſtea dicendum. nunc dixi, Menagum id *fortaſſe* dictum, atque uſus ſum hac dubitādi particulâ; quia cùm Pelicus affirmet, ab Surſo ſibi datam illam Davali epiſtulam, Menagus ipſe mendaciū agnoſcens, fortaſſe dicta retexet. Non ſunt, non ſunt, P.C. Davali tabulæ adulteratæ. eſto, adulteratæ ſint; cui-nam hæc ádulteratio tribuenda? certè non Didaco, non Surſo, ſed ipſi Pelico: qui enim re falsâ utitur, illam depravâſſe cenſetur [83]: manétque eum pœna, ni ſuam innocentiam probet, eúmque, à quo accepit, exhibeat. verba legis [84] hæc ſunt: *Majorem ſeveritatem exigit, ut merita eorum, qui falſis reſcriptionibus utuntur, dignâ coërceantur pœnâ: ſed qui deceptus eſt per alium,* notate, *ſi ſuam innocentiam probat, & eum, à quo accepit, exhibet, ſe liberat.* Vt hinc nō ſatis intelligam, P.C. cur Pelicus non ſit injectus in carcerem, cur in eum nulla fuerit pœna petita, quáve ratione delator toto conatu contendat ut is pro teſte habeatur. porrò

[81] Aliud eſt ſignare, aliud nomen ſuum adſcribere: *cit. l.* 22. §. 4. *ff. qui teſt. facer. poſſ.* cumque in more ſit, utrūque ab Ducibus fieri, alterum non ſufficit: *cit.* §. 4. Mos enim ut lex valet: *l.* 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. & 40. *ff. de L.L. l.* 34. *de reg. jur. Cic.* 11. *de L.L. Quintil. lib.* 5. *c.* 10. & non minùs, quàm ea, quæ ſcripta ſūt jura, ſervari oportet: *cit. l.* 35. ſique aliter fiat, fit perperàm: *l. non dubium, ff. de L.L.*

[82] *Gothofr. ad l.* 1. *ff. de prob.*

[83] *Foller. in pract. v. item quod cōmiſ. falſit. nu.* 8. *Farin. q.* 151. *n.* 70.

[84] *L.* 4. *C. de falſ.* & non modò pœna coërcetur, qui utitur falſis reſcriptis; ſed etiam, qui utitur falſis conſtitutionibus: *l. ult. ff. de falſ.* falſis Prætoris literis: *l.* 25. *ff. eod.* falſo prætoris juſſu: *l.* 1. *ff. de cōcuſſ.* falſis inſtrumentis, actis, epiſtulis: *Paul.* 5. *ſent.* 25. §. 9. Vide *Gothofr. ad cit. l.* 4. Vide etiam *Foller.* & *Farinac. locc. citt.*

ſi ſemel hoc liceat; ſontes omneis poſt hoc tempus crimina derivabunt, atque in alios avertent. númne fas ſit cuipiam, teſtimonio ſuo ſuam juvare cauſam? planè *omnibus in re propriâ dicendi teſtimonii*[85] *facultatem jura ſubmoverunt*[86]. *Nónne generale eſt*, inquit Ærodius[87], *neminem in ſuâ causâ haberi teſtem idoneum? alieno negotio, non ſuo teſtem interponi? ſi ſuo*; reum: *ſi alieno*; teſtem *appellari?* Sanè egregius hic miles unum aliquem ad Didacum miſit, ut inſtar illud epiſtulæ eblandiretur: deinde, ut coronidem in ſcelus imponeret; Davali manum, & ſubſcriptionē, duplicato mendacio, adulteravit. Mentior: nūquam enim id Pelicus patravit; quippequia Pelicus non hac epiſtulâ militiæ nomen dedit. id autem apertiſſimè conſtat: militis enim adſcriptio in adversâ, ut moris eſt, epiſtulæ parte notata foret: neque Claudius, qui tum huic rei præerat, ſuo muneri defuiſſet; ſed ſine dubio ſignâſſet. Erat Claudius vir frugi, vir navus, ac diligens, & propter acrem, atque accuratam, quâ pollebat, ſedulitatem, ſtudium, curam, illi muneri, invitus etiam, universâ civitate plaudente, præfectus. An Vobis, P.C. hæc cogitatio ſubrepet; hoc-eſt, diligentiſſimum, atque accuratiſſimum hominem, unam hanc rem inconſideratè, negligentérque tractâſſe? porrò nihil eſt quāobrem

85 Adde: & *ferenda ſententia: l. vnic. C. ne quis in ſua cauſ.* Deſumptæ autem ſunt hæ duæ leges ex *l. un. C. Theod. tit. ne in ſua cauſ. quis jud.* cujus legis verba hæc ſunt: *Promiſcua generalitate decernimus, neminem ſibi eſſe judicem debere: cū enim omnibus in re propria dicendi teſtimonii jura facultatē ſubmoverint, iniquū admodùm eſt, licentiam tribuere ſententiæ.*

86 Verba *l.* 10. *C. de teſt.* Adde *l.* 10. *ff eod.* Vide *Farin. q.* 60. ubi ait: *Ratione intereſſe repellitur etiā teſtis, qui tractat de ſe exonerando, vel exculpando. Amplia, ut talis teſtis multò minùs probet in criminalibus. et ideò ſi unus ex pluribus in rixa intervenientibus, vel de alio delicto inter plures imputatus, alium pariter imputatum inculpet, ſe exculpando; nihil probat contra inculpatum: ex allegatis per Brun. à Sol. qui loquitur in crimine furti, & per Iacob. Port. Imol. qui loquitur in crimine falſitatis.*

87 *Aerod. rer. judic. lib.* 5. *c.* 3.

obrem de vobis hoc timeam. ſcitis enim ſcripſiſſe Paullum [88]: *Sin verò ab initio confiteatur quidem ſuſcepiße pecunias, dicat autem non indebitas ei fuiſſe ſolutas, præſumptionem videlicet pro eo eſſe, qui accepit, nemo dubitat: qui enim ſolvit, nunquam ita reſupinus eſt, ut facilè ſuas pecunias jactet, & indebitas effundat: & MAXIME ſi ipſe, qui indebitas dediſſe dicit, HOMO DILIGENS EST, & ſtudioſus paterfamilias: cujus perſonam INCREDIBILE EST in aliquo facilè errâſſe.* quod & ſcripſit Cicero [89], dicens: *Et medici aſsiduitas, & tota domus in omni genere diligens, me rurſus id ſuſpicari vetat.* Enimverò, P.C. rem ſtudioſè, diligentérque Claudius curavit: ſui muneris partes implevit: adſcriptionem illam in verâ Davali epiſtulâ ſignavit, quæ epiſtula eſt clanculum Menagi dolo ſublata. Quid quòd in hac epiſtulâ nota illa deſideratur, per quam Concublettus Claudio ſignificâſſet, eſſe Pelicum militiæ maturum, appoſitúmque? quî ergo credibile ſit, P.C. ab Claudio relatum Pelicum in album, ſi Pelici nomen, ſi dies, ſi annus, ſi Davali ſignum, ſi Concubletti nota iſtâ in epiſtulâ deerant? Quid quòd Davali manus non modò Claudio non erat ignota, verùm-etiam erat percognita? nónne ſagaciſſimus, acutiſſimúſque Claudius olfeciſſet aſſimulationẽ? aſſimulationẽ! imo-verò, teſte adverſario, adulteriũ manifeſtiſſimũ. Quid quòd hæc epiſtula nullo unquã tẽpore

oſtenſa

88 *L. cùm de indebito 15. ff. de prob.* Diligens qui fuit ante hoc tẽpus, præſumitur hodie diligens, & cõtra. Ita quoque ratiocinabere de ſubdito, divite, docto, ægro, de voluntate, opinione, & ſimilibus; modò nihil repugnet quin ita ſit. *Menoch. de præſ. lib. 1. q. 24.*

89 *Cicer. ad Attic.*

ostensa ipsi Pelico? utinam ostenderetur! utinam Claudius mortalitatem non explevisset! uterque sanè docerent, veram epistulam affuisse; hanc verò, quâ de agitur, fuisse illi suppositam, atque hoc crimen palam refellerent. Vultísne clarè perspicere, an veræ Davali tabulæ exstiterint? Vos oro, obtestórque, P.C. ad hoc diligenter attendite. Decennium ampliùs est, ex quo Pelicus stipendio utitur, nec unquam Davalus eum ex albo deleri curavit. an putetis, Dâvalum, virum nobilissimum, virum summorum spirituum, egregiè generosum, & sui negotii bene gerentem, laturum hanc fraudem? certè si minùs eum falsi condemnâsset, insignia saltē militaria, ut homini subdolo, & suâ consuetudine indignissimo, ei detraxisset. Hoc sanè, P.C. satis supérque vobis esse deberet, ut crederetis, à Davalo datam hac de re ad Concublettum epistulam: quandoquidem est vobis probè perspectum, alicujus personam, eo conscio, ferentéque gerentem, credi, quòd habeat mandatū, ut se pro vicario gerat [90]. *Cæterū*, inquit Vlpianus [91], *si scit, & passus est eum magisterio fungi: ipse eum imposuisse videtur*. Est item vobis, P.C. compertum abunde, quòd quum locus aliquis, conscio sacrorum Antistite, diu pro æde sacrâ habitus, & cultus est, præsumatur ejus consensu id factum [92]: quódque is, qui longo tempore ecclesiæ utitur vectigali, existimetur ex legibus id impe-

[90] *Menoch. præs. 15. lib. 2. & præs. 62. lib. 3. Mascard. conclus. 1158.*

[91] *L. 1. §. 5. ff. de exercit. act.*

[92] *Menoch. præs. 132. cit. lib. 3. Mascard. loc. cit.*

pe-

petrâsse [93]. Multa item alia in medium proferre possem, quæ id satis evincerent, sed libēter omitto [94]: ut enim maneam promissis, transeundū est mihi ad ceteras conjecturas, quæ conjecturæ sunt ejusmodi, ut Mercadum longè à crimine abesse, dilucidè, optiméque ostendant, ac patefaciant. An erat usque-adeò stipes Mercadus, ut Davali subscriptionem mentiretur, & subscriptio prorsus dissimilis esset Davali manui, qualis dicitur esse ista subscriptio? An erat Mercadus tam demens, ac fatuus (cui delator ipse ingenium tribuit) ut vitam, honorémque in certum discrimen adduceret [95]? is certè fuisset, si scelestam, evidentémque hanc fraudem suâ manu fecisset: brevissimo enim tempore erat hoc falsum aperiendum: quum enim Davalus centuriam recensebat; probè advertisset in eâ militem, quem ne de facie quidem antea cognoverat [96]: manúsque ipsa Didacum falsi arguebat, quæ manus erat omnibus multò notissima. an-non poterat Didacus epistulam alicui librario describendam injungere, aut sui characteris formam mutare? cur omisit utrunque? quoniam bonâ fide, ac veluti graphidem tabulas exaravit. bonâ, inquam, fide, & Menagi erāt partes ostendere, Mercadum dolo versatum. *Qui dolo dicit factum aliquid*, inquit Vlpianus [97], *licèt in ex-*

93 *Mascard concl.* 1377 *Menoch. cit. præs.* 132. *Et ratio est*, inquit iste, *quia nō est verisimile, quod Episcopus, qui visitare solet Ecclesias, passus esset, clericum possidere beneficium sine justo, solennique titulo.*

94 Videsis *Menoch.* & *Mascard. locis citt.*

95 Non est verisimile, quem velle capitis periculum subire, *l.* 1. *C. de fals.* H c-ve argumēto utitur Cicero pro Cœlio.

96 Hoc argumento utitur Menochius *citata præs.* 15. ad probandum, quòd, si is, cui est delegata jurisdictio, jus dicat ubi est delegās, non teneatur patentes literas delegationis ostendere. *nam tunc*, inquit ipse, *præsumitur, quòd is delegatus habeat delegationis mādatum: cùm nō præsumatur*, nota, *quod facilè ob delegantis præsentiam detegi potest.*

97 *L.* 18. §. *qui dolo, ff. de probat.*

exceptione, docere dolum admiſſum debet. Poſſem dicere, P.C. ex eo quoque confici, epiſtulam hanc eſſe ſcriptam ad inſtar; quia ſcilicet non eſt Didaci manu Concubletto inſcripta. Poſſem dicere, nullam fuiſſe cauſſam, cur Didacus deteſtabile hoc ſcelus admitteret: cujuſque autem peccati nunquam non requirenda eſt cauſſa; ut ſi cauſſa exſtiterit; factum eſſe dicatur: ſin minùs; non eſſe factum [98]. *Examinātur autem cauſæ ſemper emanſionis*, infit Menander [99], *& cur, & ubi fuerit, & quid egerit*. Et verò, P.C. quæ cauſſa Didacum tantum invitavit ad ſcelus? non utique amicitia: etenim Didacus, non modò nullâ familiaritate Pelicum complectebatur; verùm etiam ne ſalute quidem tenus illi erat amicus. non indigentia: non modò enim re nullâ Didacus deſtitutus; ſed fortunas ampliſſimas, à majoribus partas, ſemper retinuit. non avaritia: non ſolùm enim nîl unquam avarè geſſit; ſed ſemper liberaliſſimus, mūnificētiſſimúſque, opem tulit amicis, & egeno cuique, officio pecuniarum. non ingenium: hoc enim illi non modò non improbum; verùm-etiam optimū, atque immortalitate digniſſimum. nihil unquam geſſit injuſtè, nihil libidinosè, nihil incontinenter [100]. Poſſem addere multa alia; ſed ea, quæ diximus, etiam nimis fortaſſe multa de re tam manifeſtâ, & luce meridianâ clariore. Reſtat, P.C. ut veſtram æquitatem implorem. imploro autem

pro

[98] *Ariſtot. Rhetor. lib. 2.*

[99] *Menād.* relatus *in l. 4. §. 15. ff. de re milit.* Vide *Foller. in pract. v. Item quod commiſ. falſit. n. 76.*

[100] *Cū reus eſt approbatæ vitæ, conditionis, & famæ, de eo nil mali conjectandum erit. ita propriè in terminis falſitatis arguit Bald. in l. 1. C. de falſ. in l. quoties, §. ſed ſi non in corpore, ff. de hæred. inſtit.* Verba sūt *Foller. loc. cit. n. 79.*

pro innocentiſſimo, pro caſtiſſimo viro, optiméque de Rep. merito: annos enim ſupra vigenos, ſingulari cum diligentiâ, eximiâ cum laude, magnâ cum integritate publica munera Mercadus obivit. Innocens eſt: nullo teſte convincitur: nullo argumento, nullâ ſuſpicione probationi admovetur. oportet igitur, P.C. non reum à vobis illum exiſtimari, ne ſubjectam innocentiam feriatis [101]. Eſt Mercadi innocentia penitùs perſpecta, planéque cognita: eſt Sole illuſtrior, clariórque: ſi ſecus eſt; cùm diu privatus ſit auræ communis hauſtu, & lucis aſpectu: cùm miſellus in carcere penè marcuerit: cùm plurimas ærumnas, calamitatéſque pertulerit: cùm omnes vos cauſſæ ad miſericordiam, atque ad humanitatem vocent; ſit ſatis, P.C. ſit ſatis immenſorum cruciatuum ſemel eum luiſſe ſupplicia [102].

101 *Accuſationis ordinem jàdudum legibus inſtitutum ſervari jubemus: ut quicunque in diſcrimen capitis accerſitur, non ſtatim reus qui accuſari potuit exiſtimetur: ne ſubjectã innocentiam feriamus.* Verba *l. ult. C. de accuſ.*

102 *Ad text. in l. omnes, C. de pœn.*

PRO LEONE ACHELOIO CERTAMEN VII.

ARGVMENTVM.

Leonem Achelojum, Isabellæ Rainaldæ heredem, adversus donationem ab eâdem Achelojis Ascetriis factam, Senatus-consulti Vellejani, simulationis, temporisque præscriptione tuetur.

CVm heri vesperi, P.C. mecum agitarem, essétne mihi ad causam hanc Leonis Acheloji cum Ascetriis ejusdem nominis elaborata domo ad amussim oratio deferenda, an autem subitarius Leoni patronus accederem; ad multam noctem diversus animi eram. modò cogitabam nimium Oratoris artificium pro crimine haberi [1], modò summâ diligentiâ curandum quodque negotium, & dissolutam negligentiam proximè ad dolum accedere [2]. Inter hæc Petrus germanus frater mu-

1 Qua de re elegantissimè *Aerod.rer.judicat. lib.3, tit.6, c.1.*

2 *L.si fidejussor,ff. mandat.*

musæum ingreditur, cúmque magnæ me cogitationis manifestum deprehendisset; *Ecquid est*, infit, *mi Dominice, quòd nunquã vacuo, nunquam otioso es animo? fac tandem, quæso, mi frater, ut curas istas, quæ aliquando (sed absit hoc omen) te perdent, abjicias.* Vagis sermonibus libertatem animi simulabam; sed iterum, iterúmque rogatus cogitationes meas aperui. Tunc ille: *Demiror*, inquit, *te hac in re ancipitem esse, animíque pendêre; quippe tibi, valde pugnaci, & grãdiùs exaggeratâ oratione opus est. an putas abs te muliebriter causam agendam, quòd pugnas cum mulieribus, mollitérque defensionis jura tractanda, quòd molli cum sessu conseras manus, ineásque certamen? imò tibi pugnandum robustiùs imbecillo cum hoc, infirmóque hominum genere. ego quidem nihil credo Vlpiano* [3] *dicenti, feminas pro aliis postulare prohibitas, ne contra pudicitiam sexui congruentem alienis causis se immiscerent, & ne virilibus officiis fungerentur: factum enim magis id arbitror, ne Iudicum fortitudo, constantiáque dejiceretur. flexanimum femineum genus ad se cujusque mentem flectit, detorquet, inclinátque. emollit lacrimis durissimos quosque, & invincibiles etiam à sententiâ dimovet. ad teneras, mollésque feminarum voces, velut ad arietarias machinas, firmitas ipsa deficeret, labaret, concideret. pondere lacrimarum ad vota sua Iustitiæ lancem inflecterent, blanditiarúmque fuco, & cerussâ illecebrarum sincerum illius vultum fœdè corrumperent.* Ad hæc non insulsè dicta, ut verum fatear,

[3] L. 1, §. 5, ff. de postul.

P.C.non potui quin commoverer non-nihil: ſed nihilo-ſecius decrevi cauſam ex tempore dicere. cur ita non facerem? an meditato prooemio orationem ordirer, ut vos benivolentiâ aliquâ mihi propenſiores reddam? an præcipuam aliquam vim, & artem perſuadendi adducerem, quò verborum præſtigiis oculos veſtros, mentémque perſtringam? abhorret hoc quidem à meâ conſuetudine: nec vos, dicendo, flecti, aut corrumpi poteſtis. cur inſuper optimam cauſam (quòd lingua ſuſpecta ſit [4]) mihi malam efficerem? planè, licèt longâ dicendi exercitatione, multíſque vigiliis eloquentiam omnem eſſem conſecutus; eam tamen neglectum irem, ne fortitudini veſtræ inſidiari viderer. aggredior itaque incomptam, humilémque orationem, & quoniam nihil abhorrens, alienum nihil ſum allaturus ab negotio, quo de agitur; ſpero futurum, ut me benignè, attentéque, de more, audiatis. Antequã Aſcetriæ Achelojæ, ſolenni ſacramento, Deo ſe ſe religioſam in ſervitutem dicarent, omne debitum parentibus condonârunt. hac de cauſsâ parentes, præter dotem, ex more, dictam, unicuique de illis, in ſingulos annos, ducentos aureos, publicis tabulis, promiſere: eiſdémque tabulis Iſabella Rainalda, avia materna, earum ſingulis alios ducentos aureos in eadem tempora pollicita eſt. Iſabellâ vivente, ne teruncium quidem, ex ſpõſo, ab eâ Monaſtriæ

[4] Cicer. de Orat. Aerod. loc. cit.

naſtriæ petiere. poſtquam autem è vitâ abiit, ad triginta aureorum millia, ab herede flagitare, maximoperè petere, eíque litem intendere, quæ lis à vobis hodie mane dijudicanda eſt. eſt autem, ni fallor, P.C. eſt, inquam, adjudicanda heredi. Præſcribit hic, pollicitationem illam fuiſſe factam, aut ut Senatus-conſulto Vellejano fieret fraus, aut ad pompam, & oſtentationem, nulláque aliâ de cauſsâ, niſi ut facta diceretur [5]. quòd ſi res ita non habeat; aſtruit, actrices præſcriptione temporis ſummovendas. Ad primum quidem quod attinet, feminæ (quis neſciat?) ſunt uſque-adeò credulæ [6], uſque-adeò imbecillo, improvidóque [7] conſilio, ut earum ſit proprium circunveniri [8]. ſexus enim mulierum ſicut invalidus, & impar laboribus [9]; ita incautus, & mollis eſt [10]. incautus, quia non omnia, quæ videt, aut audit, cum ſapientiâ, & ratione conſiderat: mollis autē, quia, quò velis, facilè inflectitur [11]. *VIR*, inquit Iſidorus [12], *nuncupatus, quòd major in eo vis eſt, quàm*

5 Exceptiones autem Senatus-conſulti Vellejani, & ſimulationis, ſicut pleræque aliæ, adverſus inſtrumentum paratam habēs executionem rectè opponūtur. *Coler. de proceſſ. execut. p.* 4, *c.* 1, *Zanger. de except. par.* 3, *c.* 26, *Berlich. p.* 1, *cōcluſ.* 84. Idem docet ſapientiſſimus, graviſſimuſque ille Sacri Cōſilii Præſes, D. Franciſcus Merlinus: de Vellejano ſcilicet, *contr. forenſ. lib.* 1, *c.* 55. de ſimulatione verò *lib.* 2, *c.* 17. Num ſit ut in re noſtra dicatur agi de fraude, fraudē verò objici nō poſſe nec ab eo, qui fecit, nec ab eius herede, ne videatur permiſſum, propriam turpitudinem allegare? Reſpondet Mantica *de tacit. lib.* 13, *tit.* 37. cujus verba ſunt hæc: *Si donatio facta ſit in fraudem legis, poteſt quis etiam ſuam fraudem allegare & propriam turpitudinem detegere; quia contractus nullius eſt momenti:* Ruin. conſ. 125, lib. 1, *quod eſt notatu digniſſimum.* 6 *L.* 10, *C. de oblig. & act.* 7 *Qualitas naturalis in beſtiis feritas*, l. 1, §. 10, ff. ſi quadrup. *in homine, diſſentire*, l. 1, §. 6, ff. de arbitr. *in femina imbecillitas. l.* 2, §. 2, *ff. ad Vellej.* ſunt verba *Gothofr ad cit.* §. 10. Adde *Nov.* 97, *c.* 3, *verſ. volumus.* Vide *Ariſt.* 1. *polit. ult.* 8 *Ariſt. hiſtor. anim.* 9, *c.* 1, *D. Chryſoſt. hom.* 23. *in* 2 *ad Corinth. l. un. C. de rei uxor. act. cit. Nov.* 97, *c.* 3. mater enim deceptionis credulitas. *Senec. de Cōſol. ad Polyb. c.* 10. 9 *Tacit. Annal.* 3. 10 *Ut corpus teneris*, canit Ovidius. *ſic mens infirma puellis.* 11 *D. Chryſoſt. loc. cit.* §. 2. *Nov.* 61. 12 *Iſidor. orig. lib.* 12, *c.* 2. Vide hac de re *Voſſ. Etymolog. ling. Lat. v. mulier.* ubi docet, à Latinis non ſolere geminari conſonantes, eoque dictum *molis*; à *molis* autem *molier.* poſteriores verò pro *o* maluiſſe *v*, ut pro *ſervos ſervus*, proque *Molier Mulier.* Lepidè Franciſcus de Petris *probl. acad.* 18, *Mollior, ò mulier, quidnam te mollius unquam? Quidve magis proferam*: mollier? *an* mulier?

quàm in feminis; unde & VIRTVS nomen accepit. MVLIER verò à mollitie tanquam MOLLIER, detractâ literâ, vel mutatâ, appellata est MVLIER. utrique enim fortitudine, & imbecillitate animorum, vel corporum separantur. virtus maxima viri, mulieris minor. Quàm verò longè mulieres absint à fano prudentiæ, vel ex eo est conjicere, P.C. quòd veteres indicaturi, nihil Fortunæ reperiri consilii, eam muliebri habitu pinxerint [13], & sapientiæ præsidem Minervam, non ex muliere, sed ex Iovis cerebro natam dixerint, quòd absurdum existimarent, sapientiam ex muliere oriri potuisse [14]. Incusant aliqui, & rectè, naturam, dicentes, ab humidi perfluitate feminas, non secùs ac pueros ingenio valere non sini, quòd temperationum nulla sit illi apta minùs, quàm pituitosa [15]. addunt alii, & meritò, sellulariam vitam, procul à commerciis virorum, procul à rebus gerendis, à literis, à peregrinatione: sine quibus adminiculis impossibile est ad arcem prudentiæ, sedémque consilii pervenire [16]: atque hinc factum, testibus Vlpiano [17], & Cicerone [18], ut mulieres olim fuerint in perpetuâ tutelâ [19]. *Majores*, inquit Cato [20], *nullam ne privatam quidem rem agere feminas sine auctore voluerunt: ut in manu essent parentum, fratrum, virorum.* Si verò in Iuris civilis loca velimus excurrere; modò fragiles [21], modò infirmas

13 *Galen. lib. de exhort. ad art. & disciplin. capess c.2.*

14 *Galen. lib. 3 de-cret. Hippocr. & Plat. c. 8.*

15 *Arnis. de Repub. tit. de success. & excel. femin. c. 2, sect. 11.*

16 *Arnis. ibid.*

17 *Vlp. in fragm. tit. 11, §. quantum. §. pupillorum. §. penult. & ult. Vide Sigon. de antiq. jur. Civ. Rom. lib 1, c. 13, Arnis loc. cit. & Rittershus. ad L. L. 12, Class. 3, p. 1, c. 13.*

18 *Cicer. pro Muren.*

19 Quod voluere & Græci. *Vide Arnis. loc. cit.*

20 *Cato apud Liv. lib. 34.*

21 *L. 21, C. ad Senat. Consultum Vell. l. un. § 15, C. de rei ux. act. l. 3, C. de præscript. 30, vel 40 annor. L. 12, C. qui pot. in pign. hab. §. 1, l. quib. alien. lic. vel non.*

mas [22], modò imbecilles [23] eas appellatas inveniemus. Cùm itaque Legum-latores hanc muliebris naturæ infirmitatem, & circunventiones, quæ facilè fiunt adversus eas satis novissent [24], novisséntque, earum etiam plerunque adversus propria commoda laborare consilium [25]; ne circunvenirentur, & fragilitate naturæ suæ in repẽtinam deducerentur inopiam [26], multimodis prospexerunt: circunventis autem exceptiones adversus ea, quæ gesserint, salutaria, eximiáque remedia invenerunt. &, ut cetera mittamus, exemplo nunc sit Senatus-consultum Vellejanum, quo *plenissimè comprehensum est, ne pro ullo fœminæ intercederent* [27]. *nam sicut moribus*, inquit Paullus [28], *civilia officia adempta sunt fœminis, & pleraque ipso jure non valent: ita multò magis adimendum eis fuit id officium, in quo non sola opera, nudúmque ministerium earum versaretur, sed etiam periculum rei familiaris*. idémque Paullus, proposito Senatus-consulto, sic ait: *Verba itaque Senatus-consulti excutiamus, priùs providẽtiâ amplissimi Ordinis laudatâ: quia opem tulit mulieribus, propter sexus imbecillitatem, multis hujuscemodi casibus suppositis, atque objectis*. Omnis omnino obligatio hoc Senatus-consulto comprehenditur: sive verbis, sive re, sive quocunque alio contractu intercesserint [29], & sive eam obli-

22 l. 9 ff. de jur & fact ignor. l. 9. ff. de cur fur. l. 16, ff. de jur fisc. l. 1, §. 10, ff ad Senat. Cõsultum Turpil. l. 4, §. 3, C ad l. Iul. Majest. l. 44, C. de Decur. lib. 10, cit. Nov. 97, c. 3.

23 L. 2, §. 2, ff ad Sen. Cõsult. Vellejan. & l. 23, C. de Nupt.

24 Verba cit. c. 3, Nov. 97.

25 Verba l. 4, C. de sponsal.

26 Verba cit. §. 15, l. un. C. de rei ux. act.

27 Verba l. 1, ff ad Sen. Cõsult. Vellejan. Intercessionis verbo omnis obligatio intelligitur. intercedit mulier, quæ quoquo modo pro alio se obligat. Verba Gothofr. ad l. 2, § eod. Vide eũd. ad l. 8, §. 1, eod. Aret. in §. item si Instit de Except. & Zanger. in tr. de except. tit. de Sen. Consf. Vellejan. Imò si mulier defẽsor alicujus sine mãdato exstiterit, proculdubio intercedit: suscipit enim in se alienam obligationem. quippe cùm ex hac re subeat condemnationem, proinde neque maritum, neque filium, neque patrem permittitur mulieri defendere *cit. l. 1, §. 5*, & ibi *Gothofr*.

28 In *cit. l. 1*.

29 *Cit. l. 2, §. 4*.

obligationem, quæ in alterius personâ constitit, mulier in se transtulit, vel participavit, sive quum alius pecuniam acciperet, ipsa se ab initio ream constituit [30]. Nec solùm ipsas mulieres, sed etiam heredes [31], ut omittamus procuratores [32], & fidejussores [33] earum, adversus creditores exceptione ex Senatus-consulto introductâ uti posse dubium non est. Roget Adversarius: *Quorsum hæc? Senatus intercedenti mulieri succurrere voluit, non donanti [34]: hoc ideò, quia faciliùs mulieres (avarum genus) se obligant, quàm alicui donant [35]: jura verò constitui oportet in his, quæ ut plurimùm accidunt, non quæ ex inopinato [36]: dicente Celso [37]:* Ex his, quæ fortè uno aliquo casu accidere possunt, jura non constituuntur. nam ad ea potiùs debet aptari jus, quæ & frequenter, & facilè, quàm quæ perrarò eveniunt. *donavit autem Isabella, non intercessit, non alienam suscepit, non in se transtulit obligationem.* Sed si verum, prout verissimum est, P.C. succurri mulieri, si quid contra Senatus-consultum fuerit excogita-

[30] *L.4, & 18, C. eod. Si cũ essem tibi contracturus*, inquit Vlpian. in l.8, §. 14, ff. eod. *mulier intervenerit, ut cum ipsa potiùs contraham; videtur intercessisse.*

[31] *L.20, C. eod.*

[32] *L.30 ff. eod.*

[33] *L.14, C. eod.*

[34] *L.4, §.1, ff. eod.*

[35] *Cit.* §.1. Quid si liberaliter aliquid fecerit, veluti ne judicatus pater ejus propter solutionẽ vexetur? non erit tuta Senatus-cõsulto. *l.* 21, §.1, *ff. eod.* Quid si fecerit, ut maritũ carcere, custodiaque publica redimeret? Negat eam teneri Arrestum Parisiense apud *Papon. de Vellejan. arrest.* 8; sed contrarium verius. defenditurque argumento desumpto *ex cit.* §. 1, *l.* 21, & per *l.* 21, *ff solut. matrim.* cujus legis verba hæc sunt. *Sed & si ideò maritus ex dote expendit, ut à latronibus redimeret necessarias mulieri personas, vel ut mulier vinculis vindicet de necessariis suis aliquem, reputatur ei id, quod expensum est, sive pars dotis sit, pro ea parte, sive tota dos sit, actio dotis evanescit.* Vt nemo sit, qui non videat, cum hac lege pugnare hujus Sacri Regii Consilii apud de Franchis decisionem DLXXVIII, quæ decisio habet, mulieri Vellejano succurri quanvis se obliget ut filium vinculis vindicet. Admirationem maximam movit hæc decisio D. Ioanni Francisco de Ponte *de potest. Proreg. tit. de decr. Collat. Cons. n.* 30, & fuisse contra illam ab eodem Consilio postea decisum téstis est Thorus ad eundem de Ponte, & in cõpend. decis. *v. Fidejubere.* hodieque in ipsa Gallia arrestum Paponii non obtinet, teste Addit. ad illum.

[36] *L.3, ff. de L.L.*

[37] In *l.* 4, & 5, *eod. Quod enim semel, aut bis existit, prætereunt Legis-latores.* Verba *l.6, eod.*

gitatum [38], síque oſtenderimus, hac in re, ſimulatâ donatione, fucum, ut dicitur, Senatus-conſulto factum; os Adverſario quidem certè obſtruemus. Quòd ita ſe res habuerit, conjecturis, argumentíſque confirmabimus. num fruſtra nobis hæc erunt, ſi vivos rei teſtes non proferamus? quî proferamus? nónne fraudes ſecretò, & clam teſtibus componuntur? ſit hæc teſtibus coram, ſit palàm compoſita; nónne longi temporis intercapedo Leoni teſtes eripuerit? Sanè quum res, aut per ſe probatu difficilis [39], aut abs tempore antiquo [40] repetitur; non plena illa, & locuples probatio requiritur, quam in novis, recentibúſque rebus exigimus; ſed qualiſqualis ſatis habetur, etiam ſi Legis-lator inexpugnabilem, & linearem probationem exigeret. Vt jugulum petamus, argumenta ex perſonis, & ex negotio [41], acerrima velut tela, ducemus. Quòd ad perſonas; erat Iſabella uſque-adeò facilis, uſque-adeò prona, propenſáque ad intercedendum pro filiâ, próque genero, ut illi deberent nemini, cui non eſſet ipſa, intercedendo, obligata [42]. erat filiæ, ac genero tanta morum dulcedo, atque ſuavitas: erántque illi uſque-adeò, & verbis, & rebus in eam officioſi, ut, nunquam eorum precibus repugnantem, illam vincerent, pervinceréntque facillimè, & quò vellent eam pertraherẽt. Antequam ſe Aſcetriis promittendi ream faceret, videns ſe maximo ære pro ſuis

[38] *L. 29, §. ult. ff. ad Vellejan.*

[39] Fraudem indiciis probari cõſtat. *Maſcard. concl.* 815. Cur ità? quia eſt probatu difficilis. *Menoch. de arbitr. caſ.* 116. & quæ liquidò probari nõ poſſunt, conjecturis probantur. *Mantic. de conject. lib.* 10, *tit.* 4.

[40] *Menoch. de arbitr. caſ.* 115. *Schrader. conſ.* 32.

[41] Ex his fraudẽ colligi docet *Maſcard. loc. cit.*

[42] Argumentum autem ab anteactis validum eſt. *c. ſemel*, ibique *Dyn. de reg. jur. in* 6. *l.* 5, §. 6, *ff. de re milit.* Vide *Farin. q.* 162, *p.* 4, *n.* 169. & abs tempore præterito rectè ad præſens cõjectura infertur. *Everard. in Topic legal. loc. à tempore ad tempus.*

obſtrictam,& illo,non modò premi,ſed etiam opprimi, omnibus ſuis ſtipulandi reis litem intenderat, petierátque decerneretur, nullam ab ſe ipſâ eo nomine petitionem, nullam in ipſam actionem dandã.Quid igitur miri,P.C.ſi dũ apud Aſcetrias interveniret, illarum Advocati fraudem invenerint,ut verbo Iſabella donare ſimularet,licèt reapſe,& veritate intercederet [43]?An putetis eam negaturam fuiſſe?*Ad renunciationem* (Senatus-conſulti Vellejani)inquit pragmatica ſanctio [44], *eâdem fragilitate mulieres, quâ etiam ſe ad obligandum,inducũtur*.cur, quæſo,non eâdem ad ſimulãdum?Nec feriunt me,quæ objicit Adverſarius;nempe mulieres avarum eſſe genus, propterreáque non facili negotio ad donandum eas adduci:hoc enim eſt,quod dicebam, ſcilicet Iſabellæ promiſſionem, minimè donationem fuiſſe, ſed interceſſionem, donatione, quaſi velo quodam opertam.Lubétne vobis, P.C.ut jaculum hoc in Adverſarium rejiciamus? huc animum advertite. Mulieres,hominum genus avarum [45]; quinetiam avariſſimum [46], dono aliquid dare, pro miraculo [47],pro monſtro [48] habetur: eſt enim id contra ſexus muliebris naturam [49]: imò ſi quicquam largiuntur, non minima ſuſpicio eſt, eas fuiſſe dolo dece-

43 Nonne id veri ſimile videatur? ſi ita; intentum aſſequimur: veriſimilis enim fraus pro fraude habetur. *Maſcard. loc.cit.*

44 *Pragm. un.de Senat. Conſult. Vellejan.*eadem ratione utitur *Caſtrenſ. in l. ult. §.penult. ff. eod.* Hac prag. longè pleniſſimè ſubventum eſt feminis: neque enim, ut maximè velint, poſsũt huic beneficio renunciare,tametſi de illo certiores factæ, & jurejurando renuntient. *Sẽper intelligãtur ignorantes*, inquit illa, *quia ignorant ſaltẽ,quod eis conveniat*.& paullò poſt:*Declarãtes*,etiam, inquit, *tales obligationes, & renunciationes, ex cauſis prædictis, contra bonos mores, civiles, & naturales, etiam comprehendi ſub regula juris canonici, non eſſe obligatoriũ contra bonos mores præſtitum juramentum.*

45 *Cicer.Verr.6 & 1 de invent.* 46 *Accurſ.in l.Neſſenius.ff de neg.geſt.*& alibi.Vide *Tiraq lege Connub.9.* 47 *Tiraq.ibid.Gratian.diſcept. forenſ. c.* 669.Raro accidere,ut ſponſa ipſimet ſponſo largiatur,teſtis eſt *Conſtant. in l.16, C.de donat.ante nupt.* 48 *Tiraq.ibid.Maſcard.concl.*1081. 49 *L.33,§.1,ff.de donat.inter vir. & ux.*

deceptas [50]. etenim avaritia, sicut in senibus, ita quoque in mulieribus penitus inhæreſcit, atque inſita eſt [51]. ardent in immenſum avaritiâ mulieres: *nullus concupiſcentiæ muliebri ſatis theſaurus, non ſi fluminibus fluxerit* [52]. Quæritis, quæ ſit cauſſa, cur feminis biennio maturiùs ætatis venia concedatur [53]? Earum avaritia [54]: neque enim verendum ne thecam numariam exhauriant, ne majorem curam habeant marſupii ſui, quàm vitæ. Quæritis quid fuerit, propter[illegible] quòd Severus Cæcina conſuluerit, ne quem magiſtratum, cui provincia obveniſſet, uxor comitaretur [55]? cur poſtea, cùm mos contrarius irrepſiſſet [56], Meſſalinus Cotta cenſuerit, cavendum Senatus-conſulto, ut quanquam inſontes magiſtratus, & culpæ alienæ neſcii, provincialibus uxorum criminibus, perinde quàm ſuis plecterentur [57]? cúrve ſcripſerit Vlpianus [58]: *Proficiſci autem proconſulem meliùs eſt quidem ſine uxore, ſed & cum uxore poteſt: dummodò ſciat, Senatum, Cottâ, & Meſſalâ conſulibus* [59] *cenſuiſſe futurum, ut ſi quid uxores eorum, qui ad officia proficiſcuntur, deliquerint, ab ipſis ratio, & vindicta exigatur.* Quæritis hoc? Avaritia mulierum. *Cogitarent ipſi,* Cæcina inquit [60], *quoties repetundarum aliqui arguerentur, plura uxoribus objectari. his ſtatim adhære-*

 ſcere

50 *Tiraq. & Maſcard. locc. citt.*

51 *Tiraq. ibid. Ariſt. Nicomach.* 4, c. 1.

52 Verba *B. Baſil. ſerm. 2. in divit. avar.*

53 *L. 2, C. de his, qui ven. ætat. impetr.*

54 *Propter hæc, ut puto, tenaciam,* inquit Iacobus Gothofr. ad l. 5, C. Theodoſ. de ſponſal. & ante nupt. donat. *citiùs mulieres veniã ætatis ad adminiſtranda bona ſua impetrare poſſunt.*

55 *Tacit. Annal* 3.

56 Germanicò enim Agrippina in provinciis comes, ipſi Auguſto. Livia. *Lipſ. in cõment. ad cit. lib 3 Tacit.* Nec in crebro uſu etiam tẽporibus Auguſti, ut ex Suetonii verbis apparet c. 24. *Diſciplinam ſeveriſſimè rexit. ne Legatorum quidem cuiquam, niſi gravatè, hiberniſque demum menſibus, permiſit uxorem interviſere.*

57 *Tacit. Annal.* 4.

58 *L. 4, . 2, ff de offic. Proconſ.*

59 Vereor ne hic lapſus ſit Vlpianus, ni magis putes cum Cujacio, 6, obſ. 30, eum ſcripſiſſe: *Senatum Cotta Meſſalino conſulente.* Vide hac de *Bachov. in comment. ad cit. §. 2.*

60 Apud *Tacit. cit. lib. 3.*

ſcere deterrimum quemque provincialium: ab his negotia ſuſcipi, tranſigi: duorum egreſſus coli, duo eſſe prætoria. Quid plura? Quæritis quâ de re mulieres inſignia quæque vitia perfacilè concipiant? Avaritiâ. *Muliebrium vitiorum fundamentum*, ſcribit Seneca [61], *avaritia eſt*. *Viros ad unumquodque maleficium*, inquit Rhetor [62], *ſingulæ cupiditates impellunt: mulieres ad omnia maleficia cupiditas una ducit*. Quæ cùm ita ſint, P. C. an-non ſit, cur magis putetis, Iſabellã interceſſiſſe, quàm donâſſe? Roget iterum Adverſarius: *Quîd igitur Legis-latorem ſcribere, donantes mulieres haud Senatus-conſulto juvari; ſi aut non donant, aut quum faciunt, in fraudèm Senatus-conſulti eas id feciſſe credamus? planè toto in corpore juris nihil inane, nihil ſine cauſſâ, nihil ſupervacaneum invenitur*. Neſcio quidem, P.C. quid ſibi velit Adverſarius, cúrve meam orationem traducat. méne hoc dixiſſe? donant, puto, ſed ita inſolenter, ac rarò, ut, ſi quando auditum ſit; portenti, ut dicebamus, ac prodigii ſimile numeretur. quum donant, nõ utique tam longè à Muſis, & Gratiis abſum, ut neſciam, Senatus-conſultum ceſſare: atquî ſanus quis neget, hoc ita demum eſſe dicendum, ſi non fraus Senatus-conſulto ſit cogitata? nulláne cogitetur? ſi nulla; cur *Paulus reſpondit, ea, quæ in fraudem Senatus-conſulti, quod de interceſſione fœminarum factum eſt, excogitata probari poſſunt, rata haberi non oportere* [63]? nulláne unquam excogitata? Scio

Ad-

[61] *Senec. 2, contr. 15. Solos*, canit Fauſtus, *petit improba nummos: Fœmina per cunctum ſurgit avara nefas*. Porrò sũt uſque-adeò impotentes avaritiæ mulieres, ut nihil differat, vi, an muneribus pudorẽ illis extorqueas: &, ni loci mos te excuſet; violenti ſtupratoris pœna peræquè te manet. *D.D. apud Maſcard. cit. concl. 1081.*

[62] *Rhetor. ad Heren. lib. 4.* Vereor ne mulieribus ſtomachũ fecerim: elata enim voce dicunt: *Cur omniũ ſit culpa paucarum ſcelus?* atqui ego aliorum ex ore loquor: earum neminem taxo, &, quòd ad me attinet; hãc legem cum Ovidio *de Amor.* præſcribo. *Spectetur meritis quæque puella ſuis.*

[63] Verba *cit. l. 29, §. ult. ff. ad Vellejan.*

Adversarium esse hominem simplicem, purum, apertum, nihil tectum, nihil simulatum habētem; sed nunquam mihi persuadeam, eum esse adeò inexpertum, imperitúmque, ut aliorum mores suo ex ingenio metiatur. Enimverò *quàm multa injusta, & prava fiunt*(quis nesciat?)*moribus scilicet pravis* [64]. *Mores mali, quasi herba irrigua, succreverunt uberrimè, neque quidquam hîc vile nunc est, nisi mores mali. eorum licet jam messem metere maximā* [65]. *Mores deteriores increbescunt in dies* [66]. *jam pudori, probitati, virtuti nihil est loci* [67]. *fraudis, insidiarum, atque perfidiæ plena sunt omnia* [68]. *In omnium nostrûm moribus non ampliùs habitant prisci animi: sed nonnullis gravitas, superbiæ:* justitia, *stultitiæ : fortitudo insaniæ: prudentia, fatuitatis nomine appellatur. Cōtrà verò, quæ apud illos priscos odiosa erant, hæc nunc extolluntur, & hominibus corruptis, admiranda bona videntur. ignava scurrilitas, malignitas, & versutia pro sapiētiâ habetur: & qui omnibus in rebus sunt impudentes, dociles, ac tractabiles censentur* [69]. Quid verò dicam de fraudibus, omni tempore, atque ubique gentium ab Advocatis in leges excogitatis? Nihil ex me ipse loquar: audite B. Bernardum [70]. *Hi* (Advocati)inquit, *sunt, qui docuerunt linguas suas loqui mendacium; diserti adversus* justitiam, *eruditi pro falsitate: sapientes sunt, ut faciant malum: eloquentes ut impugnent verum. Hi sunt, qui instruunt à quibus fuerant instruendi: astruunt non comperta, sed suas struunt de proprio*

64 Verba *Terent. Heaut.*
65 Verba *Plaut. Trin.*
66 Verba *Plaut. Mercat.*
67 Verba *Cicer. Tit. Fam.5.*
68 Verba *Cicer. de pet. Cons.*
69 Verba *Dionys. Halic. lib.9.*
70 *B. Bernard. de consid.* Vide hac de re *Matienz. de Refer. Advoc. & Iud. offic. p.1, c.8, & 9 Xammar. de off. Advocat. p. 1, q.1.* Elegātissimam Advocatorum cēsuram habet Barcl. *Argen. lib. 3.*

prio calumnias innocentiæ, destruunt simplicitatem veritatis, obstruunt judicii vias. Num putet Adversarius, non posse donationem esse colorem, & velamentum, quo fraus operiatur? nempe totâ viâ, longissiméque aberrat [71]. Quando-nam suspicio sit, eam esse quæsitum colorem? Audite Fabrũ [72]: *Etsi non solet Senatus-consulto Vellejano juvari mulier, quæ rem suam vendidit, & ex redacto precio creditori mariti sui, aut alterius cujuslibet personæ satisfecit, quia obligatæ duntaxat mulieri Senatus subveniendum putavit, non etiam solventi, aut donanti; si tamen probetur quæsitus color venditionis in fraudem Senatus-consulti; juvanda erit mulier replicatione Vellejani, si adversus vindicantem illam objiciatur exceptio rei venditæ, & traditæ: videtur enim,* notate, *captatum fraudis consilium, si uxor cum marito vẽdiderit.* Enim-verò *quoties quis mulierem corream debendi cum marito accipit, suspectam habere debet intercessionem* [73]; *sive in solidum se obliget, sive in viriles* [74]: *quod evenit cùm vir, & uxor simul obligati reperiuntur simpliciter, non tanquam correi debendi* [75]. At quando-nam, ubi-nam Isa-

71 De fraude per coloratam donationẽ loquitur textus *in l. 23. C. Mandat.* qua sancitum est, nulli licere, partem quidem debiti cedere pecuniis acceptis, venditione actionũ habita, partem autem donationis titulo videri trãsferre. ne scilicet, colorata donatione, fraus fiat legi, quæ lex lata est in litium redemptores: nempe *l. 22, eod* Loquitur item *tex. in l. 49. ff de donat. int. vir. & ux.* cujus verba hæc sunt: *Sulpicius Marcello. Mulier, quæ ad cõmunem filium volebat, qui in potestate patris erat, post mortẽ patris fũdũ pervenire, eũ patri tradidit, uti post mortem restituatur filio: quæro, an donatio tibi videatur, ut nihil agatur, an valeat quidem, sed mulieri potestas detur, si voluerit, eum repetere? respondit: Si color, vel titulus (ut sic dixerim) donationi quæsitus est, nihil valebit traditio: idest, si hoc exigit* (al. *exegit.* al. *egit.* Gothofr. ibid.) *uxor, ut aliquid ex ea re interim cõmodi sentiret maritus.* Quæris quid hoc in loco sit color? est titulus, prætextus, velamentũ, & veluti colorata, pictaq; ratio. Vide *Gothofr. ibid.* Color quæsitus *in l. 7, ff. de Sen. Consult. Maced.* idest fraus quæsita. *Gothofr. ad eand. l. 7.* Apud Senecam: *colorem facere colorem quærere*, est factum dissimulare, ac tegere. *Gothofr. ibid.* Vide eundem *in l. 2, ff. de inoff. test.* 72 *Faber in C. tit. ad Vellejan. defin.* 27. 73 Verba *Fabr. tit. cit. defin. 7 in not. n.* 10. Adde *Thesaur. decis* 222, & 223. *In prohibito contrahere,* inquit de Franch. decis. 279, loquens de Senatus-consulto Vellejano, *semper præsumitur color quæsitus.* Idem docet *Merl. cit. c.* 55. 74 Verba *ejusd. Fabr. tit. cit. definit.* 9. Adde *Thesaur. loc. cit.* 75 Verba *ejusd. Fabr. cit. defin. 9, in not. n.* 4. Adde eundem *defin.* 10, & *Thes. loc. cit.*

Iſabella donavit? iiſdem in tabulis,coram iiſdem teſtibus,eodem tabellione coram, eodémque tẽporis mométo, quo Aſcetriæ debitum condonârunt,quo ſe Aſcetriarum parentes obligaverũt. Agedum:Ecquibus-nam Iſabella donavit? ipſis creditricibus filiæ, generíque ſui.quâ igitur credamus eam de cauſſâ donâſſe?ut illæ omni debito parentes (quod ipſum ipſiſſima eſt interceſſio) liberarent,utque fieret fraus Senatus-conſulto. An falſa nos conjectura ducat? Audite Fabrum [76]: *Mulier*, inquit ille, *quæ major annis vigintiquinque fundum ſuum vendidit, licèt ex precio pecuniam pro marito ſolverit, tamen Senatus-conſulti auxilium implorare non poteſt: nec ſi aut cum marito ipſo vendiderit, aut ſola quidem, ſed eâ lege ab initio dictâ, ut mariti creditoribus emptor precium ſolveret. neque enim interceſsio hæc videri debet, cùm mulier non obligetur, ſed de re ſuâ, pro arbitrio, conſtituat. nam nec donanti, nec alienanti, nec ſolventi mulieri Senatus-conſultum ſuccurrit, aut nova Iuſtiniani conſtitutio, ſed tantùm obligatæ, & intercedenti. præterquam ſi quid in fraudem legis à marito factum probetur, inducto per eum, aut per ejus creditorem emptore, aut malè perſuaſâ muliere ut venderet, ad hoc duntaxat, ut interceſsioni color quæreretur. Planè, ſi creditor ipſe mariti emptor proponatur*, notate, *non obſcura fraudis ſuſpicio eſt, contra quam vix eſt ut probatio in contrarium admitti debeat*. Imò ne vix quidem [77]. Audite Vlpianum [78]: *Item ſi mulier creditori*

[76] *Faber. tit. eod. defin.* 3.

[77] Si *vix* accipiatur pro *cum vi, ac difficultate*, ut communiter accipitur à Latinis, vel pro *rarò*, ut accipitur à Paullo *in l.* 28, *ff. de verb. ſignif.* aut pro etiã, ut eſt Hermogen. *in l.* 53, *ff. de judic.* Sed puto acceptum Fabro ꝓ nõ: quo ſenſu accipitur Ovidio epiſtol. 1. *Vix Priamus tanti, totaque Troja fuit.* hoc-eſt: *non fuit tãti Priamus*, ut exponit Donatus. Vide *Calepin. diction. octoling.* & *Theſaur. ling. Lat. verb. vix*. Quinetiã *vix* pro *nullo modo* accipitur ab Africano *in l.* 19, *ff. ad Vell.* atque à Pomponio *in l. ult. eod.* Vide *Lexic. jur. eod. verb.* ut magis probabile ſit, Fabrũ, de Vellejano Senatus-cõſulto loquentẽ, eo ſenſu accepiſſe, quo Iuris-conſulti eodem in titulo accipiũt.

[78] In *l. ult.* §. 2, *ff. ad Vellejan.*

ditori viri fundum vendidit, & tradidit, eâ conditione, ut emptor acceptam pecuniam viro referret, & hunc fundum vindicat; exceptio quidem opponitur ei de re emptâ, & traditâ: sed replicabitur à muliere, ac si ea venditio contra Senatus-consultum facta sit. & hoc procedit, sive ipse creditor emerit, sive interposuerit alium, quò mulier eâ ratione careat re suâ. Idem est, etsi non pro viro, sed pro alio debitore rem suam tradidit. Quæ cùm ita sint, P.C. probavi, credo, quæ proposueram: & cùm nulla sit in his rebus (ut mihi quidem videtur) obscuritas; non est quòd circa illa copiosiùs disputemus, auréſque vestras lõgiori sermone impleamus. At quid est, quod iterum objicit Adversarius? nempe, auctoritates, & jura mihi citata, nihil momenti habere ad rem, quâ de agitur, utpotequæ de promittẽte, non de donante muliere loquantur. Ego verò, P.C. nî scirem, Adversarium esse hominem perfectum, absolutúmque; ego, inquam, crederem, hanc ejus orationem à pertinaciâ, nimióque studio vincendi obortã: præter enim quàm quòd, & Vlpianus, & Faber, de muliere, quæ rem suam non vendiderat modò, sed etiam tradiderat, apertè loquuntur; Isabella non præsentem pecuniam donavit, sed in diem; dilatâ scilicet solutione spopõdit [79]: quâ in re nullus est, qui neget, mulierem Senatus-consulti exceptione defendi: quoniam, quâ levitate, & infirmitate mulieres, ut promittendo interce-

[79] Et ante diem ad solutionem urgeri non poterat: tum quia in tabulis illis expressè lex hæc dicta erat: ut ante annum ad nihilum teneretur: tum quia, *qui hoc anno, aut hoc mense dari stipulatus sit, nisi omnibus partibus præteritis anni, vel mensis, non rectè petet.* Verba l. 42, ff. de verb. obligat.

tercedant, eâ quoque ut intercedant donando in diem, facilè ſibi perſuaderi patiuntur: nullũ enim eſt præſens periculum, quod eas ab hujuſcemodi donatione abducat. & nî fallor, non re, ſed nomine tenus, quod attinet ad hanc rem, ſunt hi cõtractus diſpariles: atqui non verbis, ſed ipſis rebus ſunt Leges impoſitæ [80]. Scire leges non hoc eſt, verba earum tenere, ſed vim, ac poteſtatem [81]: & voluntas legis, ut pars legis præcipua, ſpectanda, conſervanda [82]. non enim dubium eſt, in legem committere eum, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem [83]. *Contra legem facit*, inquit Paullus [84], *qui id facit, quod lex prohibet: in fraudem verò, qui, ſalvis verbis legis, ſententiam ejus circunvenit*. Nomine, inquam, tenus diſpares ſunt hi contractus, ſed re, & veritate, non modò ſimiles, verùm-etiam idem: eundémque, quod ad hoc, habent, præſtántque effectum. *Quid ſi mulier*, inquit Aretinus [85], *alienam obligationem ſuſcepit animo donandi, & hoc conſtat, an tunc juvetur Velleјano? Videtur quod non; quia donanti non ſuccurritur. In contrarium tenet Salicetus, quia in caſu noſtro donatio non incipit à numeratione, ſive traditione, ſed ab obligatione, in quâ faciliùs quis incurrit (licèt animo donandi) quàm quando numerat: reliquit tamen ſuper hoc cogitandum. ſed ego credo, quòd hoc ſit verum, quia faciliùs quis promittit, quàm det.* Idem placuit locupleti, & celebrato auctori Vincentio de Franchis [86],

[80] *L. 2, C. cõmun. de leg.*

[81] *L. 17, ff. de L.L.*

[82] *Gothofr. ad l. 19, eod.* *Verbum* Ex legibus, *ſic accipiẽdum eſt: tam ex legum ſententia, quàm ex verbis.* Verba *l 6, §. 1, de verbor. ſign.*

[83] Verba *l. 5, C. de L.L.*

[84] *In l. 29, ff. eod.*

[85] *Aretin. ad §. itẽ ſi, n. 45, Inſt. de except.*

[86] *Vinc. de Frãch. deciſ. 279.*

cujus verba hæc sunt: *Item dicebatur, quòd etsi hic contractus verè esset venditionis* (venditionis scilicet annuorum redituum, quorum pretium mulier pro filio solverat) *quæ bonâ fide permissa est, ut supra, pro satisfaciendo alterius debito; nihilominus quia in hoc contractu concurrit ratio, quare mulier promittendo pro alio obligatur, scilicet ejus facilitas, quæ cessat in donatione, vel venditione rei propriæ; habebit etiam locum dispositio Senatus-consulti: hæc enim mulier non liberè vendit, nec tradendo donat bona propria, quo casu cessat dispositio Senatus-cōsulti propter difficultatem, quâ mulieres ad hoc inducuntur, ut supra dictum est, sed cū pacto de retrovendēdo, nec tradidit possessionē realē, & actualē, prout est de naturâ dictorum contractuū, & requiritur traditio, ut dicit* Aretin. d. l. sed si ego, in 3. not. *ut Vellejanum cesset, sed eosdem introitus penes se retinet, & promittit proprio nomine solvere pro ducatis duobus mille annuos ducatos ducentum, ita ut hic contractus potiùs respiciat promissionem solvendi pro filio, quàm veræ venditionis, & sic concurrit fragilitas, quâ mulier inducitur ad se obligandum: non enim subvenitur mulieri quando incipit à solutione, sed quando à promissione, ut declarat* Paul. de Castr. in l. sed si eum, vers. tert. cas. & vers. adde, quòd sicut, per illum tex. ff. ad Vellejan. *quia difficiliùs solvunt, quàm promittunt, ut est supra dictum; quod etiam in omnibus procedit, ut dicit* Imol. in l. à Titio, col. fin. vers. pro hac etiā, ff. de verb. oblig. & Iacob. in l. cū de indebito,

to,col.fin.in princ.ff.de prob. Placuit idem ſapientiſſimo huic, juſtiſſimóque Senatui [87], placuítque jure optimo: quoties enim Senatus mulieri auxilium denegat, de ſolvente, de numerante, nunquã de promittẽte muliere loquitur. Videamus primo loco Vlpianũ [88]: ille ſic ait: *Proinde ſi dũ vult* (mulier) *Titio donatum, ACCEPIT à me mutuam pecuniam, & eam Titio DONAVIT* (ideſt *numeravit*, ni fallor, ſed certè non fallor) *ceſſat Senatus-conſultũ. Sed & ſi tibi donatura, creditori tuo nũmos NVMERAVERIT, non intercedit. Senatus enim OBLIGATÆ mulieri ſuccurrere voluit, non DONANTI*. donanti quid? numeratam pecuniam. Opponit Vlpianus obligationi donationẽ: at quam donationem? quæ fit in numerato. cur ita? *hoc ideo, quia faciliùs ſe mulier OBLIGAT* (etiã donando, quum ſolutio differtur) *quàm alicui DONET*; præſentem ſcilicet pecuniam: loquitur enim de muliere, quæ numeraverit. Eundem in modum loquitur Gajus [89]. *Nec intereſt*, inquit ille, *pecuniam ſolvendi causâ NVMERET* (mulier) *an quamlibet ſuam rem in ſolutum DET*. Imperator autem Anton. [90] hoc pacto reſcripſit: *Mulieribus quidem, quæ alienam obligationem ſuſcipiunt, vel in ſe transferunt, ſi id contrahentes non ignorent, Senatus-*

 con-

87 Teſte eod. *de Frãch. dec.* 578. Idem placuiſſe videtur Treuclero *diſput.* 25, *Theſ.* 2, *lit. A.* dicenti: *Solvere pro alio, & ita* SOLVENDO DONARE *mulier poteſt.* Nolim alicui videamur nobiſmet ipſi diſſimiles, propter ea, quæ adverſus Sacri Conſilii deciſionem dicebamus nu. 35. deciſio .n. de qua nobis nũc ſermo eſt, licèt ejus mentionẽ faciat de Franch. in deciſ. 578, quam ibi oppugnabamus, erat antea lata: & quanquam in cauſa eadem; in juris tamen quæſtione diverſa. Et ad rem ut revertamur; his adjice, donationem in diem nõ eſſe propriè donationem, ut ex *Bart.* docet *Mantic. de tacit lib.* 13, *tit.* 1. Vlpianum autẽ *in cit. l.* 4, de propriè dicta donatione intelligendum, ſanus nemo negaverit: etenim *odia reſtringi, favores convenit ampliari.* Verba *c.* 15, *de reg. jur.* Adde *l* 3, *ff. de conſt princ.* 88 In *cit. l* 4, §. 1. *ff. ad Vellejan.* de numeratione item loquitur in *l.* 7, §. 5, *eod.* 89 In *l.* 5, *ff. eod.* 90 In *l.* 1, *C. eod.*

consulto subvenitur. Sed si pro aliis, cùm obligatæ non essent, pecuniam EXOLVERINT, intercessione cessante, repetitio nulla est. Et Imper. Alex. [91] *Sed si prædia tua annis major viginti quinque vendidisti, & pro marito pecuniam SOLVISTI, deficit auxilium Senatus-consulti.* Quod Alexandri rescriptum, aliud etiam nobis suggerit argumentum, atque in hũc modum ratiocinor. Mulieri, quæ rem suam vendidit, & pretium creditori mariti dissôlvit, Senatus non subvenit: subvenit autem si rem pro marito obligaverit [92]; cùm tamen plus adeò sit vendidisse, & solvisse, quàm se obligâsse [93]: quis igitur non videat, Senatum minùs ad ea negotia respexisse, quæ in dando, quàm quæ in promittendo consistunt: & magis voluisse mulierum linguæ consultũ, quàm manibus? Quîd ita? quia manibus ipsæmet consulunt: semper enim eas in sinu habẽt [94], linguam autem in ore clausam, & in custodiâ tenere non sciunt: imò linguarium [95] nõ habent, in quo eam condant, ut ne temerè promit-

91 In *l*, 4, *C. eod.*

92 *L.* 5, & 7, *C. eod.*

93 *Gothofr. ad cit. l.* 4, *C. eod.*

94 In sinu manum habere, dixit Theocritus, tenaces, & ad largiendũ pigros. *Ald. in Adag. In sinu habere* apud Paullum *in l.* 27, *ff. de prob. est habere in occulto*, ut exponit ibi *Gothofred.* & *Lex. jur. v. sinus*, ex *Lãprid. in Cõmod.* dicente: *Prædã omnem in sinũ contulit*. quanquam hoc displicet Aldo, qui ait, magis id pertinere ad *in sinu gaudere*. modus hĩc loquẽdi apud veteres significat, tacitam apud se voluptatem sentire, neq; vulgò proferre gaudii notas. ita *Cicer.* 3. *Tusc.* Sed ejusdem Ciceronis est *ad Q. Fratr. lib.* 2, 15. *Mihi crede, in sinu est, neque ego discingor*. hoc est *in occulto; neque periculum est, ut indicio meo excidat*. ut explicat *Budæus* Vide *Thes. ling. Latin. v. sinus*.

95 *Linguarium lingua velut theca, & repositorium.* Seneca de benef. lib 4, c. 36: *Ecce, inquit, ut doleat tibi, postea consideratiùs loquaris (quod dicere solemus) linguarium dabo. linguarium, idest linguarum thecam, & repositorium, in quo se dicit linguam conditurum, ne temerè promittat.* Verba sunt, *Thes. ling. Lat. v. linguarium.*

mittant:ut consideratiùs loquantur [96]: *facilius autem quæ fiunt, eò diligentiùs sunt tollenda, & pronis, promiscuisque deceptionibus occurrendum est magis, quàm raris, vel rarò contingentibus: jura enim adaptãtur magis quod sæpe fit, vel accidit* [97]. Ostensum est nobis, P.C. Isabellã, apud Ascetrias, pro filiâ, generóque intercessisse, donationémque illã fuisse quæsitum colorem ad vim Senatus-consulti vitandam: si verò Adversarius hac in re porrò persistat; sinam eum suâ in pertinaciâ manere, meúmque jus omne in vestrâ fide, ac religione deponam. pergo nunc ad probandum, donationem illam, non seriò, non verè, sed fictè celebratam, & simulatè, ad pompam, & speciem, sic, ut veri, solidíque juris nihil habere possit. quod ut faciam, rursus denuo ex personis, rebúsque argumenta ducam, congerámque. eáque valebunt, quia multa sunt, si non possunt valere, quia magna non sunt [98]. quid? magna non sunt! imo-verò sunt magna

96 *Multũ loquaces*, inquit Eunomia apud Plaut. in Aulul. *meritò omnes habemur. nec mutam profectò repertam ullã esse hodie dicũt mulierem ullo in sæclo. Tace*, inquit Plaut. in Pænulo, *atque parce muliebri supellectili*; hoc est *garrulitati*, ut exponit Lambinus. Hoc sanè vitium est inter mulierum vitia non minimum. fecitque locum proverbio, de quo Berluc. in adag. select. *Tres mulieres nundinas faciunt*. garrulitate ista nunquam-non sibi fraudem creãt: *ubi* enim *verba sunt plurima, ibi frequenter egestas*. Verba *Prov.c.*14. Hac eadem est illud, quod *nihil retinere norunt absconditum: imò ante garrulando manifestant, quàm sciunt*. Verba B. Hier. in regul. ad Eustoch. c. 9. *Muliebris garrulitas*, inquit Seneca lib. 2, contr. 13. *id solùm tacere potest, quod nescit*. & Plaut. in Trin. *Vxorem quoque ipsam hanc rem ut celes face: nam pol tacere nunquam quicquã est, quod queat*. Agamennonis umbra apud *Homer.* 11. *Odyss.* Vlissem monet ne omnia consilia credat mulieri. Iovis ad Iunonẽ apud eundem, *Rhaps.* 1. *Iliad.* sic loquitur. *Quanvis, mea uxor es, tamen non omnia scies*. Sed quid utor profanis, si sacræ literæ mihi in parato sunt? est Mich. c. 7: *Custodi oris claustra ab iis, quæ dormiunt in sinu tuo*: idest ab uxoribus, ut interpretatur Lyr. 97 Verba *Gothofr. ad cit. l. 4, ad Vellejan.* Totam hanc ratiocinationem à n. 85, ad hunc usque locum, docuit me Vir ille ter maximus, Dux S. Angeli, Regis ab Latere Consiliarius, & Regiæ Cancellariæ Regentium Decanus, D. Iacobus Capycius Galeota: generis excellentia, civitatis hujus Optimatium nulli secundus; sed qui, morum, & literarum omniũ nobilitate genus exsuperet. Vir ingenio ad omnia versatili, atque, ut Budæo teste, Cancellarios oportet, vir, qui omnia in numerato habeat. 98 *Cicer. Rhet.* 2. *Quint. Inst. orator.* 5. *Mascard. concl.* 438. *Afflict. decis.* 13, *n.* 24. *Farin. q.* 162, *p.* 3.

gna nõ secus ac multa, & leviora quoque sufficerẽt[99]. Quòd, si verũ, prout verissimũ est, P.C. debere Iudicem confirmare motũ animi sui argumentis, & quæ rei aptiora, & vero proximiora esse cõpererit, quibúsque potiùs lux veritatis adsistit[100]; non dubito quin sitis secundùm Leonem judicaturi. Inspicite, rogo, quis donâsse, quid, cuíque donatũ dicatur[101]. dicitur donâsse mulier. ecquæ verò mulier? mulier & senio & paupertate confecta. quid autem? ingentem pecuniam. cui verò? Monastriis. Ecquis-nam unquam id factum credat? Nolo pluries, P.C. ne nimius fortasse videar, de mulierum avaritiâ verba iterare: videamus nunc, an sit verisimile, anũ sexaginta annis majorem; imò senectute summâ donâsse. ego quidem difficilè mihi id persuadeam: *Sunt morosi*, inquit Cicero[102], *& anxii, & iracũdi, & difficiles senes, &, si verum quærimus, etiam avari.* scribítque Aristoteles[103]: *Senectus, & omnis imbecillitas reddere illiberales videtur.* Profectò *illiberales sunt senes, tum quia ex necessariarum numero rerum facultates, divitiásque existimant, tum etiam quia, longâ docti experientiâ, probè sciunt, facultates sibi vendicare, & acquirere,*

99 *Gratian c.255. Mantic. de tacit.lib.13, t.31. Mascard.* & *Farin.locc.citatis.* Adde quæ diximus *n.39.* est probatu difficilis. *Menoch.cas 116. Mascard.* & *Grat. ibid.* imò difficillima. *Faber in C. Plus valer. q agit*: ubi docet, arbitrarium esse Iudici quantum, & quibus conjecturis tribuẽdum sit, pro personarum, rerum, & temporum varietate: *Quæcunq; enim* inquit ille nu. 117. in not ib. *nonnisi per conjecturas probari possunt, si quæratur, an probata sint, pẽdet ex arbitrio, & religione judicantis: quomodò & universam probationum materiam arbitrariam esse dicimus l.3, & 13, ff.de test. Denique omnia quæ in facto, non in jure cõsistũt l.1,§.1, ff ad Turpil.l.15, ff.ad Municip.* 100 Verba *L.21,§.3, ff.de test.* Verisimiliora inspicimus: *c.45, de reg jur.in 6.l.114 de reg.jur.* despicimus cõtraria: *l.13, ff quod metus.* Vide *Tiraq.in l.si unquam, C.de revoc donat à n.37, ad 60.* 101 Verisimile ducitur ex more, consuetudine, iis, quæ fieri solita frequentiùs, communi opinione, natura qualitatibus rei, personis, tempore, & aliis conjecturis. Vide *Gothofr.ad cit.l.114.* & *Afflict. decis.13.* 102 *Cicer.de Sen.* -*Avara senectus Inservire solet lucris.* Cecinit *Mant.* 103 *Arist.cit.c.1, Nichom.4.*

rere, rem ſanè eſſe perdifficilem: eaſdem verò amittere, & deperdere, perquam facilem [104]. Non donavit igitur, P.C. non donavit Iſabella quòd mulier, quòd anus. númne donaverit anus pauperrima, *cùm nemo in neceſsitatibus liberalis exiſtat* [105]? enim-verò *donare nemo præſumitur, quoties rei familiaris neceſsitate premitur* [106]. Quid verò donatione iſtâ promiſit? numos aureos quoque anno ſexcentos. quot ipſi erant in cenſu? annuâ vice quingenti [107]. quid igitur? certè aut fuerit ſtulta, deménſque [108] Iſabella, aut ſimulata donatio. primum nequaquam; alterum ergo veriſſimum. quî enim credibile ſit, eam fuiſſe benigniorem, quàm res pateretur [109], atque-adeò ita profuſam, ut nihil ſibi, non modò ad voluptates ſuas, ſed ne ad neceſſitatem quidem reliquerit [110]? nemo ſanè eſt tam demens, támque parum de ſe cogitans, qui alienam vitam magis, quàm ſuam diligat [111]. Omne animal ſeipſum diligit: ac ſimul ut ortum eſt, ita agit, ſe ut conſervet [112]. *Principio generi animantium omni eſt à naturâ tri-*

104 Verba *Majol. dier. canic. t. 5, colloq. 2.* Enimverò ſapientiæ condimentum eſt ætas: *Plautus in Trinum. Multa vetuſtas ſcire dedit* Ovidius met. 15. *Senibus rerum prudentia major.* Idē 1. de art.

105 Verba *l. 18, in fin. ff de adim. leg.*

106 Verba *Gothofr. ad cit. l. 18.* Adde *Afflict. decis. 13. n. 15.*

107 Ne mirere, quòd Iſabellā antea pauperrimam nuncupaverim; hic autem eam ſummam hanc habere profiteار: erat enim nō modò Princeps, ſed ex proſapia ſuæ civitatis facilè principe: egens autem æquè eſt is, cui, quod eſt, non ſufficit, atque is, qui nihil habet. porrò judicis arbitrio committitur quis pauper dicatur. *Menoch. caſ. 65.*

108 *Hinc dicimus, illum ſtultum, & dementem præſumi, qui omnia ſua donat.* Verba Menoch. de arbitr. caſ. 88, n. 4.

109 *Videndum eſt*, inquit Cicero offic. 1, *ne major ſit benignitas, quàm facultas*

110 *Indicium falſitatis*, inquit Cruſ. de indic. p. 2, c. 36, n. 39. *præ ſe fert inſtrumentum, in quo teſtator, vel ſcriptor nimiam exercet liberalitatem.* ex hac eadem nimia liberalitate ſimulationem præſumi docent *Farin. q. 162, n. 181*, & *Cancer. var. reſol. c. 7, num. 141. Si res eſt magnæ æſtimationis; nec inter fratres donatio præſumitur: Ruin. conſ. 23, lib. 5.* Verba *Mantic. de tacit. lib. 13, tit. 22. Ex quantitatis exceſſu ſumitur conjectura, quòd non fuerit animus donandi: Butr. conſ. 28,* Verba *ejuſd. Mant. ibid. cùm non ſit veriſimile, quòd quis velit ſe in neceſſitatibus conſtituere.* Verba *Grat. cit. c. 255.* An adſit exceſſus, Iudicis eſt arbitrari. *Menoch. caſ. 88, n. 51,*

111 *Cicer. in Vat. Tibi potiùs, quàm cuivis ſis amicus* Verba Cicer. Dolabellæ epiſt. fam. lib. 9. *Noſtræ utilitates nobis amittendæ non ſunt, aliiſque tradendæ, cùm iis ipſis egeamus.* Verba ejuſdem 2. *offic.*

112 *Cicer. 4, de finib.*

tributum, inquit Cicero [113], *ut se, vitam, corpúsque tueatur, declinétque ea, quæ ei nocitura videntur, omniáque, quæ sunt ad vivendum necessaria, inquirat, & paret.* An verò ingenti adeò, immaníque pecuniâ, & sine caussâ donaverit Ascetrias, largè sufficiẽtem à suo collegio victûm[114] habentes, & quarum unicuique erant in censu quotannis aurei ducenti? Ascetrias, inquam, quas decet non esse cupidas, parvo vivere, & ita paupertatem ferre, ut eâ planè delectari videãtur: contemnere verò, despicere, & pro nihilo putare ea, quæ vulgò ducuntur etiam amplissima. quas decet, præ cunctis, rebus humanis nuntio remisso, præstantibus animis divina studia colere, totas se Deo dedêre, dicare, in eo omnia ponere, & consecrare. quarum in domo nihil splendidum, nihil ornatum esse decet præter ipsas: quarum institutum est omnia prorsus esse communia, ne qua propriam, aut suam rem queat dicere [115]. *Disciplina religiosa*, inquit ille [116], *paupertate magistrâ stat*: Beatúsque Bernardus [117]: *Labor, & latebræ, & voluntaria paupertas, hæc sunt Monachorum insignia, hæc vitam solent nobilitare monasticam*. Itaque ergo, P.C. sive donantem, sive rem, sive re donatas inspiciamus; simulatam donationem, tanquam in speculo, respiciemus. *In acci-*

113 *Cicer. 1. offic.*

114 *Verbo* victus *cõtinentur, q̃ esui, potuique, cultuique corporis, quæque ad vivendum homini necessaria sunt. vestem quoque victus habere vicem Labeo ait.* Verba Vlpian. in l. 43, de verb. signif. *Et cætera, quibus tuendi, curandique corporis nostri gratia utimur, ea appellatione significãtur.* Verba *Gaji in l.* 44, *eod.* An medicinæ? maximè. *Surd. de Aliment. tit. 4, q. 5.* An prophylacticæ? an redintegrantes perinde, atque cathartticæ? quid ni? Vide D.D. & *jura apud Lex. jur. v. Victus*. An medici salarium? etiam. *Surd. ibid.*

115 *c. 6, de stat. Monach.* An possint habere annuum aliquod vectigal? negant omnino aliqui *ex c. 2. Conc. Trid. sess. 25.* aliqui verò affirmant, si ad nutum Antistitæ revocabile sit, & non supra necessarium modum. Vide *Caram. Theol. Regul. t. 2, epist. 13.* Planè *suppellex* etiam *statui paupertatis, quam* (religiosi) *professi sunt, conveniat: nihilque superflui in ea sit.* Verba *Trid. ibid.* 116 *Q. Cur. lib. 3, de re milit.* 117 *B. Bernard. in epist.*

cipiendis enim, *vel dandis muneribus, tria sunt maximè attendenda, personæ scilicet dantis, & accipientis qualitas: quantitas muneris, & donationis tempus: qualitas personarum, ut à quo, & cui; videlicet an à paupere diviti, vel è converso, sive à divite locupleti datum fuerit: æstimatio muneris, & donationis: tempus, si magni, vel minoris precii res data existat, & an instanti necessitate, seu alio tempore conferatur* [118]. Hactenus odorati, quin assecuti sumus donationis simulationem conjecturis, ex personis, atque ex re dictis: nunc jam, P.C. ex evētu rem conjectemus [119]. An unquámne Isabella quid donatariis pependit hoc nomine? Nūquam quicquam. An unquámne illæ aliquid petiere? Nūquam ante Isabellæ obitum, nunquam ante hoc tempus. Ab illo, quo donationis contractus est initus, quot annos vixit Isabella? Primū, & quadragesimū [120]. Ab ejus excessu ad petitionem usque quot anni abierunt? Novem. Eccur tam magnā rem petere tandiu distulerunt? Num tandiu tacuissent, si esset ex ani-

 mo,

118 Verba c. 17, *de simon.*

119 An perperam? minimè. *Ex post facto*, inquit Marcianus in l. 15, ff. de reb. dub. *retroducitur* (res) *& apparet quod actū est.* Sanè res fuerit completa, necne postea gesta testantur. *l. unic. §. 2, C de suffrag.* Exitus acta probat. *Gothofr. ibid.* Porrò æquè actibus negotium subsequētibus, atque ex præcedentibus ipsius negotii simulationem est colligere. *Farin q. 162, nu. 227. Grat. loc. cit.*

120 Ne mirere, quod ante dixerim, Isabellam annis LX majorem esse quum est celebrata donatio; hic verò dicam, ex illo, annos unum eam, & quadraginta vixisse; etenim CIV excessit. An dices cum Iuliano *in l. 23, C de sacros. Eccl.* longissimum vitæ hominum tempus esse centum annorum? An cit. bis Gajum *in l. 56, ff. de usufr.* dicentem: *Placuit centum annis tuendos esse* (in usufructu) *municipes: quia is finis vitæ longævi hominis est.* idemque haberi dices *in c. in præsentia de spons.* & *in §. 1, Authent. ut Eccles. Rom.* Porrò ita est: post C. ætatis annos quis mortuus præsumitur: *Menoch. præs. 49, lib. 6. Rip. de act. in mort. artic. c. 41.* imò, nec sine ratione, placuit *Menoch. ibid.* nō præsumi quem vivere ad hoc usque tempus. Ita, inquā, est; sed cedit veritati præsumptio. *l. 13, C. arbitr. tut.* atqui veritas est, posse quem centesimum annum excedere. Seneca CXIV erat, quum jussu Neronis obiit, ut legimus in ejus vita. Claudia CXV. Tertulla CXXXVII. vixerunt. Luceja mima centum annis in scena pronuntiavit, & Galeria centesimum quartum agens in scenam reducta est. Vide *Plin. Hist. lib. 7, c. 48, & 49.*

mo,& non ad pompam celebrata donatio [121]? An credibile ſit, mulieres, quinquagenos plus annos, queſtubus abſtinuiſſe? ecquos ejulatus, queſtûs, gemitus non effundant, ſi nominis exactio ſit expectanda? quot mulierum invenias, quibus ſit ſatis quod habent, & plus nõ ſemper appetant, diſcupiántque? quot earum tibi occurrent, quibus numorum ſit modus, & partæ pecuniæ cupiditates minuant, non augeant, atque inflamment? planè nunquam explentur, neque ſatiantur, & non modò metu amittendi, quæ habent, ſed augendi etiam libidine cruciantur. Quàm accommodatè, P.C. mihi venit in mentem ejus loci, ubi Tullius oſtenſurus, nullã fuiſſe cauſſam, cur Sex. Nævius à prætore poſtularet, ut bona P.Quinctii, C.Quinctii heredis, poſſideret, hoc eodem utitur argumento! Integrũ recitarem, nî vobis moleſtũ: ſed cui moleſtum fuerit Ciceronem audire? ille ſic habet: *In hac re te, te, inquã, Nævi, citabo. Annũm, & eò diutius, poſt mortem C.Quintii, fuit in Galliâ tecum ſimul Quinctius. doce, te petiiſſe ab eo iſtam neſcio quam, innumerabilem pecuniam: doce aliquando mentionem feciſſe: dixiſſe deberi. debuiſſe concedam. Moritur C.Quinctius: qui tibi, ut ais, certis nominibus grandem pecuniam debuit. heres ejus P. Quinctius in Galliam ad te ipſum vênit in agrum communem: eò denique, ubi non modò res erat, ſed ratio quoque omnis, & omnes literæ. Quis tam diſſolutus in re familiari fuiſſet,* quis

[121] Ex hac non ſimilitudine veri colligunt D.D. donationẽ, venditionẽ, atque in ſolutum dationem ſimulatam præſumi, ſi donans, vendens, aut in ſolutum dans aliquid, illud diu retineat. *Maſcard. cõcl. 439, & 559. Mantic de tacit. lib. 11, tit. 31, & lib 13, t. 36 Farin. cit. q. 162, par. 5. Grat. loc. cit.* Quantum tẽporis τὸ *Diu* complectitur? putant aliqui triennium, aliqui verò decẽnium, ſed verius eſt, Iudicis id arbitrio cõmitti. *Bart in l. poſt contractum, ff. de donat. Menoch. de arbitr. lib. 2, caſ. 39. Maſcard. cit. concl. 559. Mãt. cit. t. 31. Farin. loc. cit.* An hæc ſola conjectura ſufficiat? ajunt alii, alii negãt. *Vide cit. D. D.* ego hoc item arbitrariũ exiſtimo, & ex tẽporis diuturnitate penſandũ.

quis tam negligens, quis tam tui, Sexte, dissimilis, qui cùm res ab eo, quicum contraxisset, recessisset, & ad heredem pervenisset, non heredem, cùm primùm vidisset, certiorem faceret? appellaret? rationes afferret? si quid in controversiam veniret, aut intra parietes, aut summo jure experiretur? Itáne est? Quod viri optimi faciunt, & si qui suos propinquos, ac necessarios, claros & honestos esse, atque haberi volunt: id Sex. Nevius non faceret, qui usque eò fervet, fertúrque avaritiâ, ut de suis commodis nolit aliquam partem amittere, nequam partem huic propinquo suo ullius ornamenti relinquat? Et is pecuniam, si qua deberetur, non peteret, qui, quia, quod debitum nunquam est, id datum non est, non pecuniam modò, verùm etiam hominis propinqui sanguinem, vitámque eripere conatur? Huic tu molestus esse videlicet noluisti, quem nunc respirare liberè non sinis? quem nunc interficere nefariè cupis, eum tu pudenter appellare nolebas? Ita credo. hominem propinquum, tui observãtem, virum bonum, pudentem, majorem natu, nolébas, aut non audebas appellare. sæpe, ut fit, cùm ipse te cõfirmasses, cùm statuißes de pecuniâ mentionem facere, cùm paratus, meditatúsque venisses, homo timidus, virginali verecundiâ, subitò ipse te retinebas: excidebat repentè oratio. cùm cuperes appellare, non audebas, ne invitus audiret. id erat profectò. credamus hoc: Sextum Nævium, cujus caput oppugnet, ejus auribus pepercisse. Si debuisset, Sexte, petîsses statim: si non statim, paullò quidem post: si non paullò, at aliquanto: sex quidem illis

 men-

mensibus profectò: anno vertente sine controversiâ. anno & sex mensibus verò, cùm tibi quotidie potestas hominis fuisset admonendi, verbum nullum facis. biennio jam confecto ferè, appellas. Quis tam perditus, ac profusus nepos, non adesâ jam, sed abundante etiam pecuniâ, sic dissolutus fuisset, ut fuit Sex. Nævius? Cum hominem nomino, satis mihi videor dicere. Debuit tibi C. Quinctius. nunquam petîsti. mortuus est ille: res ad heredem vênit. cùm eum quotidie videres, post biennium denique appellas. Dubitabitur utrum sit probabilius, Sex. Nævium statim, si quid deberetur, petiturum fuisse: an, ne appellaturum quidem biennio? Appellandi tempus non erat? At tecum anno plus vixit. In Galliâ agi non potuit? At & in provinciâ jus dicebatur, & Romæ judicia fiebant. Restat, ut aut summa negligentia tibi obstiterit, aut unica liberalitas. Si negligētiam dices: mirabimur. Si bonitatem: ridebimus. neque præterea quid posis dicere, invenio. Satis est argumenti, nihil esse debitum Nævio, quòd tandiu nihil petivit. Hæc Cicero. Sed quid quòd Isabella, quum moreretur, testamentúmque faceret, testificata est, his se Ascetriis non esse obligatam? eum sanè, qui vitæ, mortísque in confinio positus est, vera dicere [122], non secus ac si jurejurando [123] dicat, arbitramur. ecquem non deterreat à peccato mortis illa propinquitas, si nihil æquè nobis proficit ad temperantiam omnium rerum, quàm frequens cogitatio brevis ævi, & hujus incerti [124]? *Timor de futurâ*

morte,

[122] *Alc. præs. 4, reg. 3. Surd. decis. 35. Rip de act. in mort. art. c. 23. Neminem divini timoris contēnendo jus-jurandū arbitramur immemorem.* Verba *cap.* 26, 1, q. 7, & *l. 6, C. ad l. Iul. repet.* maxime verò morientem; quòd ulterior locus ad deliberandum non detur. D.D. apud Rip. ibid. *Asserens, quem constitutum in mortis articulo mentiri, diceret cōtra verisimile, contra quod quis veniēs audiri non debet:* hæc, ex *Pet. Anchar.* sunt *Grāmat. decis. 42.*

[123] Iuris enim jurandi loco est mors. *Alciat. ibid. & Rip. cit. c. 23.*

[124] *B. Hier. ad Heliod. Senec. epist. 25.*

morte, inquit Augustinus [125], *mentem necessariò concutit, & quasi clavo, carnis omnes motûs ligno crucis affigit*. An aliquid peccabit, qui jam jam, pro meritis, ingressurus est aut ad cœli gloriam, aut ad inferorum supplicia? *Novissima sunt quatuor*, scribit Bernardus [126]: *Mors, Judicium, Gehenna, Gloria. Quid horribilius Morte? quid terribilius Judicio? quid intolerabilius Gehennâ, & quid jucundius Gloriâ?* Scio dixisse Baldum [127], non omnem morientem esse memorem sui: sed ego quidem vix credam, ni hoc ipsum pœna peccati sit, quòd is per omne ævum omnem Dei memoriam deposuerit: *percutitur* enim *hac animadversione peccator, ut moriendo obliviscatur sui, qui vivens oblitus est Dei* [128]. ceterùm Deus optimus maximus consulit rebus humanis; neque solùm universis, verum-etiam singulis. *Solem suum oriri facit super bonos, & malos* [129]. *illuminat omnem hominem* [130], & *non est qui se abscondat à calore ejus* [131]. *Auxilium sufficiens ad salutem, pro loco, & tempore*, inquit Bellarminus [132], *mediatè, vel immediatè omnibus datur.* & quanquam *auxilium Dei sufficiens, & necessarium ad resurgendum à peccato, etsi nulli desit pro loco, & tempore, non tamen adest omnibus*

125 *B. Aug. de doctr. Christ. lib. 2.*

126 *B. Bernar. in ser.*

127 *Bald. in tit. de pace Cōstantiæ.*

128 *Cæsar. in admon. 6.* Imò excæcatos, & obduratos, juxta illud Ioãnis 12. *Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum*. Excæcatos, inquam, & induratos ipsos; hoc est desertos, ac destitutos à Deo, ut explicant *Sāct. Chrysost. & S. August.* teste Bellarmino *cōtrov. tom. 4. de gratia, & libero arbitrio, lib. 2. c. 8.* piè credimus, Deū ipsū, pro loco, & tēpore etiam visitare, & ad cor eorum, pro sua benignitate, pulsare, atque ita porrigere auxilium, quo possint cæcitatem, & duritiā à suo corde repellere: tunc autem maximè tempus est opportunum, cùm non possunt sine conversione vitare peccatum. Itaque in tali temporis articulo Deus nunquam deest, & si non præbet auxilium, quo peccator possit immediatè converti, aut servare mandatum, quod tunc servandum occurrit; tamē præbet saltem auxilium, quo possit desiderare & petere majus auxilium. quòd si non facit; sua culpa illud non habet, & sua culpa in tentatione succumbit. Hæc ex *Bellarm. tr. cit.* ubi more suo, robustissimè, doctissimeque confutat Hæreticorum objectiones.

129 *Matth. 5.* 130 *Ioan. 1.* 131 *Psal. 18.* 132 *Bellarm. lib. eod. c. 5.*

bus momentis[133]; tamen *auxilium sufficiens, ac necessarium ad vitãda peccata, omnibus hominibus, & omni tempore, vel immediatè, vel mediatè à divinâ benignitate præstatur*[134]. Quæ cùm ita sint, P.C. quis mentitam credat Isabellam, quæ veritatem per omne tempus ita coluit, adamavit, atque complexa est, ut sua ipsius verba longè majori fide digna haberentur, quàm aliorum jus jurandum? quæ, dum vixit, nunquam, ullâ in re, digna minimâ reprehensione putata est, cùm se sanctissimè gereret? quæ solita erat dicere: *Quæ parva videntur esse delicta, neque à multis intelligi possunt, ab iis etiam, diligentiùs est declinandum.* Absit, absit, P.C. ut tam illustrem egregiâ virtute animum, quémque omnium ora summis laudibus exornant, efferunt, extollunt, uni vos sententiis vestris reprehendatis, arguatis, infametis. Oportet nos ita agere cum hominibus, ut quam cùm adhuc viverent, præclaram famam, & gloriam nacti sunt, ea quoque defunctis ipsis tribuatur. *Illa est ex legibus Solonis, quæ videntur rectè se habere*, inquit Demosthenes[135]: *nemini defuncto maledicendum.* Quid quòd in rationũ Isabellæ codicibus, in quibus ea quotidie perscribebat quid accepisset, solvisset, promisisset, de promissione istâ ne verbulum quidẽ? An erat hæc res oblivia[136]? an Isabella obliviosa? illa sanè memorabilis; hæc memoriâ tenacissimâ. Non mihi latet, P.C. rationes defuncti,

quæ

[133] Verba *ejusdem Bellarm. cap. 6, lib. eod.*

[134] Verba *ejusdem Bellarm. cap. 7, lib eod.*

[135] *Demosth. orat. ad Leptin* Et itque lex Decẽviralis tit. 11. *Defuncti injuria nõ afficiuntor*. Congruit Novella Iustiniani constitutio LX, cui titulus est: *Vt defuncti, seu funera eorum non injurientur à creditoribus.* Enimverò non est pugnãdum cum Manibus, nec decet adiici injuria eos, qui hac vita sunt defuncti. nãm nihil nobis tũ ampliùs cum illis commercii est. Vide *Oldendorp. ad tit. l. 12. tab.*

[136] Oblivio non pūnitur, nec facti proprii, nec recẽtis, nec ejus, per quod quis se alteri obligavit, nec cujusvis alius memoria digni. *Mascard. concl.* 1127.

quæ in bonis ejus inveniuntur, ad probationem pro defuncto non sufficere [137]:sed hoc ita demum intelligi oportet, si solæ sint, nec alia signa conveniant. *Instrumenta* [138] *domestica* [139], *seu privata testatio, seu adnotatio*, inquiunt Imperatores [140], *si non ALIIS quoque adminiculis adjuventur; ad probationem SOLA non sufficiunt.* at nónne pluribus res nostra juvatur? porrò personæ, res, tempus, eventus, mors denique nobis argumenta, eáque non vana, non frigida, sed gravia, & luce clariora suppeditant. Quod & faciunt novi mores: hodie nãque avaritia liberalitatem subvêrtit. *Si Iulio Claro crederem*, inquit Caramuel [141], *de donationum materiâ nil scriberem; putat enim hoc sæculo avaritiam regnare, & liberalitatẽ obiisse: & sanè non videtur omnino deviare à veritate; sæpe enim mihi debita non solvi experior, indebita dari non video. Agam de donatione tamen tanquam de ideâ Platonicâ; cujus notitia proderit, siquando liberalitatem è mortuis excitari contingat.* Quæ cùm ita sint, P.C. non possunt Ascetriæ agere ex sponsu: nulla enim est Isabellæ obligatio. *Contractus imaginarii*, scribit Modestinus [142], *etiam in emptionibus, juris vinculum non obtinent: cùm fides facti simulatur non intercedente veritate.* Plus enim valet quod agitur, quàm quod simulatè cõcipitur [143]: & *semper in fide quid senseris, non quid dixeris cogitandum est* [144]; imò *in omnibus rebus, quæ dominium transferunt, concurrat oportet affectus ex utrâ-*

137 *L. 6, C. de probat.*

138 *Puta, rationes.* ita ibi exponit *Gothofr.*

139 *Idest, quæ domi, ac privatim, non adscito tabellione, testibus, aut adversario, sibi quisque facit.* Verba *Gothofr. ibid.*

140 *In l. 5, C. de probat.* Adde *cit. l. 6, eod.*

141 *Caram. Theol. mor. intent. lib. 2, disp. 10, in princ.*

142 *In l. 54, ff. de oblig.*

143 *Tot. tit. C. Plus val. quod agit.*

144 Verba *Cicer. 1. offic.*

utrâque parte contrahentium. nam sive ea venditio, sive donatio, sive conductio, sive quælibet alia causa contrahendi fuit, nisi animus utriusque consentit, perduci ad effectum, in quod inchoatur, non potest [145]. Hæc vitare non valens Adversarius, nonnulla contra me affert. Ait, venire me contra tabulas jurisjurandi religione firmatas: & *Quo pacto*, inquit, *contemnetis jusjurandum, quod majorem habet auctoritatem, quàm res judicata* [146]? *nónne* habemus in Lege Dei scriptum. Non pejerabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui in vanum [147]? Prædicandum est etiam, *inquit Pontifex* [148], ut perjurium fideles caveant, & ab hoc summopere abstineant, scientes hoc grande scelus esse, & in lege, & in Prophetis, & in Evangelio prohibitum. *Imò non modò apud imbutos Christianâ religiöne animos, verùm apud eos etiam, quibus falsi Dii, & fictiles, jurisjurandi religio semper maxima fuit, & potentissima* [149]. Nullum vinculum, *inquit Cicero* [150], ad astringendam fidem, jurejurando majores arctius esse voluerunt. Id indicant Leges in XII tabulis [151], indicant sacra, indicant fœdera, quibus etiã cum hoste devincîtur fides: indicant notiones, animadversionésque Censorum, qui nullâ de re diligentiùs, quàm de jurejurando, judicabant. Præclarè quidem egregiéque Adversarius; sed hæc, me hercule, nihil ad fides. quid enim Leoni, & sacramento Isabellæ [152]?

145 Verba *l. 55, ff. de oblig.*

146 *L. 2, ff. de jurejur.*

147 Verba *c. 12, 22, q. 1.*

148 In *c. 17, q. cit.*

149 *Demosth. orat. in Baot.* nempe gravis pœna perjuris immi nere nunquam non credita, *Grot. de jur. belli, lib. 2, c. 13.*

150 *Cicer. offic. 3.*

151 Verba *12 tab. cap 8* hæc sunt: *Perjurii pœna, divina exitiũ, humana dedecus,*

læ [152] ?Sit res cum Isabellâ vivente; num illa solvere detrectando, pactionem aliquam perturbaret? perturbarétque perjurio? *In dolo jurat*, inquit Pontifex [153], *qui aliter facturus est, quàm promittit, cùm perjurium sit nequiter decipere credentem*. at númne aliquid Isabella promisit? númne credentes deciperet? porrò, si nullum perjurium est, id non facere, quod ita juratum est, ut mens conciperet fieri non oportere: quòd *divina judicia, talia verba nostra audiunt, qualia ex intimis proferuntur, quia non debet intentio verbis deservire, sed verba intētioni* [154], & nunquam Isabellæ rem ullam Ascetriis donādi animus fuit; non esset Isabella perjura, possétque jure optimo Ascetriis objicere illa Euripidis [155]: *Lingua jurata est, mente juravi nihil.* Si verò *Deus ita juramentum accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit* [156]; jam ostendimus, Ascetrias nihil sibi donandum, & rem dicto, non facto agendam intellexisse. possétque Isabella usurpare illud Cydippes ad Acontium [157]: *Sed si nîl dedimus præter sine pectore vocem; Verba suis frustra viribus orba tenes*. Enim-verò *Iuramentum non auget obligationem extrinsecùs, sed ei intra suos limites manenti addit religionis vinculum*. textus *celebris* in l.ult. C. de non num.pec. *in quo manifestè probatur, juramentum non supplere defectum consensus* [158]. Audite tandem, P.C.

 hac

[152] *Iuramentum, quòd ad perjurii crimen, & animæ vinculū, minimè transit in heredem jurantis; bene tamē in heredem ejus, cui juratū est: deducitur enim ex juramēto quædam spiritualis obligatio quòd ad vim religionis: hæc autem animam tantùm jurantis ligat, sicuti cæteri spirituales contractus; voti scilicet, & similes. unde, si quis juratus, aliquid facere, aut dare promiserit, ejus heres, licèt teneatur ut heres stare cōtractui, & promissum solvere, non tamen sub vinculo, & religione juramenti, ut si non fecerit, perjurus cēseri debeat.* Verba sūt *Covarr. in cap. quanvis pactū*, §.5, *de pactis*, & apud eum *Abb. Bart. Bald.* ac pleriique alii.

[153] 22, *q.* 2, *c.* 1.

[154] Verba *c.* 11, 22. *q.* 5.

[155] *Euripides apud Cicer. de offic.* 3. [156] Verba *c.* 9, *q. cit.* [157] *Cydippe ad Acont. apud Ovid.* [158] Verba *Covarr. var. c.* 14, *lib.* 2. Hoc idem docet *in cit. c. quanvis pactum*, §.4.

hac de re Manticam [159]. *Contractus imaginarius*, inquit ille, *juramento non confirmatur, quia ſicut conſenſus deficit in contractu, ita etiam deficit in juramento.* Sed dimittamus hæc, P.C. & ad ſecundum, quod objicit Adverſarius, veniamus. *Nihil eſt*, inquit, *tam tætrum, nihil tam contra naturam, nihil homine indignius, quàm turpitudo [160]. nihil eſt malum, niſi quod turpe, aut vitioſum: quinimò ſi unum in locum collata ſint omnia mala, cum turpitudinis malo non erunt comparanda [161]. nihil igitur expetendum quod idem honeſtum non ſit [162]: nec relinquenda honeſtas propter utilitatis magnitudinem; nam id quidem improbum eſt [163]. quod turpe eſt, id nunquam eſt utile, ne tum quidem, cùm id quod utile eſſe putes, adipiſcare: hòc enim ipſum utile putare, quod turpe ſit, calamitoſum eſt [164]. at nónne ſit turpe, te, quam feceris fraudem, adaperire?* Cùm profitearis, *inquiunt Impp.* [165] in fraudem te alterius donâſſe, profeſſionem inhoneſtam continere intelligis. *An verò ſit, ut quod Iſabellæ haut liceret, id liceat ejus heredi? an hic citra pudorem queat illius pudori non parcere? porrò, ſi nihil eſt tam inhumanum, tam immane, tam ferum, quàm committere, ut beneficio victus*

eſſe

[159] *Mantic. de tacit. lib. 13, tit. 37.* Adde *Farinac. cit. q. 162, p. 2.* & apud eũ D. D.

[160] Cicer. *Tuſc. 2,* & *offic. 3.*

[161] Cicer. *Tuſc. 2.*

[162] Cicer. *off. 3.*

[163] Cicer. *ibid.*

[164] Cicer. *ibid.*

[165] In *l. 4, C. de revoc. don. Itaq; , ſi donationem perfeciſti, eam revocare nõ potes ex memorata allegatione ſub obtẽtu pœnitentiæ.* Verba *ejuſd. l. 4.*

esse videare [166]*; quid si dicam indignus* [167]*? quid tandem si è numero sis liberorum? nullum hercle verò evidentius signum est impiæ mentis, quàm neglectio, & contemptus parentum* [168]. Equidem eum perfidum, & Diis invisum nō modò hominibus esse existimo, in-

[166] *Cic. pro Planc.*

[167] Sanè ἀχαριστίας crimē nihil mali nō habet. *Cic. ad Attic. 8.* Non exceptionem sōlùm, sed etiam actionem producit. Quot verò actiones? *omnino duæ tantùm sunt in jure actiones ingrati, adversus donatarium, & adversus manumissum. nam adversus alios actionibus ingrati, ut quodam loco Seneca ait, fora non sufficerent.* Verba *Cujac. ad Nov. 78, de dotal. instr. & manumiss.* Vitium enim nullum frequentius, quàm ingrati animi. *Senec. de Benef. 1. Ergo-ne,* inquies, *donationes lege confectas, firmas, illibatasque manere non oportet?* non oportet *si donationis acceptor ingratus circa donatorem inveniatur, ita ut injurias atroces in eum effundat, vel manus impias inferat, vel jacturæ molem ex insidiis suis ingerat, quæ non levem censum substantiæ donatoris imponat, vel vitæ periculum aliquod ei intulerit, vel quasdam conventiones, sive in scriptis donationi impositas, sive sine scriptis habitas, quas donationis acceptor spopondit, minimè implere voluerit.* Verba *l. ult. C. de revoc. donat.* An præter istas quinque modò relatas, ob alias etiam acharistiæ similes caussas, aut majores expressis, jure civili res donata revocari possit? Affirmat Clarus §. *Donatio, q. 21.* dicitque hanc esse communē opinionem. addit autem rationem, quòd, scilicet, possit filius à patre exheredari etiam ob causas à jure non expressas, quæ tamen sint similes, aut majores expressis: ut dicit se docuisse in §. *testamentū, q. 41.* Sed, post Donell. Giphan. & alios, negat Harpreċt. *in not. ad cit. q. 21.* docetque *in not. ad cit. q. 41.* esse falsam etiam rationem: docet enim post Connan. Vigl. Arumæum, & alios, exheredationem, ob caussas similes, sive æquè graves, aut graviores iis, quæ *nov. 115, c. 3.* enumeratæ sunt, fieri non posse, & utrobique eluit argumenta contraria. An ob ingrati animi vitium revocari possit meritorum caussa facta donatio? negat *Gothofr. ad cit. l. ult.* per tex. *in l. 34, ff. de donat.* ibi: *hæc donatio irrevocabilis est.* neque enim mera donatio est. *cit. l. 34, & l. 27, eod.* Vide *Clar.* ibique *Harpreċt. cit. §. Donatio, q. 3.* ubi idem Harpreċt. docet, donationem hanc insinuatione non indigere, & hujusmodi donatorem de evictione teneri. An valeat pactum donationi adjectum, ut ne ob ingrati animi crimen illa revocetur? Respondet Paullus *in l. 27, §. 4, ff. de pact.* dicens: *Pacta, quæ turpem causam continent, non sunt observanda: veluti si paciscar ne furti agam, vel injuriarum si feceris. expedit enim timere furti, vel injuriarum pœnam. Sed post admissa hæc pacisci possumus.* Respondetque iterum *in l. 5, ff de pact. dotal.* scribens: *Illud convenire non potest, ne moribus agatur, vel plus, vel minus exigatur. ne publica coërcitio privata pactione tollatur. Ac ne illa quidem pacta servanda sunt, ne ob res donatas, vel amotas ageretur. quia altero pacto ad furandum mulieres invitantur, altero jus civile impugnatur.* Adde *l. 23, de reg. jur.* & D.D. apud *Harpreċt. ad cit. q. 21.* An jure-jurando confirmetur? *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum.* Verba *c. non est obligatorium de reg. jur. in 6.* sed in utranque partem disputat Bocer. *in Commentar. de donat c. 5.*

[168] *Parentem hic utriusque sexus accipe. Sed an in infinitum, quæritur. quidam parentem usque ad tritavum appellari ajunt superiores, majores dici. hoc veteres existimasse Pomponius refert: sed Gajus Cassius omnes in infinitum parentes dici: quod & honestius est, & meritò obtinuit.* Verba Vlpiani in l. 4, §. 2, ff. de in jus voc. Adde *l. 55, de verb signif.* (obiter nota quòd honestatis ratione verborum significationem extendimus, quod & notat Gothofredus ad cit. §. 1.) Opponunt aliqui Vlpiano Paullum *in l. ult. §. 7 ff. de grad.* dicentem: *Parentes usque ad tritavum apud Romanos proprio vocabulo nominantur: ulteriores, qui non habent speciale nomen, majores appellantur.* sed Vlpianus non negat, hoc veteres existimasse, contrarium verò dicit obtinuisse: Imò non negat Paullus, obtinuisse, ut parentes de omnibus majoribus intelligere liceret.

inquit Demosthenes[169], qui parentes negligit. *Quid si aliquâ turpitudine vitam eorum violet? porrò usque-adeò id immane censuerunt Legis-latores, ut* filios, & filias, cæteróſque liberos contumaces, qui parentes, vel acerbitate convicii, vel cujuſcũque atrocis injuriæ dolore pulſâſſent, emancipatione reſciſſâ, damno libertatis immeritæ multari voluerint[170]. *& rectiſsimè quidem ajunt, liberorum convicia, injurias, parentibus acerbitatem, dolorem inferre: cùm enim non ſint, quibus poſt Deum immortalem plus debeamus, quàm parentibus*[171], *nullis quoque mortalium juſtiorem bilem ingrati animi crimine in naſum concimus, quàm illis ipſis. & nihil eſt, quod animum profundiùs vulneret, quàm injuria profecta ab quo tibi deberi beneficium exiſtimes*[172]. Deteſtabilis quidem eſt omnis injuria, *inquit Caſsiodorus*[173], & quicquid contra leges admittitur, juſtâ execratione damnatur: ſed malorũ omnium probatur extremũ, inde detrimenta ſuſcipere, unde credebantur auxilia provenire. exaggerat enim culpam in contrarium verſa credulitas, & majus reatui pondus eſt inopina deceptio. Decimus-tertius (*indignationis locus*) *inquit Cicero*[174], per quem cum indignatione conquerimur, quòd ab iis, à quibus minimè conveniat, malè tractemur, propinquis, amicis, quibus benefecerimus, quos adjutores fore putaverimus. Hæc Adverſarius. ſed ut mea quidẽ fert

169 *Demoſth. orat.* 1 *cõtra Ariſtogit.*

170 Verba *l. unic. C. de ingrat. liber.* Adde *cit. Nov.* 115. *c.* 3, ubi inter exheredationis cauſſas hæc eſt: *ſi gravem, & inhoneſtam injuriam eis* (parẽtibus) *ingeſſerit.*

171 Nonne & patriæ? effectus ſanè juris gentium, *ergà Deũ religio, ut parẽtibus, & patriæ pareamus.* Verba ſunt *l.* 2. *ff. de Iuſt. & jur.* nõne plus patriæ, quàm parentibus? de hoc alibi.

172 *Ariſt.* 7 *Polit. c.* 7. *Si inimicus homo, maledixiſſet mihi*, inquit Pſalmiſta in pſona Chriſti, pſalm. 54, *ſuſtinuiſſẽ, utique: tu verò unanimis, & notus meus, qui dulces mecũ capiebas cibos.* & pſal. 41. ac Io. c. 13. *Qui panem meum comedit, calcibus mihi inſultat.*

173 *Caſſiod.* 4 *var. epiſt.* 27.

174 *Cicer.* 1 *de Invent.*

fert opinio, plus ille pompæ, & oſtentationi eruditionis, quàm cauſæ deſervit. Quid enim ſimulationi illi, quæ nullâ cum alterius circunſcriptione fit, atque illi, quæ dolo malo alterum lædit? hæc perfida, improba, malitioſa; illa verò nullis vitiis inquinata. hæc contra fidem bonam, quòd *inter bonos bene agier oportet* [175]; illa fidem nullam violat, quòd noceat nemini. hanc igitur profiteri, inhoneſtum eſſe profiteor, non item illam [176]. hæc allegari, nec ab eo, qui fecit, nec ab ejus herede poteſt [177], at poteſt illa. Audite Manticam [178]: *In primis autem*, inquit, *admonendi ſumus, quòd inter contractum ſimulatum, & fraudulentum magna eſt differentia: quia contractus ſimulatus, & imaginarius, qui fingitur, neque eo modo, quo fingitur, neque alio contrahitur, & in hoc caſu is etiam, qui contraxit, & ejus hæres, quanvis ſit voluntarius, poteſt dicere contractùm ſimulatum eſſe nullum, quia ex eo tantùm nititur, quòd contractus non habuit conſenſum, neque actione revocatoriâ indiget.* Audite Fabrum [179]: *Simulationem contractus non modò contrahentes objicere poſſunt, ſed & eorum heredes, adeoque ſingulares ſucceſſores, quin & tertii poſſeſſores, ſi eorum interſit. Eſt enim ſimulatio vitium contractus, non perſonæ, ac proinde tale, quod afficit rem, quæ ex hujuſmodi contractu petitur, vel poſſidetur.* Vera quidem, certáque ratio: *nuda* enim *& imaginaria venditio*, donatio, *pro non facta eſt, & ideò nec alienatio ejus rei intelligitur* [180]. Opponit denique

[175] Verba Cicer. 3. offic.

[176] Eſt enim vitiũ contractus, non perſonæ, ut dicit Faber mox citandus, & *ubi non eſt fraus, ibi nõ eſt ſimulatio.* Verba Farinac. *cit. q. 162, p. 1, n. 59.*

[177] *D. D. apud Farin. cit. p. 1, nu. 46, & 60.*

[178] *Mantic. cit. tit. 37, lib. 13,* & apud eum D. D. Idem docet *tit. 36, n. 11.* Adde *Farin. cit. p. 1.*

[179] *Faber in C. tit. Plusvaler. quod agitur. defin. 2.*

[180] Verba *l. 55, ff. de cõtrah. empt.* Huc referas ea, quæ diximus num. 142, 143, 144, & 145. *Cõtractus ſimulatus, quoniam contrahentium voluntate, quæ omniũ conventionum anima eſt, deſtituitur; uſque adeo nullus eſt, ut pro infecto habeatur, neque contractus nomen mereatur.* Verba Fabr. *defin. 1, tit. cit.*

nique ad extremum Adverſarius, nullam fuiſſe cauſſam cur Partes donationem hanc ſimularent: quum verò quæritur utrùm ſit ſimulatus contractus, nunquam non requirendam ſimulationis cauſſam; ut ſi cauſſa nòn exſtiterit, non dicatur ſimulatus [181]. An ita ſit non diſputo: ſed hoc ita quidem recipiendum eſt, ſi nudæ ab retentione rei alienatæ conjecturæ innitamur [182], ceterùm ſi pluria ſimulationis argumenta conveniant; nihil eſt quòd ejus cauſſam ſolicitè requiramus [183]. &, ſi ad oſtentationem, vel pompam celebratus dicatur; ipſa pompa, vel oſtentatio, illius eſt cauſſa; nec præter hanc alia exſiſtat oportet. An pompa, an oſtentatio ſit res inſolens, res inaudita? porrò talibus vivitur moribus, ut plerique omnes majora ſibi, quàm quæ re ipſâ ſint, tribuāt. Hic calvus comatus, ille, ſervus cùm ſit, comàm gerit, ille canos nigro colore tingit. Alius pernicizat, alius navigat Trœzenem, alius ſtrumā dibapho tegit. Hic paries dealbatus, ille ſimia tragica, ille Praxitelis coloſſus. Hic, lepus cùm ſit, agit leonem, Xe-

---

181 *Merlin. lib. 2, contr. 17. Mantic. cit. lib. 13, tit. 36. Farinac. cit. q. 62, p. 5.*

182 Vt ſi dicatur, à cogitante ſcelus, in Fiſci fraudem alienatum, hæc-ve ſola, ex re non tradita, conjectura, nec hujuſce cogitationis cauſſa: veluti capitales inimicitiæ, aut alia, propter quā credibile ſit, ab alienante, maleficium cogitatum, adferatur. *Farinac. cit. p. 5. Clar. §. fin. q. 78.* Quod tamen diſplicuit *Pico in l. poſt contractum, ff. de donat.* cui reſpondet *Boſſ. tit. de bonor. publie. n. 49.* his verbis: *Sed cum bona venia nemo dubitat. quomodò enim vis ut ex ſola retentione poſſeſſionis præſumatur ſimulatio, etiam ſecuta ex intervallo confiſcatione, ſi tunc non militabat aliqua cauſa; ex qua debuerit timere confiſcationē?* Nunquā-ne cauſſa præſumitur? præſumitur, teſte ipſomet Boſſio, *ibid.* ex *Bart.* & *Pic. in cit. l. poſt contractum*, ſi poſt alienationem, in continenti fuerit ſcelus admiſſum. ſed ego vereor ne ſit præſumenda quoaduſque oſtendatur, cauſſam poſt alienationem interveniſſe. quot enim ex occultiſſimis cauſſis oderunt? nonne plurimæ ſunt occultiſſimæ inimicitiarū, ſcelerum cauſſæ? Quanquā, ut verum fatear, ſola rei alienatæ retentio nec mihi ſufficeret; ſed, minimùm, unum aliquod aliud fraudis ſignum requirerem. Quæ nam iſta ſunt? ſi alienatio ſit, ut diximus, facta paullò ante delictum, ſi omnium bonorum, ſi conjunctæ perſonæ, ſi clam. *Clar. cit. q. 78.* Sunt & aliæ ſex, ſed de his vide *Boſſ. loc. cit.*

183 *Farin. cit. p. 5.*

Xenocratem ille modestiâ simulat,*hic simulat Curium, sed Bacchanalia vivit*. Vult ille haberi sapiens,& barbâ,pallióque tenus Philosophũ agit. Vult hic haberi doctus,& aliorum scripta,libróssve suo nomine edit. Huic maxima dos, amplissimáq; verbis,sed rebus minima,aut nulla promittitur.illi sæpe datur (quòd dicitur) ad processus, ut bene, scilicet, indutus, ornatúsque incedat, ostentétque se in pompâ, aut Principis comitatu,statim autem restituat [184].huic *sæpe ad hoc commodantur pecuniæ, ut dîcis gratiâ* [185] *numerationis loco intercedãt* [186]. Denique,non modò divitiæ,pulcritudo, ingenium, dos, eáque omnia simulantur, quæ diximus, sed omnia propemodum Theatri nugæ.*At cur*,inquies, *ostentatio in re, quâ de agimus?* Sic res se habet:te tua, me delectant mea. *Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno. Variæ sunt hominum*

184 Quanquã enim non potest cõmodari id, quod usu cõsumitur; quia in cõmodato res eadem restituenda est *l.16, ff. de reb. cred.* & quæ usu consumuntur,eadem reddi nõ possunt; potest tamen,si fortè ad pompam, vel ostentationem quis accipiat *l.3,§.6, ff. commod.*

185 Hoc est *ad põpam,& ostentationem*,ut exponit *Gothofr.in l.4, ff.commod. Dicis gratia, dicis caussa, dicis ergò:* priscis etiam:*dicis imò*,idem quod *perfunctoriè*,aut *defunctoriè,simulatè,pro forma, ad speciem,non verè,neque seriò,neque ex animo,& nulla alia de caussa factum, nisi ut factum esse dicatur*. Vtitur hoc vocabulo,non modò Gajus *in cit.l.4*,sed etiam Vlpianus *in l.1,§.34,ff.ad Silan.* quibus in locis Accursius,& alii censuerunt legendum *ditis*:sed perperam: ut perperam quoque Alciatus, qui suspicatur legendum *dantis*.Lælius enim Taurel. Anton. August.Petr.Victor.& alii docent, retinẽdum omnino *dicis*.& sic habent Florentini Pandectæ, *teste Covar. var. 4, c.8.* Imò est elegans loquendi genus,*teste Thes.linguæ Latinæ,v.dicis*.eoque usus est Cicero *in Verr.* item *pro Muren.* & *Flacco*.Vide *Voss.Etymolog.v.eod.* 186 Verba *cit.l.4 ff. commod.*

minum voluntates, inquit Vlpianus [187] : *quorundam negotia timentium, quorundam vexationem, quorũdam æris alieni cumulum, tametſi locuples videatur hereditas, quorundam offenſas, vel invidiam, quorundam gratificari volentium his, quibus hereditas relicta eſt, ſine onere tamen ſuo.* Sed jam ſatis abũdè, P.C. dictum eſt nobis de hujuſce donationis ſimulatione: reliquum eſt, ut de temporis præſcriptione loquamur. Porrò ex longo adeò, diutinóque ſilentio, pacti exceptio inducitur. *Cum poſt divortium* [188], inquit Papinianus [189], *viro ſciente, mulier in poſſeſſionem prædiorum, quæ in dotem promiſit, longo tempore fuerit, conveniſſe tacitè videtur, ne dos, quæ promiſſa fuerat, petatur. & ſi petere eam cœperit, pacti exceptione*

---

187 *L.* 4, *ff. ad S.C. Trebell.* propterea præſcribi heredi inſtituto non debet, cur metuat hereditatem adire, vel cur nolit. *cit. l.* 4. Quid ſi fideicommiſſarius diceret, ſuo periculo adiri, & reſtitui ſibi velle? Cogitur heres inſtitutus, à prætore adire, & reſtituere hereditatem. quod ſi fuerit factũ, tranſeũt actiones ex Trebelliano, nec quartæ cõmodo heres in reſtitutione utetur. nã cùm alieno periculo adierit hereditatem, meritò omni comodo arcebitur. nec intereſt ſolvendo ſit hereditas, necne *cit. l.* 4. An qui compulſus adiit, poſſit pœnitere, & aditione nova, quartæ beneficium conſequi? minimè. *l.* 14, *eod.* An cogatur adire, ſi de re, vel quantitate fuerit rogatus? non. *cit. l.* 14, §. 5. *&* *l.* 16, *eod.* Quare ſi fideicommiſſum pecuniarium alicui fuerit relictum, ceſſat compulſio, tametſi indemnitatis cautio offeratur. *cit. l.* 14, §. 6. Non cogitur adire, neque legatariis, neque fideicommiſſariis particularibus petentibus *Gothofr. ad cit.* §. 5. Cur ita? ne emolumentum hereditatis refundat, ipſe verò oneribus hereditatis obſtrictus relinquatur. *cit.* §. 5. Oportet igitur, ut de univerſitate ſenſiſſe teſtatorẽ appareat. *cit.* §. 5. *&* *cit. l.* 16, §. 2. An id appareat ſi rogavero reſtituere *bona*, vel *familiam*, vel *univerſam rem meam*, vel *omnia bona mea*? ita. *cit. l.* 14. §. 8. An & *pecuniam*? idem. Quid ita? quia pecuniæ nomine non ſolùm numerata pecunia; ſed omnes res, tam ſoli, quàm mobiles, & tam corpora, quàm jura continentur. *l.* 222, *de verb. ſign.* Sed hac de re mox. An ſi dixero *patrimonium*, vel *facultates*, vel *quicquid habeo*, vel *cenſum*, vel *fortunas meas*, vel *ſubſtantiam meam*, vel *peculium*? & hoc idem. *Nec ignoro*, inquit Vlpianus in cit. l. 16, *in quibuſdam ex his Mecianum dubitare, & voluntatis eſſe dicere quæſtionem, utrùm de pecunia tantùm, an & de ſucceſſione teſtator ſenſit. in ambiguo tamen magis de ſucceſſione dico, ne intercidat fideicommiſſum.* An ſi dixero: *Quicquid ad te ex hereditate, bonis-ve meis pervenerit?* cogi poterit, quanquam *pervenire* propriè dicatur, quod deductis oneribus ad aliquem pervenit. *cit. l.* 16, §. 1. 188 *Divertit uxor à marito culpa ſua, cui centum in dotem promiſerat, & fũdum tradiderat, meruerat autem dotem amittere, quia culpa ſua diverterat: ſed tamen quia maritus videtur ſua taciturnitate renunciaſſe retentioni dotis, ideò non petis fundum, nec pecuniam promiſſam: vel dic, in tradendis tantùm, & non traditis.* Verba *Gloſ. in l.* 70, *ff. de jur. dot.* Vide ſis *Maſcard. concluſ.* 1377, *n.* 100. 189 In *cit. l.* 70.

ne à muliere repellitur: *Vir*, inquit idem [190], *usuras promissæ dotis in stipulationem deduxerat, easque non petierat: cùm per omne tempus matrimonii, sumptibus suis, uxorem & ejus familiam vir exhiberet, dote prælegatâ, & donationibus verbis fideicommissi confirmatis, legato quidem dotis usuras non contineri videbatur, sed titulo donationis remissas* [191]. Quid quòd *Divus Pius ita rescripsit* [192]? *Parum justè præteritas usuras* [193] *petis, quas omisisse te, longi temporis intervallum indicat, qui eas à debitore tuo, ut gratior apud eum videlicet esses, petendas non putâsti*. Longi temporis [194] intervallum hoc indicat, P.C. quid ergo longissimi [195]? Hoc inde est, quòd non petendas putaveris, ut gratior apud debitorem esses: quid ergo, si singulis quibusque annis, quibusque mensibus,

190 In *l.54, ff. de donat. inter vir. & uxor.* Vide *L.6, §. sin autẽ, C. de bon. quæ liber.* ubi probatur, petitionẽ usufructus in bonis filii, à patre in vita omissi, ad ejus heredes minimè transmitti. *Gothofr. ibid.* Vide sis *Mascard. ibid. nu.* 106.

191 *Usuras dotis si maritus nõ petiit, eas uxori donasse videtur. Bart.* Verba *Gothofr. ad cit. l. 54.* Vide sis *Mascard. ibid. n.* 105. & omnino doctissimum, primæque notæ auctorem, *Leotard. tr. de usur. c. 92.* ubi omnia argumenta contraria confutat, dissolvitque.

192 In *l.17, ff. de usur.* Hoc idem per Sacrum Consilium decisum habes apud *Rovit. decis. 43.* potestque hæc exceptio opponi etiam ab herede fidejussoribus, & possessoribus bonorum, ut probat *Leotard. cit. q. 91.*

193 An æquè ex causa onerosa, ac lucrativa? negant aliqui, sed iis optimè respondet *Leotard. loc. cit. Nihil refert* inquit ille *ex qua causa debeantur: sed solùm spectandum est, an ex circumstantiis conjicere liceat, creditorem eas remisisse.* Non negaverim tamen graviores conjecturas in illis requiri, quæ nobis ex titulo oneroso, quàm iis, quæ ex lucrativo præstandæ sunt: difficiliùs enim illas, quàm istas condonamus.

194 Longi temporis, *scilicet triennii, vel quinquennii, in cit. l.17.* quanquam hoc displicet quibusdam apud *Mascard. concl. cit. n. 99.* Volentibus, ut *longum tempus* nonnisi de decennio inter præsentes, vicennio inter absentes intelligatur. idque per titulum Codicis *De præscript. longi temporis decem, vel viginti annorum.* & per *l. 12. eod.* atque adeò per *tex. in l.16, §.3. ff qui, & à quibus.* ubi *Aristo respondit à debitore fisci, qui solvendo non erat, manumissum, ita revocari in servitutem debere, si non diu in libertate fuisset, idest, non minùs decennio.* Sed quicquid sit; *longum* sanè silentium. Accursio, quem sequitur *Gothofr. ad l.2, §.2. ff. ne de stat. defunct.* est illud triennii. nec semper *Diu* pro decẽnio accipitur: aliàs enim ponitur pro biẽnio, *l. ult. ff. de re jud. l. cum domini ff. loca.* aliàs pro tribus mensibus. *c. Legistis dist. 13.* pro triennio. *l. 1. & l. quamvis, ff de usucap.* pro anno *l. 1, §. largius, & §. quibus, ff de success. edict.* pro momento: *in l.2.* ut exponit ibi Glossa, *C. de adquir. possess.* Vide *Lex. jur. v. Diu.* Ego verò, quod hac in re sit longum silentium, Iudicis arbitrio committerem: auctoritate eorum, quæ docet *Menoch. de arbitr. lib. 2. cas. 11.* porrò quod sit longum tempus, judicis est arbitrari. *Menoch. cit. lib. 2, cas. 4. Antonell. de tempor. Legal. lib. 1, c. 10.*

195 Longissimum tempus XXX, aut XL annorum. *C. de long. temp. præscript. Lex. jur. v. longissimum.*

ſibus, quibuſque ferè diebus à debitore aliquid dono acceperis? hæc omnia in re noſtrâ: quid igitur? juſténe petẽt Aſcetriæ quod omiſiſſe eas longiſſimi temporis intervallum indicat? quod, ab Iſabellâ, ut gratiores apud eã videlicet eſſent, petendũ non putaverunt? Propoſitum creditoris differentis exactionem debiti, eſt conſequi gratiam debitoris [196]: itaque ferendus non eſt, ſi, repentè mutatâ voluntate, præteriti temporis petat uſuras, earúmque mole velit opprimere illũ, qui alioqui ſingulis annis particulatim ſolvere potuiſſet [197]. harum ergo Monaſtriarum eò tendebat ſilentium, ut ſcilicet à vivente Iſabellâ, quicquid poſſent, quotidie eblandirentur; poſt autem obitum, bonâ fide reluctante, contemptis, mæroréque affectis ejus Manibus, ab herede, per vos; imo-verò per militum manus, aureorum tot ſimul millia extorquerent? hoccíne in nos liberalibus munificíſque gratiam referre? hoccíne memoriam beneficii, tempore, & die definiri non oportere? hoccíne eâdem menſurâ reddere, quâ acceperis, aut cumulatiore, ſi poſſis? hoccíne tandẽ illud, quod paullò ante nobis objiciebat Adverſarius; nempe: *Si nihil eſt tam inhumanum, tam immane, tam ferum, quàm committere, ut beneficio victus eſſe videare: quid ſi dicam indignus? quid tandem ſi è numero ſis liberorum?* porrò *in referendâ gratiâ (ſi modò Heſiodo credimus) debemus imitari agros fertiles,*

[196] Quod præſumitur, nec eſt aliunde docendum, ut probat *Leotard. cit. q.* 92. *n.* 1: maximè verò ſi debitor propinquus ſit creditori. *Leotard. ibid. n.* 8, & 9.

[197] *Leotard. ibid.*

ziles, qui plus multò afferunt, quàm acceperunt. etenim, si in eos, quos speramus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre; quales in eos esse debemus, qui etiam profuerunt [198]? imò *non solùm gratus debet esse is, qui accipit beneficium, verùm-etiam is, cui potestas accipiendi fuit* [199]. Sed de his hactenus [200]: quîd enim debiti remissionem ostendere conamur, si luculentissimè demonstravimus, Isabellam nihil unquam Ascetriis debuisse? enim-verò, nî mea me fallit opinio, nihil magis clarum, magis evidens esse potest, quàm donationem illam fuisse factam, aut,

198 Verba Cicer. offic. 1.

199 Verba Cicer. de provinc. consul.

200 Poteram etiam Parti objicere Papiniani responsum in l. 26, ff. de prob. cujus legis verba sunt hæc: *Procula cũ magna quãtitatis fideicõmissum à fratre sibi debitum, post mortem ejus in ratione cum heredibus compensare vellet, ex diverso autem allegaretur, nunquam id à fratre, quandiu vixit, desideratum, cùm variis ex causis in rationem fratris pecunias ratio Procula solvisset: Divus Commodus, cùm super eo negotio cognosceret, non admisit compensationem: quasi tacitè fratri fideicommissum fuisset remissum.* Nec mihi facessisset negotium, quod ajunt, Papinianum tria requirere; nempe affinitatem, rationes crebro putatas, diuturnumque creditoris silentium: & si quid horum deficiat, remissionem haud præsumi: nullam autem rationem putatam inter Isabellam, Ascetriasque. etenim verius est, non ista conjunctè requiri, ut probat *Menoch. de arbitr. lib. 2. cas.* 88. dicens: *Credo itaque rectè à Commodo, referente Papiniano, fuisse judicatum, remissum censeri fideicommissum illud ob probabiles illas conjecturas, quæ eum in sententiam illam traxerunt. Nec vereor, quin rectè etiam facturus sit judex noster, si consimilibus conjecturis impulsus, ita judicium suum proferat.* Probat hoc etiam *Ursill. ad Afflict. decis.* 13. *n.* 14. ubi docet, affinitatem, diuturnumque silentium sola sufficere. Probat *Mugnoz. de ratioc. administr. c.* 57, *n.* 9, & 10. dicens: *Licèt non appareret, rationem sæpius fuisse calculatam, tamen ex aliquibus aliis circunstantiis remissio reliquorum constare posset: cùm & hæc habeantur loco sæpius calculatæ rationis.* quod etiam docet, contrariis omnibus confutatis, docet, inquam, evidentissimè *Cyriac. contr.* 412. At: *Quænam*, inquies *nostra in re circunstantiæ?* Non solùm Ascetriæ erant Isabellæ propinquæ; sed è numero liberorum. tempus non modò longum; verùm etiam longissimum. non erant promissæ præstationes ex causa onerosa, sed lucrativa, cujus generis usuræ faciliùs condonantur. *D.D. apud Leot. loc. cit.* imò erant promissæ ex munificentia Isabellæ. Creditrices erant mulieres erantq; Monastriæ, quibus nominum exactio nunquam non cordi est. quam conjecturam, post *Surd. decis.* 105, probat *Cyriac. contr.* 280. Ferè quotidie aliquid dono accipiebãt ab Isabella: ingrati verò animi vitium nunquam præsumitur. *Iura, & D.D. apud Mascard. concl.* 898 Petitionem protulerunt ad mortem usque Isabellæ. quam conjecturam, ad hanc rem, appellat fortissimam, & urgentissimam. *Mugnoz, cit. c.* 57. eumque sequitur *Cyriac. cit. contr.* 280. Moventur autem ea ratione, quòd scilicet ille, qui tandiu rem distulit, præsumatur, per calumniam petere ab herede, rei nesciẽte. Sed, ut verum fatear, ratio, qua moventur, non probat, debitum fuisse remissum, sed probat nihil fuisse debitum: ideoque ratio hæc addenda est iis, quæ dicebamus *ante n.* 10, *& post n.* 11. atque adeò Adde *Afflict. cit. decis.* 13. *n.* 21, & 22.

ut Senatus-conſulto Vellejano fieret fraus, aut ad pompam, & oſtentationem, ſic, ut veri, ſolidíque juris nihil unquam habere queat. Satis multa, P.C. & ultra clepſydram penè dicebam: reliquum eſt, ut, peroratâ jam causâ, rem decernatis. verùm ſcitote, veſtram virtutem, juſtitiam, fidem huic civitati maximè probandam, ſi gravem hanc, inopinámque moleſtiam, quam nemo Leoni abſterſam non deſiderat, exoptátque, ab eo veſtris ſententijs depellè- tis.

PRO PETRO DE AMORE CERTAMEN VIII.

ARGVMENTVM.

Silentium à Prorege factum de intentis in Petrum criminibus, haud unquam frangendum evincit.

IN hunc Senatum accedo, P.C. pro Auditore Irpinæ provinciæ, Petro de Amore, dicturus. & quoniam libertati nihil est impedimẽto: nam, rarâ temporum felicitate, licet dicere quæ velis; non faciam, quin causæ principio deplorem & conquerar, nos præclara majorum instituta, legésque deseruisse. Quis nesciat, Vlpiani verba hæc esse? *In jus vocari non oportet, neque consulem, neque præfectum, neque prætorem, neque ceteros magistratus, qui imperium habent, qui & coërcere aliquẽ possunt, & jubere in carcerem duci* [1]. Quis ignoret Divi Hadriani literarum partem illam?

[1] Verba *l.* 2, *ff. de in jus voc.*

Ma-

Magiſtratus, quo anno cum imperio ſunt, neque propriam, neque eorum, quorum tutelam, vel curam gerunt, cauſam in judicio, vel agendo, vel defendendo, ſuſtinento [2]. Ecquem denique prætereant illa? *Si quis in honore, miniſteriòve publico ſit; reus quidem poſtulatur, ſed differtur ejus accuſatio, & cautione judicio ſiſtendi* [3] *cauſa promittitur in finem honoris* [4]. Idque ſive quia, ſi venire nollet, capi, aut prendi, ſalvâ ipſius Magiſtratus majeſtate non poſſet [5]; ſive quia pars majeſtatis eſt, quandiu quis jus alteri dicit, ei à nemine dici: neque enim addecet, eum, qui in re alienâ ſedet pro tribunali, in ſuâ ex loco inferiore litigare: ſive denique, ne qui ex neceſſitate officii exponitur odio multorum, facilè incommodum ſentiat [6]. Eſt enim, quē lateat, nemo,

2 Verba *l. Pars literarum 48, ff. de judic. Simul ac verò magiſtratus dies exierit, non ipſis, tantùm adverſus reos ſuos, ſed etiam aliis adverſus ipſos litē intentare jus faſque eſt*. Verba *cit. l.48.*

3 Quæ cautio, ubique ferè locorum, præſtatur à magiſtratibus antequam in poſseſsionē honoris mittātur.

4 Verba *l. 38, §. 10, ff. de adult.* In finē, inquā, honoris: quādo *in celeberrimis locis ante omniū, quos nuper gubernaverant, ora verſentur* oportet: *ut pateat omnibus facultas libera, ſuper furtis, aut criminibus querimoniam cōmovendi*. Verba *l. unic. C. ut omnes Iudices*. Adde *nov. 8. c. 9*. Quāto tēpore ibi permanendū? L. dies, ubi jus cōmune ſervatur *cit. l. unic.* Quot apud nos? XL. quorū XX cōceduntur ad porrigendū querelas, XX autem ad proſequēdum. *pragm. 4. de ſindic. Offic.* niſi ſint Præſides, aut Auditores provinciarum: tunc enim ſervabitur jus commune; hoc eſt erunt dies [illegible] *prag. 3. de offic. Iuſtit. Rovit. ad prag. 1. de ſindic.* hæcve tempora neque protrahi poſsunt, neque contrahi. *cit. pragm. 4.* Quid ſi ultra annum gubernaverint? Protrahūtur hæc ſpatia pro rata temporis. *Rovit. ad cit. pragm. 1.* Qui judices eorum? Olim Princeps. *Bald. de ſindic.* aut præfectus prætorio. *Bald. ibid.* aut ſucceſsor. *Rovit. ad cit. pragmatic. 1.* hodie verò apud nos, *depoſito per eos officio, ſtare debent ad ſindicatum publicè reddendo rationem adminiſtrationis; ſeu parati reſpondere quibuſcunque querelis contra eos propoſitis, civiliter, vel criminaliter, ſive mixtis, de commiſſis, & omiſſis in eorum officio contra quos etiam procedi poſſit per inquiſitionē generalem, & ſpecialem, per Sindicos in locis ubi adminiſtraverint ab Vniverſitate electos*. Verba *cit. pragm. 1.* Excipe provinciarum Præſides, & Auditores, quorum judices à Prorege creantur. *cit. pragm. 3. & Rovit. loc. cit.* praxim hujus rei vide apud *Surgent. de Neap illuſtr. lib. 1, c. 17.* Cenſores Regentis, & Iudicum Magnæ Curiæ qui? Soli Electi civitatis Neapolis. *pragm. 2. de ſindic. offic.* An cum Iudicibus ab Vniverſitate conſtitutis debeat ſucceſsor adeſse? Affirmant alii, alii negāt: quod verius. *Rovit, loc. cit.* ſed puto, morem cujuſque loci ſervandum: in his enim ſemper præcipuus eſt mos. *Surgens loc. cit. n. 30, & 31.* Habent-ne merum, mixtumque imperium? ita. *Surg. & Rovit. locc. citt.* Quid ſi fugerit magiſtratus ante cōpleta hæc tēpora? habetur pro confeſso *Paris tr. de Sindic. §. Iudices, c. 3.* An poſſit ante adventum ſucceſsoris magiſtratu abire? minimè. *Paris tr. eod. §. officialis, c. 4. Rovit. cit. pragm. 1, n. 36.*

5 *Gell. Noct. Att. 13. c. 14.*

6 *Aerod. rer. jud. lib. 6, c. 8.*

mo, huic hominum generi, multos adversarios, inimicos, invidos esse: multa proponi pericula, multas inferri injurias. *Sudandum est iis, qui magistratum gerunt, pro communibus commodis, adeũdæ inimicitiæ, subeundæ sæpe pro Rep. tempestates: cum multis audacibus, improbis, nonnunquam etiam potentibus dimicandum* [7]. qui omnes, deformandi magistratus caussâ, detrahendæ, spoliandæque dignitatis, nihil dicturi non sunt, facturíque. Quis, inquam, P. C. quis, inquam, hæc nesciat? & nihilominus nostrâ ætate magistratus, quo etiam anno cum imperio sunt, non modò in judicium vocantur, sed palàm comprehensi, vinculísque constricti, in custodias; hoc-est in dira furiarum loca, ut cum Senecâ loquar, includuntur. Respicite, quæso, P. C. respicite ad Petrum de Amore. Hic ab eo tempore, quo ab ephebis excessit, in juris Doctores relatus, omnium sententiâ ad magistratus gerendos idoneus est habitus. non multò post factus est adsessor præsidis magnæ Græciæ: deinde præsidis Bruttiorum. & quoniam nunquam non habuit in cõsilio legem, fidem, religionem, æquitatem: libidinem autem, & invidiam, metum, cupiditates omnes amovit, & multa præclarè gessit, egregiéque; unam post unam omnes Regni provincias obtinuit. ut ab adolescentiâ ad maturissimam usque ætatem, operam omnem indesinenter, populis temperandis, tractandísque navârit.

[7] Verba *Cicer. pro Sext.* Ideoque debere Principem, magistratuum auctoritatem incolumem conservare: eorum nomen deferentibus non credere: calumniosas adversus eos delationes gravissima corporali pœna punire, & velut in crimine læsæ Majestatis nũquam remittere: eorundem magistratuum errata dissimulare, illisque fidere, eruditissimè probat *Larrea allegat. fisc.* 100, 101, 102, *&* 103.

vârit. Sed, ô tempora! ô mores! meritorum perinde atque ætatis plenus, nuper inter conſceleratos, maximâ omnium admiratione, placuit ut in carcerem conderetur. Videor jam videre vos, P.C. cauſſæ tam magni negotii curioſos. audite, amabò, ingentíq; huic reip. morbo remedium, pro sũmâ ſapientiâ veſtrâ, pro veſtro in Rép. ſummo ſtudio, invenite. Poſtquam Petrus, nonnullis abhinc annis, defunctus eſt officio Auditoris Aprutii citerioris, adminiſtrationis ſuæ reddidit rationes: quúmque libellis, in celeberrimis locis propoſitis, manifeſtum à Cenſoribus factum fuiſſet, unicuique jus fáſque eſſe illi dicâm impingere; non modò nullus vênit ad accuſandum, ſed ne per literas quidem, aut nuntium de illo conqueſtus eſt. quâ de re, conſtitutum poſt tempus, renuntiatus eſt innocens, & publicis tabulis commendatus. Sed quoniam à potentiore quodam, dum provinciam adminiſtraret, neque flecti obſequio, neque frangi potentiâ, neque adulterari pecuniâ potuerat; ille, neſcio quos, Petro, apud Proregẽ Ognattum, accuſatores appoſuit. Iuſſit hic in Petrum inquiri: auditíſque à Quæſitore teſtibus quibuſdam, ex argillâ & luto fictis, quibúſque jurisjurandi religio ludus erat; Prorex, ad rem cognoſcendam, judicum inſtituit collegiũ, quod *Iunctam* nuncupamus. Rem collegio examinante (*ô magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia,*

nia, calliditatem, ſolertiam, contráque fictas omnium inſidias facilè ſe per ſe ipſam defendat [8])rem, inquam, collegio examinante;idem Prorex,de accuſatoribus, de reo,de teſtibus judicans, accuſatores calumniæ manifeſtos pronuntiavit, ſcripto fecit de accuſatione ſilentium, & Petro munus Auditoris Barienſis provinciæ demandavit. Vênit Ognatti ſucceſſor Caſtrilius, à quo ſtatim præſidis Lucaniæ adſeſſor creatur. deinde cùm in Irpinâ provinciâ prædonum numerus & multitudo,more luporum graſſarentur,omniáque labefactarēt; ad illorum audaciam contundendam, frangendámque deſtinatur: utpotequi id genus maleficos à provinciis ſibi commiſſis nūquam-non aut profligarit, aut in pœnas coëgerit. Sed hinc Petro calamitates,ærumnæque: quidam enim rapinis à prædonibus auctus,ſive odio,ſive timore illi calumniam inſtruxit, & delatorem ſubornavit. ita metus in auctorem rediit, & vidimus, quod quodam loco Tullius [9] ait; nullam vim imperii tantam eſſe, quæ premente metu poſſit eſſe diuturna. Delatum eſt Petri nomen apud Pegnarandum Caſtrilii ſucceſſorem.delatum, inquam,ſpoliatæ,direptæque provinciæ. Movit id animum Proregis, qui propterea juſſit in Petrum inquiri, &,ſi crimina convincerentur; eum à Magnâ Curiâ in pœnam committi.Exactâ inquiſitione,cùm adverſarius deprehendiſſet, rem in nihilum recidere

[8] Verba *Cic. pro Cæl.*

[9] *Cicer. offic.* 2.

dere(quâ de re,si vsûs venerit, peculiarem actionem habebimus) pristinæ illius criminationis acta pulverulenta, & à muribus erosa,ex occultis tenebris in lucem extraxit : prætentátque,Petrũ, qui sponte se stitit,ob ementita illa, & calumniosa flagitia puniri . Ego verò,P.C.apud me constitui,vobis ostendere, adversarii postulationem esse indecoram , & ad exitum perduci non posse. primum, sive Proreges, sive judicum illud collegium , sive Petrum spectemus : secundum,sive Proreges,sive Magnam Curiam respiciamus.Absonum,hercule,atque indecorum est , si Proreges consideremus.quis enim nesciat, *ceteris mortalibus in eo stare consilia , quid sibi conducere putent: Principum diversam esse sortem , quibus præcipua rerum ad famam dirigenda* [10]? *Argentum quidem , & pecunia est communis omnium possessio;at honestum , & ex eo laus & gloria,Deorum est, aut eorum, qui à Diis proximi*

[10] Verba *Tacit. Annal.* 4. *Nec est audiendus Macchiavellus* lib.4,de Princ. *qui ait,abundè esse, si Princeps famam, & gloriam apud suos qualitercũque consequatur , etiam larvatenus,& ex inani virtutũ specie.Religionem, & virtutẽ utilitate metiendas : si hæc adsit , vel adfulgeat; illas conculcandas, profligandas.* Verba *Io. à Koch. Thes. politic. lib.* 1. *cap.*7. *in not.*& jure quidẽ optimo, ait, Macchiavellũ non esse audiẽdũ. *nulla* enim *immanior bellua: illo Principe.quem nec conscientia stimulat,nec incitat gloria.*Verba *Saavedr.Symbol polit.*15 & Religionẽ quòd attinet;quis eã impietatem ferat si Religionem ipsi Ethnici minùs violabant, etiam si dominationi expediret? *Omnia namque*,Valer.Max. verba lib.1, c.1. *post Religionem ponenda semper nostra Civitas duxit:etiam in quibus summæ majestatis conspici decus voluit . Quapropter non dubitaverunt sacris Imperia servire:ita se humanarum rerum velut curam gerere existimantia,si divina potentiæ bene atque constanter fuissent famulata.*Enimverò in omnibus à Principe spectãdam Religionem,in ea omnem imperii sitam esse firmitatem,& spem victoriarum omnium:cavendum etiã maximè à fucata,& ludicra,ostendit *Saavedr.Symb polit.* 24, 25, 26, & 27.Cunctæ verò ludicræ præter Catholicam cujus caput est Pontifex Romanus *à qua si quis exiverit;à spe vitæ, ac salutis æternæ alienus est.*Verba *Lactant.*4.*Instit c.*30,apud *Kochier.cit.lib.*1, *c.*5. Cunctæ inquam, ludicræ præter hanc,ut evidentissimè probat Bellarminus *tom.*1. *contr. de Summo Pontifice*, & *to.* 2.*de notis Ecclesiæ*, Probatque Sole clarius magnus ille Caramuel *Theol. mor. fundam.* 3 *fundam.* ubi omnes controversias,quæ hodie in orbe Christiano ventilantur, magno Catholicorum bono, ad vnicum syllogismum reducit:hoc-est : *Quicquid Ecclesia Romana definivit est verum : At illa hoc definivit:&c.Hoc ergo est verum* . Probat verò Sole clarius,ut dicebam,veram Ecclesiam esse Romanam; veram autem errare non posse.

mi censentur [11]. *Ita Principi navigãdum*, inquit Saavedra [12], *seu mare tranquillum habeat, seu tempestatibus inquietum, ut lucidissimam gloriæ pharum nunquam dimittat ex oculis. illud identidem animo volvens (ut ne quid personâ suâ indignum admittat, aut cogitet) de illâ, déque ejus actionibus & operibus, seculis omnibus, & omnibus nationibus locuturam Historiam. Principes alios superiores non habent, nisi Deum, & famam: ii soli, pœnæ & infamiæ metu ad honestè operandum eos obligant. quo fit, ut ab Historicis sæpe magis, quàm à suis metuant hostibus, magísque calamum formident, quàm gladium.* Porrò gloriæ studere debent, famæque quam-maximè: atqui *fundamentum perpetuæ commendationis & famæ est justitia, sine quâ nihil potest esse laudabile* [13]. maxime-verò in Principe, qui in primis debet operã dare, ut juris, & judiciorũ æquitate suũ quisque teneat: ut neq; locupletibus ad sua vel tuenda, vel recuperanda, obsit invidia, neq; tenujores propter imbecillitatẽ circunveniãtur [14]. Originẽ enim sceptri si repetis; *fruẽdæ justitiæ caussâ* reperies *olim bene moratos reges constitutos* [15]. *Virtus Principi decora est*, inquit Lipsius [16], *omnísne? ita censeo. sic tamen, ut species ejus quasdam magis necessarias fatear, quæ eminent & propriè regnum sibi postulant in Regno. Hæ mihi duorum generum: & sunt quædam ut minuta sidera, quædam ut magna. Inter magna luminaria habeo Iustitiam, & Clementiam; è quibus illam veluti Solem facio:*

[11] Verba *Polyb. apud Saavedr. Symb. polit. 15.*

[12] *Saavedr. ibid.*

[13] Verba *Cicer. offic. 1. Iustitia omnium virtutum causa, atque sentina.* Idẽ *1. de L.L.* Præclarè Augustus apud Senec. in Ludo: *Pietate, & justitia Prĩcipes Dii fiunt.*

[14] *Arist. 5. Polit. cap. 10. Cicer. offic. 2.*

[15] Verba *Cic. ibid.*

[16] *Lips. lib. 2, c. 10.*

cio:qui nisi Imperiorum omne corpus illuceat, tenebræ in iis, tempestas, nimbi. Tanta [17] *enim hujus vis est, ut nec ii quidem, qui scelere, ac maleficio pascuntur, possint sine ullâ particulâ Iustitiæ vivere. Poëtæ* [18] *illud falsum & improbum.* Sceptrorum vis tota perit, si pendere justa Incipit. *Oratoris* [19] *hoc verius:* Ius & æquitas, vincula civitatum. *Item illud divini viri* [20]: Remotâ justitiâ, quid sunt regna, nisi magna latrocinia? Quum ergo adversarius aperto ore, palámque blaterat, Ognattum accusatoribus illis manifestam injuriam intulisse, eámque ab iis, quibus inferebatur, non propulsâsse, nec vindicâsse illatam; illius nomini gloriæque summopere detrahit: famam, honorem, atque existimationem quam-maximè lædit; quin-etiam quam-maximas, turpissimásque illi notas inurit. Num idem facturus esset Adversarius, si Prorex ille regni clavum adhuc teneret? an verò tum ipsi terrorem ille incussit, aut timorem? ne minimum quidem. cur igitur eo temporis factum, apud eundem [21], questus non est? cùm id omiserit, non jure nunc, sed injuriâ queritur. *Si contra te jure pronunciatum est,* inquiunt Impp. [22], *nec appellationis auxilium imploratum est; intelligis acquiescere te statutis oportere. in sacro enim comitatu nostro timere nihil potuisti. His, qui tempore competenti non appellant,* Iulianus infit [23], *redinte-*

[17] Verba *Cic. loc. cit.*

[18] *Lucan. l.8.*

[19] *Cicer. pro Rab.*

[20] *Aug. 4, de Civ.*

[21] Dixi *apud eundem*; nō appellari à Præfectis prætorio non potest *l. 1, §. 1. ff. de offic. Præf. præt l. 19, C. de appellation.* *A Præfectis autē Prætorio, qui soli vice sacra cognoscere verè dicendi sunt, provocari non sinimus: ne jam nostra contingi veneratio videatur.* Verba *l. 16. C. Theodos. tit. de appellat.* Nō appellatur, inquam, adversus Præfect. nisi prætorio sententias, sed supplicatur. *l. un. C. de sent præf præt.*

[22] *Diocl. & Maxim. in l. 1. C. de his, qui per met. jud. non appellar.* In curia Principis cessat præsumptio justi timoris. *Bart. Paul. de Castr. & Salic hic.* ideoque multò minùs timendum ab ipso Principe. hic enim talis præsumitur, qualis esse debet. *Menoch præs. 30, lib. 2.*

[23] *In l. 2. eod.*

dintegrandæ audientiæ facultas denegetur. Omnes igitur, qui contra præfectos urbi, magistros officiorum, vel magistros militum, seu proconsules, seu comites, seu præfectos Orientis, seu vicarios Augustales, vel alium judicem, sub [24] *specie formidinis provocationem non arbitrantur interponendam, à revocandâ lite repellatur.* [25] An putet adversarius, rei ab eo Prorege judicatæ fore fluxam apud successorem auctoritatem [26]? *Si ea destruerem*, inquit Gregorius [27], *quæ antecessores nostri statuerunt, non constructor, sed eversor esse justè comprobarer, testante veritatis voce, quæ ait: Omne regnum in se ipso divisum non stabit, & omnis scientia, & lex adversum se divisa destruetur.* Idẽ [28] alibi scribit: *Quòd verò dicitis, nostris temporibus debere servari, quæ à meis prædecessoribus tradita, atque custodita sunt, absit à me, ut statuta majorum consacerdotibus meis in quâlibet Ecclesiâ infringam: quia mihi injuriam facio, si fratrum meorum jura perturbo.* Enimverò *justitiæ, ac rationis ordo suadet, ut qui sua à successoribus desiderat mandata servari, decessoris sui proculdubio voluntatem, & statuta custodiat* [29]. *Dum Iulius Cæsar præciperet ut Pompeji statuæ erigerentur, firmavit suas* [30]. exempla inobedientiæ, aut contẽptûs dissimulata, periculosa sunt etiam successoribus,

[24] *Qui vano timore nõ appellat, sentẽtiæ videtur acquiescere.* Verba *Gothofr. ad cit. l. 2.*

[25] *Quid faciat, qui justo metu ductus non appellat? Intra tẽpora appellationis coram notario protestari debet, per se non stare quominus appellet. Hujusmodi protestatio vim habet appellationis legitimæ. Mynf. 4, obf. 44, 45.* Verba *Gothofr in cit. l. 2.* cujus legis, quæ sequuntur verba, hæc sunt: *Qui verò vim sustinuerũt, cõtestatione publicè propositâ, intra dies videlicet legitimos, quibus appellari licet, causas appellationis evidenti affirmatione distinguunt: ut hoc facto, tanquam interposita appellatione, iisdem æquitatis adminicula tribuantur.*

[26] *Acta judicio semel promulgata perpetuam fidem faciunt, etiam vel mortuo, vel remoto judice, qui de causa cognovit* Verba *Gothofr. ad l ult. C. de re jud.* quæ lex sic loquitur: *Gesta, quæ sunt translata in publica monumenta, habere volumus perpetuam firmitatem. neq; enim morte cognitoris perire debet publica fides.* [27] *B. Gregor. in c. 4, cauf. 25, q. 2.* [28] *Idẽ in c. 10, q. cit.* [29] Verba ejusdem *B. Gregor.* in *c. 5, ead. cauf. q. 1.* *Vt quisquis alios habet, sic vicissim haberi solet.* Verba *Saavedr. Symb politic. 22.* [30] Verba *Saavedr. ibid.*

ribus, & *punitio audaciæ adversus antecessorem commissæ, successoris est securitas, & cautio omnibus ne idem tentare audeant* [31]. His rationibus motus Vitellius, quotquot pro cæde Galbæ, oblatis libellis, præmia petierant, conquiri, & interfici jussit: *tradito Principibus more*, inquit Tacitus [32], *munimentum ad præsens, in posterum ultionem*. His motus Davides, parricidas Saulis percuti jussit [33]: & Darius à cognatis suis, multis vulneribus, in gratiam Alexãdri, confossus, postremas voces emittens, perferri Alexandro jubet, *quòd ad ultionem pertineat, jam non suam, sed exempli, communémque omnium Regum esse càusam: eámque negligere illi & indecorum, & periculosum* [34]. An unquámne apud nos auditum, Proregum sententias, quanvis munere abierint, labefactatas? nunquam sanè. cur igitur nunc primùm infirmandæ? frangendæ? nónne *in rebus novis constituendis evidens esse utilitas debet, ut recedatur ab eo jure, quod diu æquum visum est* [35]? Ii Principum tutissimè agunt, qui præsentibus moribus, legibúsque, etiamsi deteriores sint, minimùm variantes, remp. administrant [36]. Præclara quidem Augusti Cæsaris ad Senatum Romanum cohortatio [37]: *Positas semel leges constanter servate, nec ullam earum immutate: nam quæ in suo statu, eadémque sem-*

31 Verba *Saavedr.* *ibid.*

32 *Tacit. histor.* 1.

33 2. *Reg.* 4.

34 Verba *Iustin.* *lib.* 11.

35 Verba *l.* 2, *ff. de Constit. Princ.* Nec mutanda, quæ interpretationem certã semper habuerunt. *l.* 23, *ff. de L.L. Et si de interpretatione legis quæratur; in primis inspiciẽdum est, quo jure civitas retrò in hujusmodi casibus usa fuisset: optima enim est legum interpres cõsuetudo.* Verba l. 37. ff. eod. *Nam Imperator noster Severus rescripsit, in ambiguitatibus, quæ ex legibus proficiscuntur, cõsuetudinem, aut rerum perpetuò similiter judicatarum auctoritatem, vim legis obtinere debere.* Verba l. 38, ff. eod. *Imò & si aliquando ita judicatum sit, videtur sufficere l. 34. supra eod.* Verba *Gothofr. ad cit. l.* 38.

36 *Laudatum Cleonis apud Tucydid. lib.* 3 *hist dictum: Eam Remp. quæ malis quidem, sed tamen immotis legibus utitur præstantiorem esse illa, quæ bonis quidem legibus utitur, sed tamen mobilibus, & inconstantibus.* Verba *Kechier. Thes. polit. lib.* 1, *c.* 4.

37 Apud *Dio. lib.* 52.

ſemper manent, etſi ſint non-nihil vitioſa, utiliora tamen ſunt his, quæ per innovationem, vel meliora inducuntur. Idémque cenſuit, præter Platonem [38], & Ariſtotelem [39], Cicero [40], probátque exemplo Lacedæmoniorum, qui ſoli toto orbe terrarum, ſeptingentos annos ampliùs, unis moribus, & nũquam mutatis legibus pacatiſſimè vixerunt [41]. *Ipſa mutatio conſuetudinis*, inquit Auguſtinus [42], *etiam, quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat*. Hactenus mihi videor, P. C. de Proregibus quod ſentirem dixiſſe ſatis: Nunc-jam de illo judicum collegio loquamur. Planè ſenioribus illis Adverſarius eſt iniquior, eiſdémque maximas, acerbiſſimáſque injurias imponit. quod illi veriſſimum, quod illi æquiſſimum judicârunt (viſo enim ſcripto Proregis, imperata fecerunt, & ne mutiendum quidem ſunt arbitrati) hoc junior iniquiſſimum eſſe contendat? an vos iſti plus tribuetis, quàm ſenioribus illis, quorum non in ſententiâ ſolùm, ſed etiam in nutu reſidebat auctoritas? Multa quidem in noſtrâ civitate præclara, ſed hoc de quo agimus in primis, quòd, ut quiſque ætate antecellit, ita ſententiæ principatum tenet.

38 *Plat. lib. 5, & 2. de L.L.*

39 *Ariſt. polit. 2.*

40 *Cicer. pro Flac.*

41 Hinc eſt, leges, quoad fieri poteſt, inter pretibus ſemper cõciliandas, perſpectis rationibus earum: ut poſteriores determinent potiùs, quàm extendant, aut reſtringant. Vide *Lex. jur. v. correctio.* Profectò *nihil æquè ſanitatem impedit, quàm remediorũ crebra mutatio.* Verba *Senec. 1, epiſt. 2.* Nunquam-ne: leges mutãdæ? nunquam, *niſi ſumma neceſſitas, & temporũ mores aliud exigant. hìc enim incongruũ minùs erit: modò leniter & ſenſim id fiat.* Verba Kochier. cit. c. 4. *ut quã minimo ſonitu orbis ille in Repub. convertatur.* Verba *Cicer. ad Attic.* apud eundem *Kochier. ibid.* exemplo Auguſti, qui ſub initia imperii, *non omnia ſtatim, uti decretum erat, exſecutus eſt, veritus ne parum ſuccederet, ſi ſimul homines transferre, & invertere vellet: ſed quædam ex tempore diſpoſuit, quædam rejecit in tempus.* Verba *Dio. lib. 52.* apud *Kochier. loc. cit.* 42 *B. Auguſt. epiſt. 118.*

net [43]. *Peritorum hominum & seniorum, seu prudentum pronuntiationibus*, inquit Aristoteles [44], *absque demonstratione, non minus quàm demonstrationibus attendendum est. quia ex ipsa experientiâ visum habēt, principia intuentur.* affert quippe vetustas omnibus in rebus longinquâ observatione incredibilem scien-

---

43 Iure quidem optimo: Callistratus enim: *Semper*, inquit, *in civitate nostra senectus venerabilis fuit: namque majores nostri penè eundem honorē senibus, quem magistratibus tribuebāt.* Verba *l. 5, ff. de jur. immunit.* Profectò senes olim summo in honore habiti. Vide *Gothofr. ad cit. l. 5. Gell. 2, Noct. 15. Majol. dier. canic. t. 5, colloq. 2. & Amay. ad l. 46, C. de Decur lib. 10.* Qui verò seniores? Varro *apud Majol. ibid.* in quinque gradus æquabiliter ætatem putat esse divisam atque unumquenque, præter extremum, in annos XV. *Idem autem ille* (Varro de vita Populi Romani, teste Nonio) *quartū ætatis gradum fecit, seniores usque ad annos LX, inde quintum, auctore Censorino, usque ad extremum ætatis, senes.* Verba *Sigon. de antiq. jur civ. Rom. lib. 1. c. 17.* Sed aliter dividunt Hippocr. & Galen. *apud Lex. jur. v. Senectus.* Imò Galenus *lib. 5, de tuend. sanit.* senectutem ipsam tripartitò dividit. Primam ab anno L. ad LX. Secundā à LX. ad LXX. Tertiā ab eo ad extremum usque vitæ spiritum: eosque, qui prima senectute sunt, civilia negotia obire potentes existimat, quòd consilio valeant. Vide *Lex. jur. ibid.* An ea majores præficiēdi Reipublicæ? *Cùm in quintum gradum pervenerant* (verba Varron. apud Sigon. loc. cit.) *atque habebant sexaginta annos, tum denique erant à publicis negotiis liberi, atque expediti & otiosi. ideo in proverbium quidam putant venisse: sexagenarios de ponte dejici oportere, idest quòd suffragium non ferant, quod per pontem ferebant.* Sed cur dejici eos oporteat non video, ni ita senio vexantur, ut muneri non sufficiāt? Vide *c. Archidiaconus dist. 85.* An juniores? *Cùm verò*, inquit Aristoteles 7. Polit. 9 *hi supersint, qui bello intendunt, & qui consultant de utilibus, & judicant de justis, & non justis, qui quidem maximè videntur partes civitatis, eisdem quidem ambobus resp. tradatur non simul quidem, sed ut natura fert. Vires quidem in junioribus, prudentia verò in senibus. Sic inter eos distribui commodum est, & justum esse videtur. habebit enim hæc distributio id, quod est secundum dignitatem. Sed quoniam magna hodie moles est legum, major commentariorum, & maxima litium volumina, non dubito quin in collegiis, senibus juniores misceri possint & ad juvandos labores debeant. Thes. in proœm decis.* Verba *Zyp. de Iudice, c. 38.* An non & sola virtus ad remp. capessendam aditum patefaciat? *Apud majores*, inquit Tacitus *id virtutis præmium fuerat, cunctisque civium, si bonis artibus fiderent, licitum petere magistratus, ac ne ætas quidem distinguebatur. Legibus annalibus majores nostri*, inquit Cicero Philip. 5. *cùm grandiorem ætatem ad Consulatum constituebant, adolescentiæ temeritatem verebantur. C. Cæsar, ineunte ætate, docuit, ab excellenti, eximiaque virtute, progressum ætatis expectari non oportere.* Rectè *Plin. in epist.* ait, ab optima indole frustra exigi annorum numerum. Rectè *Vopisc. in Prob.* in eo non expectari ætatem, qui virtutibus fulget, moribus pollet. Et rectè Cassiodor. *Spectata quidem virtus annalibus legibus subiecta non est: jamque honoris infulis adultam cingere dignus est cæsariem quisquis meritorū laude ætatis præjudicia superavit.* uti nostra ætate superavere nōnulli, quos inter incōparabilis ille vir, & Literatorū omniū studiosus, ac fautor, Dux Palatæ, D. Melchior de Navarra, & Rocafful: hic enim, nondum XXXIV ætatis annum egressus, meruit Regios inter à Latere Consiliarios adscribi, & hujus Regni Cancellariæ Regens creari. Tanta verò sapientia, animoque tam bene constituto gerit hæc munera, ut summis laudibus & nulla unquam cum exceptione à cunctis laudetur. De illo Caramuel, testis omni major exceptione, in libro, cujus præscriptio: *Respuesta al Manifiesto del Reyno de Portugal*, sic habet: *Por la Excelencia de su sangre, por la Modestia de su vida, por la Eminencia de sus letras, por la Entereza y Sinceridad de sus Resoluciones, merece y consigue affectuosos applausos.* Ex quo judicari potest, virtutis esse, quàm ætatis cursum celeriorem. *Cicer. loc. cit.* Profectò *est quibusdam, aut à majoribus, aut aliunde divinitus agnata indoles, cujus ductu ad res magnas atque egregias spōte feruntur: sed hæc admodum est rara.* Verba *Majol. loc. cit.*

44 *Arist. 6 Nicomach. 11.*

ſcientiam [45]. proptereáque ſcriptum eſt [46]: *Si omnibus inſpectis, quæſtionis qualitas non lucidè inveſtigatur; ſeniores provinciæ congrega, & eos interroga.* Si verò Petrum conſiderabitis, P.C. eritis illius ſtudioſi & cupidi quàm qui maximè. porrò, ſi parcendum eſt reo propter magna ipſius, aut majorum in remp. merita [47]: ſi ignoſcendi ratio quæritur ex iis locis: *Si plura, aut majora officia, quàm maleficia videbũtur conſtare: ſiqua virtus, aut nobilitas* [48] *erit in eo, qui ſupplicavit: ſiqua ſpes erit, uſui futurum, ſi ſine ſupplicio diſceſſerit* [49]: ſi denique majores noſtri in omni ſupplicio ſeveriùs famoſos, quàm integræ famæ homines punierunt [50]; quanto magis hæc ſatis erunt ad ſcrupuloſam hanc, & nullius momenti curam abjiciendam; vi-

Kk deli-

45 *c.2,16,q.4,Cic. 3.de Divin.*

46 In *c. de quibus diſt. 20.*

47 *Tiraq. de pœn. tẽper. cauſ. 49. Clar. q.60. Farin. q. 98.*

48 Nobiles mitior pœna manet. *l. 6, §. 1, ff. ad l. Iul. peculat. l. 4, §. 1, & l. ult. §. 1, ff. de incend. ruin. naufr. l. 3, §. 5, ff. ad l. Cornel. de Sicar.* & alijs apud D.D. ques citat *Carpzov. in pract. crimin. q. 2, 9, 38, 45, 62, 82, & 96.* maximè corporalis. *Clar. q.60. Carpzov. cit. q. 2.*

Sed vereor ne iſta diſpliceant Pontifici dicẽti: *In Epiſcopos, qui ſuum tranſgreſſi ſunt juramentũ, eſt tanto graviùs vindicandum, quanto majori praeminent dignitate, & eorũ exemplo faciliùs alii poterunt ad ſimilia provocari.* Verba *c. 12. de jur. jur.* Vereor etiam ne diſpliceant Imperatori Iuſtiniano, cujus in *l. 8, C. de Epiſc. & Cler.* Verba hæc ſunt: *Multo enim magis pœna digni ſunt, quibus cùm plurimum honoris per noſtram juſſionem delatum eſt, occulto inveniũtur in crimine.* Quid igitur? Rem ita diſtinguunt: Aut certa eſt ex legibus pœna, & judex eam nobili irrogabit: aut incerta, & mitiùs aget. *D.D.* apud *Carpz. locc. citt. & q. 148.* necnon apud *Bajard. ad Clar. cit. q. 60.* Certè in pœnarũ genere, nobiles, & plebeji diſſimiles. quũ his furcæ, illis gladii: quum triremiũ his, illis pœna relegationis imponitur. *Clar.* ibique *Addit. cit. q. 60. Grammat. deciſ. 36. Franc. de Ponte de poteſt. Proreg. tit. 1, §. 2.* ubi docet ex *Bart. in l. capitalium, § ſervi, ff de pœn.* ex *Fabio de Anna in conſ. 34*, & aliis, populares etiam cives, divites tamen honeſtoſque, hac in re, non ſecus ac nobiles haberi. Quanquam, ut verum fatear, quod de pœnarum genere diximus, id perpetuũ non eſt. Quid enim ſi nobilis, aut proditionis, aut aliquod aliud immane ſcelus admittat? *non ignoſcendum eſt militi, cui obviare oportet ut latroni.* Verba *l. 1, C. quãd lic. unic. ſine jud. ſe vindic.* Vide *Clar. Grãmat. & de Põt. locc. citt.* Puto tamẽ loci morẽ cuſtodiẽdũ *D.D.* apud *Bajard. loc. cit. Ariſt. 5 Polit. 11.*

49 Verba Rhetor. ad Heren. *Ad beſtias damnatos, favore populi, præſes dimittere non debet: ſed ſi ejus roboris, vel artificii ſint, ut dignè populo Romano exhiberi poſſint, principem conſulere debet.* Verba l. 31, ff. de pœn. *Senatus, qui eſt loco Principis, utique hoc facere poteſt à ſe ipſo: & aliquando vidi hoc fieri ante ſententiam, ut ſcilicet pœna minueretur, non autem remitteretur in totum: poſt ſententiã verò omnino Princeps eſt adeundus.* Verba *Clar. q. cit.* Vide *Gothofr. ad cit. l. 31.* 50 *l. 48, §. ult. ff. de pœn. l. 5, ff. de re milit. Tiraq. cauſ. 51. Farin. q. 22. Clar. q. cit.*

delicet, fas ſit reum peragi nécne, poſtquam Regis Vicarius judicii perſecutionẽ inhibuit, quòd ſciret, occultos inimicos in eum adornâſſe calumnias, & falſam accuſationẽ intendiſſe? quot verò ſint, & quanta Petri apud remp. merita, qualis ſit Petri virtus, an ſit uſui futurus, an ejus vita fuerit conſentiens, virtutibúſque reſpondens; Iberi maris præfecti, olim Proregis, ad noſtrum Regẽ, quæ in actis eſt, epiſtula, non obſcurè, ſed clarè, luculentérque teſtatur. Sed jam ad alterum, quod mihi probandum ſupereſt, mea currit oratio: nimirum Adverſarii poſtulationem non poſſe exitum invenire. Ad hanc rem, P.C. duo ante omnia in memoriam revocetis oportet. Primum, nos eã Proregi reverentiam debere, quam Regi ipſi; propterea quòd eum Rex alterum ſe facit [51]. *Princeps ſe in Vicarium, Vicarius ſe in Principem transfundit: ille per hunc, hic pro illo agit: ille commodatâ, hic acceptâ majeſtate* [52]. Enimverò Præfectus prætorio ceteris omnibus antiſtat [53], eſt pater imperii [54], eíque

51 *De Pont. de poteſt. Proreg. tit. 1, & tit. de aſſenſ. Reg. 9.5. Maſtrill. de Magiſtr. lib. 5, c. 6. Solorz. de Indiar. jur. t. 2, lib. 2, c. 4.* Formulam patentium literarum Proregis vide apud *Surg. de Neap. illuſtr. c. 14.*

52 Verba *Zuer. emblem. polit. 16.*

53 *Valent. Valens, & Gratian. in l. 1, C. de offic. Vicar. Si fas eſt comparare veterem, ſummâque illã dignitatem cũ praeſẽti aliqua; Praefecti praetorio vicem ſuſtinere hodie videntur, qui ab Hiſpano rege, regnis aliquot praefecti delegãtur: quales denique poſſis dicere vicereges provinciarum Hiſpanicæ ditionis: Luſitanicos, Neapolitanos, Siculos, Mediolanenſes, Belgicos, Indicos, & his ſimiles.* Verba *Gothofr. ad tit. C. de offic. Praef. praet. Orient. & Illyr.* Cum Gothofredo ſentiunt *Surg. & Maſtr. locc. citt.* Ab his diſcedunt quidam apud *Maſtr. ibid.* putant enim, Proreges Proconſuli, aut provinciæ Præſidi conferendos. Sed *certè Viceregis authoritas amplior videtur eſſe, quàm praefecti praet. fuerit: cùm illi fuerit limitata in Magiſtro militum; iſti verò nullo prorſus limite arctata ſit. eſt enim Vicerex, Locumtenens, & armorum Capitaneus generalis, tam in mari, quàm in terra, ut ex ejus formula jam praeſcripta patet.* Verba Surg. tr. cit. c. 22. quem ſequitur Maſtrill. loc. cit. *Una eſt perſona cum Principe.* Verba Surg. ibid. *Poſſunt Proreges ea omnia, quae ipſe Rex, ejuſque privilegiis omnibus, & praerogativis fruuntur, quibus Rex ipſe gaudet, & fruitur, etiam ſi eſſent ſpecialia, & perſonalia. habent mandatum cũ libera, etiam in reſervatis. competit titulus excellentiae. Ea omnia, quae de perpetuis Vicariis imperialibus à Doctoribus tradita ſunt, procedunt in Proregibus noſtri temporis. Reputantur Principes, eorumque vice fũguntur. Sicut Legatus à latere in provincia ſibi commiſſa dicitur Princeps, venitque Sedis Apoſtolicae appellatione; ita Proreges, Legati à latere Principis cenſentur, ex clauſula in eorum privilegio; ibi:* A dextero latere noſtro ſumptum, perſonamque noſtram, & alterum nos repraeſentantem. *Sedent in eodem ſupremo ſolio, ubi ſedere conſuevit Rex, quando eſt in regno: idemque honor, ac reverentia ei debetur, ſicut Regi, cujus eſt imago.* Verba *Maſtr. cit. c. 7.* & apud eum Iura, & D.D. Vide *Caſſiodor. var. 5. in form. Praef. praet.* 54 *Caſſiodor. loc. cit.*

eíquererum ſumma commiſſa eſt [55]. licèt aliæ dignitates habeant titulos præfinitos;ab illo totum penè geritur, quod in Regno æquabili moderatione tractatur [56]. nullus ei de fori ſui auctoritate præſcribit [57], & gratanter implenda, quæ ille conſtituit; cujus reverentia Regem ipſum ita cõſtringit,ut ſine dubitatione faciat, quæ illum decreviſſe cognoſcit [58]. judicat vice ſacrâ [59],& non au-

55 *L.40, C. de Decur. lib.10.*

56 *Caſſiodor.loc.citato.*

57 *Caſſiodor. ibid.*

58 *Caſſiodor. ibid. Ob vitandas lites*, inquit Solorz.de Ind.jur. lib.2,c.7. *& ipſorum proregũ authoritatem magis ſtabiliẽdam,publica utilitati convenire judicatur,eorum facta,& decreta, facilè non convellere , & revocare.*Scribitque Marcianus in l.65,§.2,ff.ad S.C.Trebell.*Cùm prætor cognita cauſa, per errorem,vel etiam ambitioſè juberet,hæreditatem ut ex fideicommiſſo reſtitui , etiam publicè intereſt reſtitui, propter rerum judicatarum auctoritatem.* Obiter notes velim , hujus legis in vulgata editione,pro *juberet*,haberi *jubet*,& pro *ut ex* haberi *ex* ſine *ut*.putarunt,credo,ea irrepſiſſe, quòd neque adverterint,tempus aliquando pro tempore,atque amœnè poni.*Valla Elegant.lib.3,c.48.* neque,quemadmodum apud Græcos ὥστε infinitivum exigit, ita *Ut* quoque interdum infinitivum apud Latinos adſciſcere pro ſubjunctivo.*Voß. de arte Grammat.lib 7, c.62.* Similis eſt locus Ulpiani *in l.62, ff ad L.Falc.*Verba hæc ſunt:*In Lege Falcidia hoc eſſe ſervandum Iulianus ait: ut ſi duo rei promittendi fuerint,vel duo rei ſtipulandi,ſiquidem ſocii ſint. in ea re dividi inter eos debere obligationẽ.* ait:*Ut dividi debere obligationem* pro *Ut dividi debeat obligatio.*Horatii quoque eſt lib. 1, Od. 11. *Neu Babylonios Tentaris numeros, ut meliùs quicquid erit pati.* hoc-eſt, *ut meliùs patiaris.* An dixeris , non illa in hunc modum repoſita , quòd exiſtimatum ſit , *ut* infinitivum haut adſciſcere,ſed quòd,quorundam ſententia,verbum *jubeo* particulam *ut* reſpuat?atqui *Plauti* eſt Amphit.4 *Iubent ſententiam ut dicant ſuam.*Nec refugit Macrob.lib.1.,Saturn.c.12.*Sacrorum cuſtodibus juſſit*(Hercules)*ne mulierem intereſſe permitterent.*ubi nemo dixerit, ſubjunctivum exigi vi adverbii *ne* pro *non*,ſed particulæ *ut* per ellipſin omiſſæ :integrum enim eſſet : *ut ne mulierem intereſſe permitterẽt.*quale illud Cicer.pro Mil.*Opera datur,ut judicia ne fiant.* illud in Verr. *Imperant,ut ne jurent*,& alibi ſæpius idem Cicero, ceterique illius feliciſſimi ſeculi Scriptores , Plaut. Terent. Varr. Vitruv. Liv. Modeſtin. Vide *Voſſ.de arte Grammat.lib.7,c.36*,& 67.& *Conrad.in Guarin.reſtit.de Infinit.in appendic.* At cur *Iubeo te, ut ſcribas*, quod multi inculcant (etiam *Vall. lib. 5,c.68*)latinum non eſt?teſtibus *Alvar.de Inſt.Grammat.de conſtr.verb.activ. & Voſſ. cit. cap.36.* Quia hoc verbum accuſativum perſonæ reſpuit. *Alvar.ibid.* Crebrò quidem cum accuſativo perſonæ jungitur,ſed is convenit cum infinitivo,non cum *jubeo*:ut cùm dico,*Iuſſit te ire,ſcribere,loqui.*Sæpe autem verbum infinitivum ſubintelligitur. habes exempla apud *Alvar.* & *Voſſ. locc.citt.* Dicet aliquis,hæc mihi dicta oſtentandæ gratia Latinitatis, ejuſque inutilis. Non is certè ſum, qui me putem Latinè ſcire:nam longè alia eſt noſtri ratio, quàm veterum ; quibus lingua Latina erat vernacula,eamque vulgus ipſum velut cum lacte nutricis imbibebat. verùm quid ? Latinitas inutilis ? Ad hunc ego ſic : Te , mi homo , te ridet Budæus *in prior. annot.* & *noſter Zaſius locis non paucis evidenter planum fecit,quanto exponatur periculo,quiſquis jura civilia, nudus rei Latinæ,profiteri pergat.*Verba Spieg.in lex.jur.v.Latinitas.*Qui ſummi philoſophi fuerunt,ſummi oratores,ſummi juriſconſulti ſummi denique ſcriptores? nempe ii,qui bene loquendi ſtudioſiſſimi.* Verba *Vall.præfat.in Elegant.*Vide hac de re *Paræum in præf. lexic.Plaut.* Vin' dicam quid ſit quamobrẽ Romam reſpicias? Barbarus es,& civitate illa te donandum deſperas.

59 *Cit.l.16,C.Theod. de appell.Caſſiod.loc.cit.*

audent judices ejus imperia in aliquâ parte contemnere [60]. Alterum, quod meminiſſe oportet, P.C. illud eſt; nempe procliviores nos eſſe debere ad abſolvendum, quàm condemnandum: ſatius enim eſt, impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnare [61]. *Arrianus ait, multum intereſſe, quæras, utrùm aliquis obligetur, an aliquis liberetur. ubi de obligando quæritur, propenſiores eſſe debere nos, ſi habeamus occaſionem ad negandum. ubi de liberando, ex diverſo, ut facilior ſis ad liberationem* [62]. Scribítque Ariſtoteles [63]: *Noſtrûm unuſquiſque nocentem potiùs velit liberare, quàm innocentem condemnare: ut ſi de aſſertione libertatis, aut homicidii agitur, reum liberare potiùs velimus nocentem, quàm condemnare innocentem: cùm enim quis ambigit, errorem ſuſcipere debet leviorem: nam etſi iniquum etiam eſt, liberum aſſeruiſſe, qui ſervus eſt; longè tamen eſt iniquius,*

60 *Caſſiodor. ibid.* Itaut, quanvis arcana prætermittat documenta, quibus ejus poteſtas cohiberi ſolet; tamen factum ſit ratum, firmumque: neq; enim tam curioſa Provincialibus eſt permittenda procacitas, ut audeant documẽta petere, ad videndum, an iis proregis facta conveniant. *Solorzan. loc. cit.*

61 *L. 5, ff. de pœn. Non imperat meliùs, qui acriùs caſtigat, ſed qui excuſat cum prudentia, eaque moderatione, ut ne plectendi anſam porrò præbeat. prorſus ſicut chirurgo nemo honori tribuit, ſi multa brachia, & tibias reſecet.* Verba *Saavedr. Symb. polit.* 22. Imò *magna Principis prudentia eſt, eo uti caſtigationis genere, ut cum minori delinquentis damno expietur culpa, & offenſa facta reip. Turbant Galaciam Viri quidam Nobiles, & tametſi capitis rei eſſent; accerſivit eos ad ſe Rex Ferdinandus IV, & in muneribus militaribus occupavit: quo factum, ut nonnullos caſtigaret hoſtis, alios belli aſperitas & labores, atque ita provincia illa quieti priſtina reſtitueretur.* Verba *Saavedr. ibid.*

62 Verba *l. 47, ff. de oblig.*

63 *Ariſtoteles probl. 13, ſect. 29.* apud quem aliæ rationes. profectò *ſemper in dubiis benigniora præferenda ſunt.* Verba *l. 56. de reg. jur.* Etenim *in re dubia benigniorem interpretationem ſequi, non minus juſtius eſt, quàm tutius.* Verba *l. 192. §. 1. tit. eod.* maxime verò in pœnalibus. *l. 32, & 42, ff. de pœn.*

quius, servum sanxisse, qui liber est [64]. Quòd si ista sunt judici diligenter custodienda; quanto magis custodienda, observandáque Principi, *apud quem eße debet parsimonia etiam vilissimi sanguinis, quique curare debet, ut sui existiment, ipsum tanquam invitum, cum magno tormento ad castigandum venire* [65], *nec tam delicta velle punire, quàm tollere* [66]. *Nemini odio est Princeps, qui castigat*, inquit Saavedra [67], *si cum animi dolore, & invitus id faciat.* An-

64 In dubio libertas est potior, *l. 38, ff. de re jud.* potior & reus. cit. l. 38. *Favorabiliores rei potiùs, quã actores habentur*. Verba l. 125. de regul. jur. *l. 20, eod. In eo, quod vel is, qui petit, vel is, à quo petitur, lucri facturus est, durior est causa petitoris.* Verba l. 33. eod. *In pari causa possessor potior haberi debet.* Verba l. 128. eod. *Semper oneratur petitor, & melior habetur possessoris causa.* Verba *l. 154, eod.* Potior, inquam reus: quod & in judiciis publicis obtinere oportet. *cit. l. 38.* Cur ita? quia stat pro innocentia possessio. *Ratio (cit. l. 125.)* inquit Caram. Theol. fund. mor. ad l. cit. *sumitur à poßessione: nam reus est in sua innocentia possessione, à qua non debet ejici quousque convincatur fuisse nocens.* Plerasque alias hujusce rei rationes pete ab *Aristotel.* & *Septal. problem. cit.* atque adeo pete ab *Alciat. 3. præs. 44.* Multa quidem recepta sunt favore innocentiæ, de quibus videto *Menoch. 5. præs. 47. Mascard. concl. 905. Matth. de crim. tit. 15, c. 7.* & *Carpz. in pract. rer. crim. q. 115.* Illud non omiserim; nempe, quantum ad illam speciem probationis attinet, quæ per testes fit, inter crimen, & innocentiam, tres apud Interpretes differentias reperiri. Primam, quòd accusator, criminis probandi caussa, testes non possit producere ad perpetuam rei memoriam, *Farin. q. 76 par. 4.* reus possit probandæ innocentiæ gratia. *Farin. ibid.* Secundam, quòd crimen uno teste probari non possit. *Deut. 17, v. 6. & cap. 19, v. 15, l. 9. §. 1. C. de test. l. 20. ff. de quæst. Farin. q. 63.* innocentia possit. *Farinac. ibid.* & *D.D. à nobis citati Cert. 2, n. 117.* Tertiam, quòd crimen non probetur, nisi per testes omni exceptione majores. *D.D.* apud *Guazzin. defens. 33, c. 14.* innocentia etiam per testes minùs idoneos. *Farin, q. 62, limit. 5.* imò per quamlibet semiplenam probationem. *Matth. loc. cit.* Sed vereor ne hæc hodie sint inversa, præpostereque se habeant: *Plerique namque judicum criminalium sunt duriores, ne dicam crudeliores, qui rigorosissimè super dorsum pauperum inculpatorum procedunt, & contra omnes juris terminos, approbatos mores & usus consuetudinarios, alios perdunt, alios mactant, alios mancos reddũt: legum sanctitatem violant, & humanam societatem evertunt. Carnifices, non judices, qui suspectum in carcerem detrudunt: statim torturæ subjiciunt, nec priùs inquirunt, an crimen perpetratum sit, nec-ne: an veritas criminis aliter haberi possit nec-ne. quibus inconsideratis, statim ad cruciatum, ignem, tormentum, supplicium recurrunt. Vt non immeritò, quod olim conquesti sunt Ordines Imperii, adhuc sit deplorandum: Periculosissimum reip. vulnus infligi, dum insontes in vincula conjiciuntur, quæstionibus temere subjiciuntur, pœnis immeritis afficiũtur, ut inquit Imperator Carolus Quintus in præf. ord. crimin.* Verba sunt *Carpzov. tract. cit. q. 116.* Nimirum *Iudices, ut plurimùm, canonibus, legibusque neglectis, propriam in definiendis causis amplexantur sententiam, quasi legum ipsi latores fuerint.* Verba *Matienzi, de Referend. Iud. & Advoc. offic. par. 2, c. 2.* Vereor, inquã, ne res inversa sit apud exteros, ex his, quæ modò retulimus. apud nos enim Iudices sũt verè legũ custodes. Præfuere semper judicibus Magnæ Curiæ viri omni majores exceptione: præsidetq; dũ hæc divulgo, vir ad omnia natus, Regius Consiliarius, D. Ferdinandus Moscoso-Sandovalius, qui post multa præclarissimè gesta: post deletos, ad unum usque, cũctos, eosq; innumerabiles Aprutii prædones, provinciasq; illas in integrum restitutas; ad Proregentis Magnæ Curiæ munus fuit accitus: quo in munere sic succẽset iniquitati, ut consulere humanitati meminerit: nec in peccatorũ atrocitatibus exercet ulciscẽdi libidinem, sed peccatorum vulneribus curandi adhibet voluntatem: juxta *tex. in c. 1, 23, q. 5.* 65 Verba *Senec 1 de Clem.* 66 Verba *Cassiodor. 1 variar.*

67 *Saavedr. cit. Symb. 22, Omnibus est odio crudelitas, & amori pietas, & clementia.* Verba *Cicer. in epist. fam.*

Antoninus, Lucullus, & Scipio hoc nomine summopere laudātur, quòd diceret, malle se vnũ civẽ servare, quàm mille hostes occidere [68]. Vespasianus nunquam cæde cujusquam lætatus, justis suppliciis illacrimavit etiam, & ingemuit [69]. & Nero ipse, cùm de supplicio, cujusdam capite damnati, ut ex more subscriberet, admoneretur: *Quàm vellem*, inquit, *nescire literas* [70]! His ita libatis, P.C. in hunc modum ratiocinor. Principi in aliquem severiùs vindicari jubenti parendum est [71]: *Principibus* enim *summum rerum judicium Dii* dede-

[68] Capitol. in Antonin. Plut. in Lucull.

[69] Sueton. in Vespas.

[70] Sueton. in Neron. & Senec. 1 de Clem.

[71] Nisi extra ordinem, & ab irato principe jubeatur: tunc enim supplicium differendũ in trigesimum diẽ; ut ita princeps ipse, intermedio tempore, *secunda deliberatione* (ut loquitur Ammian. Marcell. lib. 15) iram mitigare possit, & placato animo, clementiæ, & pœnitentiæ locus esse queat. Verum enim est illud Senecæ in Agamennone..... *Da tempus, ac spatium tibi: Quod ratio nequit, sæpe sanavit mora.* Vide *Iacob. Gothofr. ad l. 13. C. Theodos. tit. de pœn.* quæ est 20 *in C. Iustin. tit. eod.* ubi vide *Dionys. Gothofr.* ejus autem legis verba hæc sunt: *Si vindicari in aliquos severiùs contra nostram consuetudinem pro causæ intuitu jusserimus, nolumus statim eos aut subire pœnam, aut excipere sententiam, sed per dies triginta super statu eorum sors & fortuna suspensa sit.* Roget aliquis: Cur parendùm? an quia verum illud Caligulæ apud Sueton. *Memento mihi omnia, & in omnes licere?* aut illud Anaxarchi, qui cũ Alexander M. immodica libertate, ut ait Curt. lib. 8. se abusum sentiens, egregio milite, & nisi erubesceret confiteri, servatore sui interfecto, triduum jam jacuisset inclusus, nec cibum, nec somnum ullum capiens, tali eum oratione reddidit sibi, quæ est apud Plut. in Alex. M. *Nescis, assessorem Iovi, justitiam, & fas esse, quo quicquid actum abs dominante fuerit, id jus, & fas sit?* minimè-verò. Princeps legibus Dei, naturæ, & gentium inferior est, perinde atque reliqui, qui vitam humanam vivunt. Arnis. de jur. majest. lib. 1, c. 3, & c. 3. lib. 2. *Sicut enim in potestatibus societatis humanæ major potestas minori ad obediendum præponitur, ita Deus omnibus.* Verba c. 2, dist. 8. *Recta ratio*, inquit Lact. lib. 6, c. 8. ex Cicer. de Rep. *naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna; quæ vocat ad officium jubendo, vetando, à fraude deterret: quæ & omnes gentes, & omni tempore ipsa una, & sempiterna, & immortalis continet: unusque erit communis quasi magister, & Imperator omniũ Deus, legis hujus inventor, disceptator, lator: cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernabitur, atque hoc ipso luet maximas pœnas, etiam si cætera supplicia, quæ putantur, effugerit.* Imò *licèt lex imperii solennibus juris Imperatorem solverit; nihil tamen tam proprium imperii est, quàm legibus vivere.* Verba *l. 3. C. de testam.* Vide, quæ dicebamus *Certam. 4. n. 43.* Cur igitur parẽdum? Quoniã justa imperare creditur. *D. D.* apud *Anton. de Nig. in c. Regn. subditorum de violẽt.* apud *Farin. q. 97, cas. 2, inspect. 1.* & apud *Solorz. de jur. Indiar. lib. 2, c. 27.* Quid si jussum sit evidenter injustum? *Si bonum est, quod præcipit Imperator, & præses; jubentis obsequere voluntati: si verò malum, responde ei illud de actibus Apostolorum* (*obedire Deo oportet magis quàm hominibus*) Verba *c. 93, 11, q. 3.* Adde *D. D. cit.* Quid facias? Rescribe ad Principem. Quid si iterum jubeat? putant alii, te sine piáculo obedire, alii negant. Vide *D. D. cit.* quibus adde *Clar. ibique Add. §. fin. q. 60.* Sed hæc obiter dicta sunt: nam apud Reges nostros (credo & alienos) non habent usum illa Regum imperia, de quibus Cicer. pro Rabir. *Animadverte, & dicto pare.* non semel enim ad Proreges, aliosque Magistratus scripserunt ea, quæ Antiochus III, teste *Plut. in Apopht.* scribere solebat: *Si quid contrariũ legibus per Epistolam jussero, nolite parere, sed me ignoratione lapsum putetis.*

dederunt;subditis obsequii gloria relicta est [72]. propteréaque negant [73], se malè gessisse Ducem Galeatium Sfortiam, quum Varisii prætorem damnavit ad furcam, quòd cujusdam à se imperatum supplicium omiserat. profectò, *si ubi jubeatur, quærere singulis liceat; pereunte obsequio, etiam imperium intercidit* [74]. Principi, inquam, parendum quum imperat res id genus; quid igitur faciundum quū jubet aliquem dimitti? num sit absolutione favorabilior, atque præstantior condemnatio? númne pericula civium saluti eorum anteferenda? an ulláne re aliâ Principes propiùs ad Deum accedunt, quàm salutem hominibus dando [75]? porrò *nihil est tam deforme, quàm ad summum imperium acerbitatem naturæ adjungere* [76]: & *nihil est tam regium, tam liberale, támque munificum, quàm opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis homines* [77]. Oportet Principem, beneficiis potiùs, quàm pœnis ingenia nostra experiri [78]: longéque valentior amor ad obtinendum quod velis, quàm timor [79]. *Qui benignitate, ac clementiâ impe-*

[72] Verba *Tacit. Annal.* 4.

[73] *Boss. de homin. Clar. & Farin. locc.citt.* Sed, ut verum dicam, mihi maximè arridet illud Senecæ, natur. qq. lib. 2 *Iovem, idest Regem, prodesse etiam solū oportet: nocere nōnisi cùm pluribus visum est. Discant hoc ii, quicunque magnam potentiā inter homines adepti sunt: sine consilio nec fulmen quidem mitti: advocēt, cōsiderent multorum sententias, placita temperent, & hoc sibi proponant: ubi aliquid percuti debet; ne Iovi quidem suum satis esse consilium.* Vide *Aerod. rer. jud. lib. 9. tit. 14, c. 2.*

[74] *Tacit. histor. 1.*

---

75 *Cicer. pro Ligar. Nihil est tam peculiare imperialis majestatis, quàm clementia, & humanitas per quam solam Dei servatur imitatio.* Verba *l. ult. C. de don. int vir. & uxor.* 76 *Cicer. ad Q. fratr. epist. 1.* 77 *Cic. 1. de Orat. Nihil enim laudabilius, nihil magno, & præclaro viro dignius placabilitate, atque clementia.* Verba *ejusd. offic. 1.* 78 *Plin. in Paneg.* Probè hoc intellexit Alphonsus Aragonius: quum enim argueretur, quòd nimis mitis, ac lenis esset erga suos, ut qui nonnūquam etiam iis, qui vel graviter in ipsum deliquissent, ignosceret: *Malo*, inquit, *multos mea clemētia, & māsuetudine servare, quā paucos mea severitate perdere. Panor. de Gest. & Dict. Alph.* dicebatq; *Iustitia beneficio probos mihi devincio; Clemētia improbos.* teste *Saavedr. Symb. polit. 22.* Avitā virtutē hanc egregiè imitatus est purpuratus Pontifex Aragonius quum hic Proregis munus obiret: hanc-ve summo studio imitatur Vicerex D. Petrus, ejusdem Pontificis germanus frater. hac verò cum judicio adhibita, ceterisque præclaris, & nunquam satis laudatis virtutibus, Heroēs isti omnia sibi conciliaverunt, quæ sceptro digna. 79 *Plin. lib. 8. Epist.*

imperium temperavere, inquit Sallustius [80], *his candida, & læta omnia fuerunt: etiam hostes æquiores, quàm aliis cives* [81]. Atque hinc illa cautio: *Si quid statuendum acerbius, si quæ pœnalis ferenda sententia; per Ministrorum manus id fiat, suam verò, quantum fieri potest, Princeps celet. Illi, populi indignationem, rigoris, ac pœnæ odium sustineant, non iste. De Iove antiqui dicere solebant, quòd benignos solùm vibraret radios, qui absque cujusquam offensione minarentur, ejusque potentiam ostenderent, alios verò per Deorum cōsilium. Ministri severi habeantur, & duri; Princeps benignus & clemens audiat. Illorum est accusare, & condemnare, Principis absolvere, & veniam concedere* [82]. *Quia*

præmia

80 *Sallust. ad Cæsar.*

81 Siquidem nihil est, quod magis Principem gétibus commendet, quàm Clementia. Marc. Ant. Phil. apud Vulcan. Gallic. *Clementia non tantùm honestiores, sed tutiores præstat: ornamentumq; Imperiorum est, simul & certissima salus.* Verba Senec. 1. de Clem. *Nō enim sic excubiæ, nec circunstantia tela, quàm tutatur amor.* Verba *Claud. ad Honor.* Roget quis: An semper clementem esse oporteat? *Ita probanda est mansuetudo, atque clementia, ut adhibeatur reip. causa severitas, sine qua administrari civitas non potest.* Verb. Cicer. offic. 1. *Tam omnibus ignoscere crudelitas est, quàm nulli.* Verba Senec. 1. de Clem. *Nec minùs noxia est Populo clementia nimia, quàm crudelitas: & graviùs interdum impunitate, & indulgentia peccatur, quàm ipso delicto.* Verba Saavedr. Symb. polit. 22. maximè autem hodie, quādo flagitia & facinora sine modo sunt. *Nati omnes peccare, & labi sunt, quà privatim, quà publicè, neque lex est quæ satis validè vetet, aut capiat modum.* Verba Thuc. lib. 3. Ergone, inquies, semper hodie puniēdum? Non ex publico id usu, quia *severitas amittit assiduitate auctoritatem.* Verba *Senec. 1. de Clem.* & nescio quo obnitendi vitio, *videbis, ea sæpe committi, quæ sæpius vindicantur.* Verba *Senec. ibid.* Quid ita? *Frequens vindicta paucorum odium reprimit, omnium irritat.* Verba *Senec. ibid.* Quæ igitur cautio? *Omnia scire, non omnia persequi; parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodare: nec pœna semper, sed sæpius pœnitentia contentus esse.* Verba Tacit. Agric. *Cavendum est etiam, ne major pœna, quàm culpa sit, & ne iisdem de causis alii plectantur, alii ne appellentur quidem.* Verba *Cicer. offic. 1.* Hæc summa. *Perspiciendum est judicanti, ne quid aut duriùs, aut remissiùs constituatur, quàm causa deposcit. nec enim aut severitatis, aut clementiæ gloria affectanda est, sed perpenso judicio, prout quæque res expostulat, statuendum est. Planè in levioribus causis proniores ad lenitatem judices esse debent, in gravioribus pœnis severitatem legum cum aliquo tēperamento benignitatis subsequi.* Verba l. 11, ff. de pœn. Vide hac de re *Lips. 2. Politic. 12. & 13. Chokier. Thes. polit. lib. 2, c. 5, & 6. Saaved. cit. Symb. 22. & Iuglar.* in libro, cui titulus: *La Scuola aperta à Prencipi, cap 13.*

82 Verba *Saavedr. Symbol. polit. 57.* Adde *Aerod. rer. judic. lib. 9, tit. 14. c. 2. Honores ipse per se tribuere debet, pœnas autem per alios, magistratus, & judices irrogare.* Verba Arist. 5. Polit. 11. *Inclinatio Senatus* (in M. Hortalum) *incitamentum Tiberio fuit, quò promptiùs adversaretur.* Verba *Tacit. Annal. 2. & Iunium Gallionem, qui censuerat ut prætoriani, auctis stipendiis, jus apiscerentur in quatuordecim ordinibus sedendi, violenter* (idē Tiberius) *increpuit: velut coram rogitans, quid illi cum militibus? quos neque dicta imperatoris, neque præmia, nisi ab imperatore accipere par esset.* Verba *Tacit. Annal. 6.*

præmia gratiosissima, pœnæ verò odiosissimæ sunt, inquit ille [83], *optimè fecerit Princeps, si ipse præmia omnia, curationes, munera, largitiones, beneficia, restitutiones, privilegia tribuat; pœnam verò irrogare ministros sinat: ut hac ratione benevolentiam quidem in se, odium in alios derivet* [84]. *Ideo veteres Ægyptii legem inde à Prometheo usque repetebant, quâ reges, non modò occidere prohiberentur, sed etiam supplicia spectare, ut scribit Plutarchus: ne ex illis spectaculis ullum in spectatoribus crudelitatis vestigium restaret* [85]. Sed jam (omissis quæ objicit Adversarius, neque enim tanti sunt, ut eorum confutandi causâ tempus

Ll tera-

[83] *Hippolyt. à Col. lib. in Princ. c. 3.*

[84] *Placet viri magni* Xenoph. in Hieron *scitum*, inquit Lipsius 4 Polit. 11. *viro Principi, ubi pœnarum, aut coërcitionis res est, aliis id delegandum: ubi premiorum, aut munerum, ipsi obeundum.*

[85] *Denique postremo*, verba Lips. loc. cit. *supplicia ipse nunquam exigas, atqueadeo vix spectes: nam &* Nero subtraxit oculos, jussitque scelera, non spectavit. *Verba* Tacit. Agric. *Ferina ista rabies est, sanguine, ac vulneribus gaudere.* Verba Senec. 1 de Clem. *Qui fruitur pœna, ferus est: legumque videtur vindictam præstare sibi.* Verba *Claud.* apud *Lips. loc. cit.* Vituperatur Volasus Asiæ procõsul, qui cùm trecentos vno die securi percussisset, incedens inter cadavera, vultu superbo, quasi magnificum, & cõspiciẽdum aliquid fecisset; exclamavit: O *rem regiam!* Vide *Senec. 2. de Ira.* Vitio datum Caligulæ, quòd animadversionibus, pœnisque ad supplicium datorum cupidissimè interesset. *Sueton. in Calig.* Eoque nomine reprehenditur Verres à Cicerone *lib. 5*, quòd scilicet non solùm nova excogitarit supplicia, lictoribus, & carnificibus suis omnem petulantiam concesserit; verum-etiam ipse fuerit spectator suppliciorum. *Observatum etiam est*, inquit Suet. in Aug. *ne quoties introiret urbẽ, supplicium de quoquam sumeretur.* Et *cùm, eo mortuo, statua illius eo loco posita esset, in quo sontes puniebantur, Claudius Imperator aliò transferri jussit, ne ea vel semper inspiceret cædes, vel ne pœnis exigendis quasi interesset.* Verba *Ærod. c. cit. Pudet me*, inquit Ærodius ibid. *eorũ Aulicorũ judicum qui ad ostentationem, si qui suis sententiis, nova, aut acerbiore pœna afficiendi sunt, Principes ad ea spectacula invitant: nam quantum id abhorreat à natura, & officio Principum, ex eo patet, quòd si illuc quandoque proficiscuntur, videndo videri nolunt. Cur ita? Sciunt vel inviti, relegata ad judices severitate legum, clementiam apud se esse: atque, ut* Sol *tenebris lucem; ita etiam damnatis se liberationem, salutemque præsentia afferre oportere. Regi, ut in apibus, aculeo carendũ. Quid Ptolemæus? Cùm procul equitando, sontes ad supplicium trahi animadvertisset:* Accedamus, *inquit*, ut interventu nostro iis vitam largiamur. *& hoc etiam modo damnati restituuntur. Vtrùm verò quis dixerit, hoc* jus, *hanc prærogativam soli Ptolemæo competere? imò si & Romæ Vestales eo jure utebantur, ut, si casu, non de industria supplicio intervenissent, eximerẽt damnatum: si, ut scribit Gellius, etiam Flamines Martiales: si ut Plutarchus, Flamen Dialis; verisimile est, hoc privilegium à Regibus accepisse. & procul dubio competit omnibus nam, ut est apud Platonem, Principes propterea sacri sunt, &, Aegyptiorum more, quasi Sacerdotes, ne iis judiciis intersint, in quibus de cæde, de exilio, de carcere aliquid definitur.* Etenim *Non oportet quenquam à Principis sermone tristem discedere.* Verba *Vespasian.* Vide *Iun. qq. polit. 20, &* 105.

teramus [86]) ad Magnam Curiam conſiderandam mihi ventum eſt, P. C. Porrò ſi Petrus à Prorege dimitti non potuit; *ubi acceptum eſt ſemel judicium, ibi*; hoc eſt apud illud Collegium, de quo initio dicebamus, *& finem accipere debet* [87]: & repugnãdo Adverſarius, contendit ut Magna Curia munus alienum ineat, alienam in meſſem falcem injiciat. Sit legitimus judex Magna Curia; nónne in priſtinam libertatem Petrus eſt ante omnia reſtituendus? At cur ita? *Ne principali auctoritate circunſcriptus eſſe videatur* [88]. nam *Fides juſtitiæ fundamentum eſt* [89], & *ſanctiſsimum humani pectoris bonum* [90]: *quam in Capitolio vicinam Iovis optimi maximi, ut in Catonis oratione eſt*, Romani *eſſe voluerunt* [91]. *ut enim ille tutor humani generis, ſic iſta* [92]: *nec ulla*

86 Illud etiam, jure optimo, pro Petro allegaſſem; poſſe ſcilicet à Principe creari Magiſtratum rationibus reddendis liberum, ac ſolutum. *Niger in c. ſtatuimus de Sindic.* propterea; , multo majori ratione, potuiſſe Ognattum imperare, ut Petrus, qui olim jã ſui muneris rationes reddiderat, minimè perageretur. Neque illud perperam addidiſſem; nõ tantùm, videlicet, Ognattum; verùm etiam Proreges æquè cautos, Caſtrilium, & Pegnarandum, Petro publica munera demandaſſe, res maximi ponderis, maximique momenti impoſuiſſe, iiſque præclarè eximieque geſtis, ei gratias, laudeſque ſcribendas cenſuiſſe: ideoque perperam negari, ejus capiti, ſtatuique ſubventum: quis enim neget, eũ reſtitutum eſſe, ad quem ſæpiſsime Principes atque honorificẽtiſsimè ſcripſerunt, ſi ſola ſalutatione *Avete vos* à Principe reis exibita, venia datur? *Aerod. tit. cit. c. 4.* objiciet mihi fortaſſe aliquis eundem Ærodium, qui ibidem ſic habet: *Sed ſolo titulo honoris nemo acquirit dignitatẽ. Quis non hodie epiſtolis Principum aut Rector eſſet Provinciæ, aut Torquatus Eques, aut Domeſticus, aut Conſiliarius? Vt dignitas hoc modo non acquiritur, ſic neque innocentia comprobatur.* Sed res noſtra longè diverſa eſt. quid enim rei, de qua Ærodius, & Magiſtratum alicui decernere? *Reos criminis poſtulatos, novos honores appetere non debere, antequam purgaverint innocentiam ſuam, ſæpe reſcriptum eſt.* Verba *l. unic. C. de reis poſtul.* cùm igitur Petrus fuerit à Proregibus ad novos honores admiſſus, eſtò fuiſſet culpa irretitus, novo faſcium decoramento fuiſſet abſolutus. *Menoch. 2, præſ. 10.* ubi idem ſentit de proſcripto. Servus ad præturam vocatus, liber efficitur. *l. 3, ff. de offic. Prætor.* à domino adoptatus, aut filius nuncupatus, aut heres inſtitutus, aut tutor datus, hoc ipſo ſervitute liberatur. *Menoch. loc. cit.* Infamis à Pontifice in clericorum Ordinem cooptatus, cenſetur ex toto reſtitutus. Spurius creatus Antiſtes, legibus ſolutus præſumitur, nec vitium exprimatur oportet. *Menoch. ibid.* cur igitur non idem jus in re, qua de agimus? Quid plura? *Diſputare de principali judicio non oportet: ſacrilegii enim inſtar eſt dubitare, an is dignus ſit, quem elegerit Imperator.* Verba *l. 3, C. de crim ſacrileg.* 87 *L. 30, ff. de judic.* 88 Verba *l. 1, C. de his, qui ven. ætat. impetr.* 89 Verba *Cicer. offic. 1.* 90 Verba *Senec. Epiſt. 89.* 91 Verba *Cicer. offic. 3.* 92 Verba *Lipſ. 2. Polit. 14.*

ulla res vehementiùs Remp. continet, quàm fides [93]. imò audet dicere Livius [94]: *Nisi in fide stet Resp. opibus non statura* [95]. Non sit asserendus in pristinam libertatem; peragatur judicium: nónne sit absolvendus? nónne vno teste innocentia probatur? at nónne Petro complures innocentiæ suæ? nónne Princeps multorum instar testium sit [96]? Num dicat Adversarius, injurato illi non credi? sanè Principum dignitas non patitur, ut sacramentum ab ipsis exigamus, quasi eorum fi-

Ll 2 dem

93 *Cicer. offic.* 3.

94 *Liv. lib.* 3.

95 *Hoc certè hominem decet, ut verbis suis fidē præstet, nisi mēdaciis veritatē corrumpendo, destitutus ratione, eorum albo, qua ratione prædita sunt, excidere velit.* Verba *Imper. Leon. nov. const.* 19. etenim *grave est fidem fallere.* Verba *l.* 1, *ff. de constit. pecun.* eaquepropter Regem suum monet Isocrates *orat.* 2. ut perpetuò in id studium incumbat, cāque reverentiam præ se ferat, ut verbis suis major sit fides, quàm aliorum juri-jurando. Hac de caussa, publica fides, quam nostrates *Guidaticum*, & *Salvumconductum* appellāt, non semel proscriptis ipsis est custodita, quanvis esset non ritè tradita *Merlin. contr lib.* 1. *c.* 53, & 54. Sic *Diodorus fugitivorum Duci Apollonio à Lucullo fidem servatam memorat. & Dio scribit, ab Augusto Crocotæ latroni persolutum pretium capiti ejus impositum, cùm se ipse sisteret, ne fides violaretur.* Verba *Grot. de Iur. bell lib.* 3. *c.* 19. Quanquam hujusce generis hominibus fidem custodiendam neget nonnemo *apud Farin. q.* 39, *n.* 4. negetque Tullius *offic.* 3, his verbis: *Pirata non est ex perduellium numero definitus, sed communis hostis omnium: cum hoc nec fides esse debet, nec jus-jurandum commune* Quid hi nostra ætate dicturi, quando prædonum factiones omnia labefactant, evertunt, incendunt? quando provinciarum præsides, eorum audaciæ, potentiæque frangendæ impares sunt? quando & natura locorum, & voluntas, & consuetudo eos rapinis, cædibus, cunctisque flagitiis ita assuefecit, ut, licèt eorum nomina Princeps aboleat, pravi tamen usque tenaces, se à flagitiis continere non valeant, nec ad bonam frugem unquam sint redituri? Planè usurparent illud Livii lib. 2. *Periculosum est, in tot humanis erroribus, sola innocētia vivere.* illud Plinii lib. 8. Epist. *Decipere pro moribus temporum prudentia est.* illudque Platonis lib. 5 de Rep. *Crebro mendacio, & fraude uti Imperantes debere ad commodum subditorum.* Adderent illud Agesilai Lacedæmoniorum regis, qui, teste Plutarcho, *apud Tymp in Spec. Princ. sign.* 68. cùm urgeretur à quodam, ut promissum præstaret, atque idem crebrò repeteret, quasi nefas esset negare, respondit: *Rectè si justum est, quod petis faciam; sin minùs, nequaquam faciam: non enim promisi, sed dixi.* Tandem dicerent, exemplum sibi proditum ab illo Daniæ Rege, qui, ut scribit Iunius in qq. moral. de virtutib. homoletic. q. 3 *latrones in suo regno, simulato bello, & data fide impunitatis, omnes convocavit, convocatos, in salutem reip. supplicio affecit.* Quid igitur? Hoc unum scio, quòd *Odio prædonum, placuit gentibus, quæ adversus eos, etiam vitiosè committuntur, dissimulare.* Verba Grotii, quem vide *ibid.* Vide *Tymp. loc. cit. Lips.* 2. *Polit.* 14. & *Cokier. thes polit. lib.* 2, *c.* 12, 13, & 14.

96 *Arnis. de jur. Majest. lib.* 1, *c.* 6. Maximam Principi fidem habendam docet *Farin. in tr. de test. q.* 63.

dem dubiam, suspectámque habeamus [97]. An dicat, Ognattum ab aliis certiorem factum; proinde Petro injuriam fieri nullam, cùm possit eosdem nunc in testes vocare? at quosnam Petrus vocabit, si latet eum qui fuerint? sciat: an-non oporteret turbare Manes, eósque ab inferis excitare? seculum quippe abiit, quo hæc gesta fuere. at quî seculum? ita sanè: etenim intra seculi spatium non tot homines è vitâ cedunt, quot tribus ab hinc annis, Neapoli, totóque regno, contagiosa pestis peremit. Denique memétote, prudentissimi Patres, fieri non posse, ut omnibus gratus sit, qui remp. gerit. Quis ignoret, vitam eorum, qui remp. administrant, contentiosam, & periculosam esse, & quotidie laborum, malorúmque plenam? *O conditiones miseras administrandarum civitatum, & provinciarum*, exclamat Cicero [98], *in quibus diligentia plena simultatum est, negligentia vituperationum, ubi severitas periculosa est, liberalitas.*

[97] *Arnis. loc. cit.* Imò cujuslibet spectati viri, nō religione potiùs, quàm virtute fides constricta est. *Cicer. pro Balb.* Atque hac de caussa jurare Xenocratem, testimonium dicētem, Athenienses prohibuerunt. *Diog. in Xenocrat. & Cicer. 1 ad Attic. 13.* Et *multis in locis, consuetudine receptum est, ut testibus, integritate tamen cōspicuis, illustribus, & nobilibus, etiam injuratis credatur. unde in Austria, & Bavaria, Nobiles, & Doctores, sine juramento corporali testimonia deponunt.* Verba *Theodor. Colleg. crim. disp. 8 thes. 2.* Adde *Gaill. 1 observ. 100, & 101.* An Principum virorum promissio, cui fides accessit, conceptis verbis: *Da Prencipe: Da Caualiere*, æquè firmet contractum irritum, ac jurisjurandi religio? ajunt alii, alii negāt. Vide Regium Consiliarium, quà doctrina, quà animi integritate conspicuum, *D. Io. Bapt. Hodiern.* & quos ipse citat *in Addit. ad decis. Surd. 234.* Adde *Hartman. Pistor.* & D.D. apud eum *q.q. jur. lib. 4, q. 6.* Atqui minimè negabat Alphonsus: *Tantum* enim, dicebat, *valere debet ad fidem Principum VERBVM, quantum privatorum hominum IVSIVRANDVM.* testis est *Panorm. de Gest. & Dict. Alphons.* Si affirmantibus adhæreas, velim etiam intelligas, non esse necessum, verbis illis fidem contractui adhiberi: quòd enim servetur promissum, quanvis nulla fidei facta sit mentio, ad fidem spectat. *Nihil magis bonæ FIDEI congruit*, inquit Vlpianus l. 11. ff. de act. empt. *quàm id præstari. quod inter contrahentes ACTVM EST.* & alibi: hoc est in l. 1, ff. de pact. *Quid enim tam congruum FIDEI humanæ quàm ea, quæ inter eos PLACVERVNT servare?* Fides nempe à *Fio*, quia fiat quod dictum est. *Cicer offic. 1, & lib. 16, Epist. 10.* An sit ut aliquis duplici fide sit præditus, iisque sibi ipsis dissimilibus? Multa respondebis, sed vide ne quæras latebram infidelitati.

[98] *Cicer. pro Flacco.*

beralitas ingrata, ſermo inſidioſus, aſſentatio pernicioſa, frons omnium familiaris, multorum animus iratus, iracundiæ occultæ, blanditiæ apertæ, venientes prætores expectant, præſentibus inſerviunt, abeuntes deſerunt. Magiſtratus *quaſi ſignum ſunt poſiti ad ſagittam: & quia non poſſunt omnibus complacere, cùm ex officio teneantur non ſolùm arguere, ſed etiam increpare, punire, frequenter odium multorum incurrunt, & inſidias patiuntur* [99]. Quis enim conſequatur, ut eos, quos cõtra ſtatuat, æquos, placatóſque dimittat? Quiſquis causâ cadit, infenſo, atque inimico animo diſcedit ab judice. Licèt hic ſuum cuique tribuat; multorum tamen ſibi implacabile odium conflat, quòd humanarum mentium ſive caligine, ſive improbitate, rectè judicâſſe non creditur: & ſive nigrum, ſive album calculum ferat; litigantium alteri diſpliceat neceſſe eſt. Si Iudex reum abſolvit; accuſator credit eum fuiſſe corruptum: ſi cogit in pœnam; reus crudeliſſimæ atque intolerandæ tyrannidis eundem incuſat: *nam & latro ſuſpenſus patibulo crudelem judicem putat* [100]. Nemo in ſe ipſum deſcendit, nemini ſuccurrit quid fecerit, ſed quid patiatur [101]. Iſtud eſt, P.C. iſtud

99 Verba c. 17 de *accuſ.* quod capitulum loquitur de Prælatis Eccleſiæ. ſubjungitque hæc verba: *Et ideo Sancti patres providè ſtatuerũt, ut accuſatio Prælatorum non faciſe admittatur, ne concuſſis columnis corruat ædificium, niſi diligens adhibeatur cautela, per quam non ſolùm falſæ, ſed etiam malignæ accuſationis janua præcludatur.* Roges: Nũquam-ne igitur in Magiſtratus, cùm in honore ſunt, inquirendum? *Cùm ſuper exceſſibus ſuis* (Prælatus) *fuerit infamatus, ut in tantũ jã clamor aſcẽderit, quòd diutius ſine ſcandalo diſſimulari non poſſit, nec ſine periculo tolerari, abſq; dubitationis ſcrupulo, ad inquirendum, & puniendum ejus exceſſus, non ex odii fomite, ſed ex charitatis procedatur affectu. quatenus ſi gravis fuerit exceſſus, & ſi non degradetur, ab ordine, & adminiſtratione tamen amoveatur omnino, quod eſt ſecundum evangelicam ſententiam, à villicatione villicum amoveri, qui non poteſt villicationis ſuæ dignam reddere rationem.* Verba c. 17 *de Accuſ.* Et cum hac circumſcriptione intelligi volo, quæ dicebam hoc Certamine, n. 6, & 7. 100 Verba c. 28, 23. q. 5. 101 *Senec. 2 de Ira, c. 17.*

istud est, quod corrumpit, & labefactat omnia, hócve omnium malorum est principium, nolle videlicet, quæ justa sunt [102]. Ne permittite, sapientissimi, atque ornatissimi Patres, ne permittite, Petri exemplo, ceteros posthac à Magistratibus obeundis deterreri, incitarîque ad imitandum Manlium Torquatum, qui Consulatum defûgit, quòd crederet, se neque populi vitia, neque illum severitatem legum posse sufferre [103]. Scrupulosas inquisitiones in Magistratus ne permittite. ne permittite frangi nervos justitiæ, auctoritatem Magistratuum vilescere, detractores illis insurgere. maneat honor legum, honor judicum, nihílque ex publicâ utilitate convellatur.

102 *Demosthen. pro Megapolit.*

103 *Valer. lib. 6, c. 4. Plin. de Vir. illustr. c. 28.*

PRO

PRO PETRO DE AMORE CERTAMEN IX.

ARGVMENTVM.

Auditorem Irpinæ provinciæ, Petrum de Amore, repetundarum accusatum, ita versatum in provinciis, ut nemo possit verè dicere, assem, aut eo plus in muneribus eum accepisse, aut ejus operâ quenquam sumptum fecisse contendit.

QVanquam etsi, Iudices, quorum in alterius manu vita posita est, sæpius venit in mentem potestatis ejus, quàm æquitatis; mihi tamen, meóque clienti, Petro de Amore, nunquam illa, semper hæc ante oculos obversata est.

imo-

imo-verò quo die ad vos, Iudices, venimus, eodem die illos ipsos,quos ante horrebamus,negligere cœpimus.ſciebamus enim, vos de illorũ esſe delectu, qui judicant veritatem, & quò inclinat lanx juſtitiæ, eò ſemper religionem veſtram deſcendere. Poſſem, Iudices, ſub Actionis initium,Petrum ipſum advocare,qui juſto animi dolore ſaucius,in hæc ferè verba ſuam innocentiam defenderet. *Duo & quadraginta(adeſtote animis Iudices,erigite mentes,auréſque veſtras) Duo, inquam, & quadraginta mihi delator crimina objecit,contendítque, ea cunctis eſſe notiſsima. non facit ſibi teſtes,neque duos, neque tres, ſed provinciam univerſam.ut in me inquireret,ſummæ ſeveritatis, incredibilis diligentiæ vir deſtinatus.hic ſtudiosè accuratéque veſtigatis, quæſitiſque omnibus,nullum inveſtigavit delictum,invênit neminem, qui aliquam mihi labem aſpergeret. quotquot interrogati sũt teſtes,in admirationẽ calũniæ rapti, vehementiſsimè, atque admirandum in modum obſtupuerunt.inde apertè, ingenuéque confeſsi,nequire ſe tantam calumniam ſatis mirari, copioſiſsimè, pleniſsiméque æquitatem, caſtitatémque meam expoſuere. Proh leges præclariſsimæ noſtrûm majorum,proh leges optimæ, leges maximè ſalutares, maximéque neceſſariæ reip. cur non huc redivivæ adeſtis? Ergo ſic exſultabit mentiendi licentia, ſic mendacia triumphabunt, ut calu-*

mnia-

mniantes ad vindictã non poſcat ſimilitudo ſupplicii [1], *ipſóſque impunè per urbem volitare patiamur? tum verò præcipuè, cùm calumnia aperta eſt, atque perſpicua, cùm innocens magiſtratus* [2], *longéque remotus à culpâ in crimen vocatur? Ergo quia muneri meo feci ſatis, præclarè eximiéque: quia nulli gratiæ obnoxius, nullius perſonæ reſpectu, in magnis perinde atque in parvis æquâ lance jus reddidi: quia nullius illecebræ, nullius me minæ flexerunt: quia nihil unquam ex arbitrio meo feci, ſed juxta leges, & jura pronũtiavi: quia nihil un-*

1 Calumniatorũ pœna, in ordinariis criminibus, ſimilitudo ſupplicii. *c.* 3, 2, *q.* 8. *l. ult. C. de Calumniat.* in extraordinariis pro qualitate admiſſi extraordinaria. *l.* 5, *ff ad Sen. Conſ. Turp.* Variæ olim in eos pœnæ. Ignis: *Aerod. Rer. judic. lib.* 9, *tit.* 8, *c.* 13. In accuſati ſervitutẽ addictio: *Aerod. tit. cit. c.* 5. Infamia: *l.* 1. *ff. de his, qui not infam.* Literæ K frõti eorũ inuſtio: *Gothofr ad l.* 1, §. 1. *ff. ad Turp.* Vrbe dejectio: *Tacit. Annal.* 5. *Imò non publica quidem abolitio, non privata talibus proficiat, ſubveniatque perſonis: non ſpecialis indulgentia, nec beneficium quidem eos generale ſubducat.* Verba l. 9. C. de Calumniat. *Hodie ſemper extra ordinem, atque ita judicis arbitrio, quovis in caſu, calumniatorem puniri noſtri ſcribunt* Verba *Menoch. de Arbitr. caſ.* 321. Quænam in hoc Regno? *Accuſator non probans non punitur pœna talionis, ſed punitur pœna, ad quam ſe obligavit de probando.* Verba *Afflict. in conſt. pœna calumniæ* putatque hanc eſſe mentem illius Conſtitutionis: ſed, ni fallor, eam Afflictus non tenuit. Conſtitutionis verba hæc ſunt: *Vniverſis judicibus, ad quorum cognitionem criminales cauſæ ſpectare noſcuntur, injungimus, ut ad accuſandum vel etiam deferendum, accuſatores, vel delatores aliquos non admittant, niſi primitus cingulum inſcriptionis arripiant accuſatores, vel etiam deferentes, quo ſe ad pœnam obligent per calumniam non probantes, quam expoſcunt, accuſatis, aut delatis infligi.* Vult igitur Cõſtitutio, accuſatores, delatoreſque, non ea teneri pœna, qua velint, ſed ea, quam expoſcunt reo infligi: hoc-eſt ea, quæ legibus, aut moribus reum ipſum maneret: quod idem eſt ac talio, ſive ſimilitudo ſupplicii. neque enim poſſet accuſator, aut delator petere, ut reus multetur minori pœna, quàm ſit legitima. Noſtram hanc ſententiam confirmat Regni Capitulum, *tit. de Accuſator.* ejus verba hæc ſunt: *Accuſatorum temeritas ſicut tribus detegitur. ſic per leges veteres obviãtibus remediis tripliciter coërcetur. Sed Conſtitutio Regni Siciliæ minoravit pœnam temeritatis ejuſdem, dum illam pro ſola evidenti calumnia cenſuit irrogari.* In hoc ſanè non in alio mitior Conſtitutio: Imò (obiter hoc nota) nec mitior. Lex enim ſic habebat *Sed non utique qui non probat quod intendit, protinus calumniari videtur nã ejus rei inquiſitio arbitrio cognoſcentis committitur, qui, reo abſoluto, de accuſatoris incipit conſilio quærere, qua mente ductus ad accuſationem proceſſit. & ſi quidem juſtum ejus errorem reperit, abſolvit eum: ſi verò in EVIDENTI calumnia deprehenderit; legitimam pœnam ei irrogat l.* 1. *ff ad Turp.* Quæ hodie pœna apud nos? Vereor ne redierint ea tempora, quando Carolus III *in cit. c. Accuſatorum* ſic locutus: *Moderna verò novitas ultrà progrediens, & in hoc providè ordinata poſtponens, ex deſuetudinis corrupta neglectu, omnem quaſi pœnalitatem calũniæ prætermiſit* ſi verum hoc eſt, eſt gravi quidem reip. malo: impunitas enim magna eſt injuriis, & ſceleratis omnibus pars & ad nequitiam anſa. *Nunc autem,* inquit Imperator Auth. illud quoque tit. 8, Nov. 51, collat. 5, *Studio machinantur, noſtrarum legum clementiam occaſionem facientes ſuarum calumniarum.* Gravi, inquam, malo: nulla enim ſalus reip. major, quàm eos, qui alterum accuſant, non minùs de laude, de honore, de fama ſua, de capite, quàm illos, qui accuſantur, de iiſdem pertimeſcere. *Tull. in Divin.* 2 Atrox enim injuria, quæ magiſtratui fit: imò quæ coram magiſtratu. §. 9. *Inſt. de injur.*

unquam paratum & meditatum domo detuli, ſed ſicuti audivi, ita & judicavi: quia ſemper habui in conſilio legem, religionem, æquitatem, fidem: quia reſtiti perditorum temeritati: quia denique, viva ardénſque legis anima, prædones ad unum uſque delevi, provinciámque reſtitui, in crimen vocor, & ad judicium adeſſe cogor? Omnes regni provincias regius Auditor obtinui: omnibus præerant viri graviſsimi, viri fortiſsimi, lectiſsimíque: nónne horum quiſque me ſummis laudibus extulit? ornavit? cumulavit? Sed quîd provinciarum præſides meæ innocentiæ teſtes facio? nónne omnes principis conſiliarii, nónne omnes regni proreges meam integritatem, meáſque res geſtas magnificârunt verbis ampliſsimis? Ecquodnam negotium, quod ſpectatam fidem deſideraret, non mihi concreditum? quæ res moleſtæ, atque operoſæ non mihi mandatæ? ecquas non egregiè, inſigniterque explicavi? quas non naviter, ſedulóque confeci? Annos bis denos hoc munus obivi: decies de adminiſtratione rationes reddidi: quis me unquam ullâ lege interrogavit? quis poſtulavit? quis diem dixit? nulla unquam de me querimonia, nulla unquam audita eſt lamentatio. ut poſsim jure optimo illud Gracchi [3] uſurpare: Ita verſatus ſum in provinciis, ut nemo poſſit verè dicere, aſſem, aut eo plus in muneribus me accepiſſe, aut meâ operâ quenquã ſumptum feciſſe. *Deo mihi habendæ ſunt gratiæ immortales, quòd ingentibus me divitiis donaverit: quòd mei parentes, luculenti, & copioſi patrimonii me ſibi heredem fecerint.*

[3] *Gracch. apud Gell. 15 Noct. 12.*

ut

ut possim cum eodem Graccho [4] *verissimè dicere :* Zonas,quas plenas argenti extuli, eas ex provinciis inanes retuli. *Nunc unus omnino mihi crimina inflixit,& apud vos falsò insimulavit. Prætereo accusationem, quæ superioribus annis in me intenta fuit: Ognattus enim, cùm regis hîc gereret vices,eam calumniosam falsámque pronuntiavit: proximísque diebus, Prorex, & ab Latere Consilium, omnibus sententiis, judicium id ratum firmúmque habuere. Nunc unus, inquam, unus omnino, homo totus ex fraude, totus ex mendacio fictus, mihi crimina impegit. Duo & quadraginta,ut initio dicebam,mihi flagitia objecit,dixítque,ea in cunctos provinciales pervulgata maximè, cùm tamen nullusdum repertus sit, qui hæc vel audivisse profiteatur. Vbi, Iudices, ubi ea tempora, quando fiscales etiam calumniæ magnâ calumniantium pœnâ repressæ, ferebatúrque regnantium vox illa:* Princeps, qui delatores non castigat, irritat [5]. *Impunitæ calumniæ exemplum, omnibus calumniam minatur : etenim si licet impunè calumniari; quis tutus erit à machinis improborum? Verùm non ego, judices, ultionem exposco: tantùm oro, atque obsecro vos, ut ne patiamini vobis excidere monitum illud politicum:* Non permittat Princeps, ut ullus tam potentem, ac legibus solutum se existimet, ut opponere se se audeat iis, qui Ministri sunt Iustitiæ, & potestatem ejus, ac munus repræsentant; aliàs diu firma non consistet columna Reipublicæ. Vbi semel audacia illa

[4] Gracch. apud Gell. loc. cit.

[5] Suet. in Domit.

invaluerit, paullatim corrodet eam contemptus, ac diruet [6]. *Hanc, Iudices, hanc curam ſuſtinet Princeps, hâc omiſsâ, funditus Remp. trahet* [7]. Hactenus, Iudices, ad rem, quæ agitur, aptè, congruentérque Petrus, nec gloriosè [8] dixiſſet. Aptè, inquã: vobis enim jura præſcribunt, ut in Magiſtratum aliquem inquiſituri, ejuſdem de famâ ante omnia diſquiratis [9]: atqui apud acta in Petri famam ne verbulum quidem. Et verò nunquam Petrus ea commiſit, quæ in alio putaverit punienda [10]: vitio vacavit, ceteríſque ſpecimen fuit [11]. Verùm dum hæc uberiùs prædico, Iudices, & de meo cliente facio laudum præconia, video in me omnium veſtrûm, non ſine admiratione, ora atque oculos eſſe converſos, quòd videatis, haud neceſſariam defenſionem me ſuſcepiſſe. Equidem, Iudices, non huc me contuli, ut Petrum ab impactis ei à delatore criminibus vindicem: etenim nullum, ut dicebamus, de his dictum eſt teſtimoniũ: de duobus aliis, quæ ſola ſuperſunt, eſt mihi habenda defenſio: & ſpero futurum (quod firmum mihi

6 Verba *Saavedr. ſymb. polit.* 22.

7 *Tacit. Annal* 3. Conſonant ea, quæ dicebamus *Cert.* 8, *n.* 6. 7, 95, & ſeqq.

8 Quanquam *nemo de ſe ſatis honeſtè, ac ſine multorum invidia loqui poteſt*: Verba *Cicer. in Vatin.* tamen *invidioſa non eſt de ſe laus, quæ nihil aliud quàm peſtiferæ infamiæ medicina eſt*: Verba *Vallæ in Facium lib.* 4. Adde *Oinot.* §. 1. *l. in proœm.* & *Plutarch. in lib. Qua quis rat. ſe ipſ. laud. poſſ.*

9 Cap. regni, q; incipit: *Vulgaris fama. tit. de ſindic. Official.*

10 *Iudicet ille de alterius errore, qui non habet quod in ſe ipſo condemnet. Iudicet ille, qui non agit eadem, quæ in alio putaverit punienda: ne cùm de alio judicat, in ſe ferat ipſe ſententiam.* Verba c. 4, 3. q. 7. & quoniam cuncta ejus capitu'i verba ſunt aurea: juvat, ea etiam, quæ ſequuntur, in hunc locum tranſcribere: *Iudicet ille, qui ad pronuntiandum, nullo odio, nulla offenſione, nulla levitate ducatur. Bonus judex nihil ex arbitrio ſuo facit, & domeſticæ propoſito voluntatis: ſed juxta leges, & jura pronuntiat, ſtatutis juris obtemperat, non indulget propriæ voluntati, nihil paratum, & meditatum domo defert: ſed ſicut audit, ita & judicat, & ſicut ſe habet negotii natura, decernit. obſequitur legibus, non adverſatur: examinat cauſæ merita, non mutat. Diſcite Iudices ſæculi, quem in judicando tenere debeatis affectum, quam ſobrietatem, quam ſinceritatem. Qui judicat, non voluntati ſuæ obtemperare debet, ſed tenere quod legum eſt. In judicãdo magis cordi ſit veritatis cuſtodia, quam obedientia voluntatis.* 11 *Is ordo* (Senatorius) *vitio vacato: ceteris ſpecimen eſto.* Verba *legis* 12 *tab. tit. de Magiſtrat. c.* 11. Præclara quidem lex, & ſi hoc eſt, tenemus omnia. *Cicer.* 3 *de L.L.*

mihi facit veſtræ juſtitiæ, multis magníſque ſpectata in rebus integritas) ut Petrum non modò abſolvatis; verùmetiam honoris illius ſitis acerrimi & perpetui propugnatores. Ego hoc interim in ſpatio dabo operam, ut à principio, res quemadmodum geſta eſt, & contracta ſit, cognoſcatis. Probè noſtis, Iudices, inquirendi munus in Petrum Quæſitori diligentiſſimo demandatum. hic ut Monteſuſculum vênit, ubi Petrus Auditoris munus gerebat, Petro imperavit, ut confeſtim illinc abiret, ociúſque obtemperatum eſt. Statim autem ut Cognitor cœpit inquirere, præſēſit, delatorem inſigniter mentitum, atque aniles, & cōmentitias fabulas dediſſe. licèt enim ſeveriter, & magnâ adhibitâ diligentiâ, laudatos à delatore teſtes interrogâſſet; ne umbram quidē delictorū invênit. ſoli quidam impudentes, & improbi ſycophantæ, déque nebulonum grege pauperrimi, putantes, ſe aliquid à Petro expiſcaturos, eum repetundarum, longo ſuſcepto itinere, ac ſi ad auream meſſem demetendam accederent, & falsò, & arroganter accuſaverunt. at verò clamat Petrus: *Petitur à me pecunia, quæ dicitur data, numeratáque, ſed qui petit, neque tabulis, neque teſtibus, neque tenuiſsimo quidem ſigno id factū docet*. Iam verò, Iudices, illorum homuncionum orationes inprimis ridiculas, plenáſque flagitii excutiamus. Sic eæ ſe habent: *Calendis Octobribus, in pagum Theoram, cu-*

jus

jus syndici sumus, Auditor Petrus de Amore, multo satellitio stipatus, pervênit. ibi ei ad meridiem posteræ lucis commorato, ejúsque lictoribus, eo die, de publico data cibaria, centussibus quindecim, carolinis quatuor, asse uno æstimata, ut manifestum, certúmque est ex hâc tabellâ, quam ad te afferimus, ex ejusdem pagi rationario codice descriptâ. sub discessum, nos domum, in quâ morabatur, acciri jussit, ibíque, per satellites, remoratos coëgit, ut æs erogatum referremus acceptum: id quod Luciani manu confecimus. quam autem summam expenderamus, noluit Petrus, totam, sed tantùm centusses quatuor tabellis comprehendi. eas ubi conscripsimus, nos liberavit, acceptíque tabulæ Petri ab actis, Antonio Milano, porrectæ sunt. Hæc syndici. Sed quis tam fungus sit, aut plumbeus, Iudices, ut ex his non percipiat, planéque intelligat, syndicos istos, non testium, sed accusatorum partes agere [12]? certè nec modò unus litigator in testẽ nõ recipitur [13], receptúsq; reum non premit [14], sed etiã permulti arcentur, quanvis nati in amplissimâ familiâ, multísque mortalibus imperent [15]. *More majorum comparatum est,* inquit Cicero [16], *ut in minimis rebus homines amplissimi testimonia de suâ re non dicerent.* quippe *noluerunt majores nostri, hanc patere inimicitiis viam, ut quem quisque odisset, cum testimonio posset tolle-*

[12] *Quin etsi repetundarum crimen ita manifestum esset, ut tota provincia quasi una voce quereretur, tamen si reus negaret, testes è provincia erãt producendi: nec desperabat reus defensionem, sed patroni ejus adversus multitudinem excipiebant conspirationem esse: & qui reo numerasse pecunias jurabant, eos LITIGATORVM, NON TESTIVM habendos loco, ut docet Quintil. 5 Instit. orat. 7.* Verba *Anton. Matth. de crimin. in prolegom. c. 4.* Adde, delatorem haberi, qui priore loco testimonium dicit, si, ut nostra in re, non appareat, qui accuset, vel defendat. *Guazz. defens. reor. 29, c. 19.*

[13] Vide, quæ dicebamus *Cert. 6, n. 31.*

[14] *Farin. q. 60.* [15] *Farin. ibid.* Adeo recipiendi non sunt, ut Iodocus *in pract. crim. c. 50, n. 22.* dixerit: *Non pudet quosdam contra omnem æquitatem, eosdem ad testimonia contra misellos ferenda recipere, quos priùs habuerunt delatores.* [16] *Cicer. pro Rosc. Amer.*

tollere. ementiuntur enim ſæpe in eos, quos oderunt [17]. Sed faciamus, eos teſtimonio eſſe; quâ fide digni ſint? ſanè non gravi, non exploratâ, ſed infirmiſſimâ, vaniſſimáque. nunquis eos citavit? nunquis teſtes fecit? venerunt igitur veritatem corrumpere feſtinantes [18]: teſtis enim nec productus à parte, nec ab Iudice vocatus, eſt omnino ſuſpectus, cenſetur inimicus & cupidus, atque ab omni religione remotus [19]. Nec quiſquam huic rei obtendat, à Quæſitore per totam provinciam vulgatum edictum, ut ad accuſandū accederet quiſquis à Petro ſe iniquè tractatum exiſtimaret: etenim pro Petri causâ duo certiſſima hinc argumēta deſumam. Primum, videlicet, quòd, ſi poſt multa edicta ubique vulgata, poſt multas inquiſitiones, poſt innumeras perſcrutationes, non ſunt pluria crimina Petro intenta, quàm duo, & hæc ab infimis capitibus, omnibúſque vitiis ornatis; magnum illud provincialium, diuturnúmque ſilentium apertè demonſtret, à Petro provinciam innocenter adminiſtratam. Num dicamus, provinciales omnes prævaricatos, genúſque hominum querulum tum acres injurias reticuiſſe [20]? Secundum, quòd ſi ruſticuli iſti, & nullo numero homines edictorum cauſsâ venerunt, accuſatorio venerint animo, ſpiritúque. Non ita ſit; nónne totum quod ajunt, in eorum commodum, utilitatémque relabitur [21]? Num jurati, ut factum oportuit,

17 Verba *Cicer. pro Fontejo.*

18 Qui ſponte ſua teſtimoniū dicit, veritatem corrumpere feſtinat. § *ſi verò ignoti*, & ibi *glo. auth. de teſt.*

19 *Farin. q.* 80. *Gothofr. ad l. teſtium, C. de teſt.*

20 Porrò firmum, validumque eſt argumentum à cōmuniter accidētibus. *Everard. in Topic. leg. loc.* 98.

21 Teſtis, cujus res agitur, nō modò non probat, verum etiā nō recipitur. *l.* 10, *C. de teſtib.* ibi: *Dicendi teſtimonii facultatem jura ſummoverunt*. id quod obtinet, quanvis utilitas non ſit præcipua, ſed per ſequelam. Vide *Farin. q.* 60.

tuit [2], declaraverunt, nolle se ullum à suâ ipsorum oratione compendium referre? Non in suã, sed in pagi utilitatem testimonium dicant, cui pago de repetundis pecuniis in Petrum actio debeatur; nónne hæc pagi utilitas, ut in singulos cives, ita in ipsos quoque revolvitur? eorum igitur testimonium futile vanúmque [23]. Fac ad solius pagi emolumentum pertinere, num integrâ fide sint [24]? imo verò in re criminali sunt minimâ, súntque infirmissimâ [25]. Nunc jam tenete, Iudices, quales nostro in negotio regni sanctio [26] requirat: *De famâ priùs officialium inquiratur: post quod siquidem per duos, aut tres testes conditionis ELECTAE hujusmodi probetur excessus.* Sed hæc omnia mihi deficiant; súntne testes isti fidei pleni, an vacui? vacui profectò. Quum Quæsitore coram testimonium dicebant, unus alteri aderat, útque nullo labore confirmo, unâ voce dixerunt. unam enim accepti tabellã Quæsitori porrexerunt, & nihilominus eorum cujusque oratio sic habet: *Vt manifestum, certúmque est ex HAC tabellâ, quam ad te AFFERIMVS.* Quæsitoris igitur non intravere secretum: nec singillatim interrogati, ut fieri necesse est, non modò quum crimina [27], verùm etiã quum innocentiam, imò quum ipsa piorum hominum miracula vestigamus [28]. Hæc, Iudices, fraudi, & frustrationi huic abundè

[22] *Limitatur supradicta cõclusio*, inquit Mascardus cõclus. 1363. n.57 *ut non procedat, quãdo testis ante depositionem protestaretur cum juramento, quòd ex depositione non vult nec commodum, nec incommodum ad se pertinere.* imò licèt hoc fecerit, non est omni exceptione superior. *Farin.cit.q.60, n.53.*

[23] Vide *Cert.* 5, *n.72.*

[24] *Farin.cit. q.60.*

[25] *Farin.ibid.*

[26] *Cit. c. vulgaris fama,*

[27] *Guazzin.defẽs. reor.14 c.2.*

[28] *Discretioni vestræ mãdamus,* inquit Põtifex in c.52, de test. *quatenus testes, quos Abbas, & monachi Sancti Martini Cistercien. ordinis super vita, & miraculis piæ memoriæ Mauricii Abbatis monasterii supradicti, duxerint producendos, examinare sigillatim curetis.* Adde *c.21, de Accus.* & *l.14.C.de test.* At cur ita? ut ne alter alterius orationẽ sequatur: ut faciliùs mendacia deprehendãtur, faciliùs veritas eruatur. *glos. in cit. c. 52. Guazzin. defens. cit,*

abundè sufficerent, sed quoniam solis testium vitiis criminationem hanc elevare non lubet; pergo ad discutiendum, an id, quod affirmant, cum veritate consentiat, aut sit purum putúmque mẽdacium. *Petrus*, inquiunt, *nos domum, in quâ morabatur acciri jussit, ibique, per satellites, remoratos coëgit, ut æs erogatum referremus acceptũ*. Porrò necesse erat, ut affirmarent, se coram Petro fuisse, accepti tabulas conscribere pernegâsse, & Petrum custodiam imperantem se suis ipsorum auribus audivisse: sed summum de hoc æternúmque silentium. itaque fieri potest, ut Milano, cui tabulas se porrexisse testantur, mandata dederit Petrus, ut poneret rationem, & in assem usque satisfaceret, Milanus autem accepti tabulas extorserit, & Petro pecuniâ circunvento fucum fraudémque fecerit. neque enim erat ex Petri dignitate sumptuariam cum caupone, per se, rationem putare [29]. Versuti & callidi homines non dicunt, in Petri se conspectum venisse, illíque accepti ceras coràm negâsse, sed, ut sit mendacio locus, obscurè ac veteratoriè loquũtur [30]. quis enim sit ad credendum usqueadeo facilis, ut sibi persuadeat, homines nequissimos spectatissimi viri postulationem coràm rejecisse? nempe, ut sibi fidem concilient, tectè, subdoléque loquuntur, & secum ipsi ita reputaverant: *Si dicemus, ipsius Petri, viri amplissimi, multísque armatis hominibus circunsepti* au-

[29] Atqui inutilis est illa probatio, quæ necessariè non demonstrat. *Farin. q. 68.* necessariè verò demonstrãtur ea, quæ aliter ac dicuntur, nec fieri, nec probari possunt. *Cicer. 1 de Invẽt. Farin. ibid.*

[30] Obscurum autem testimoniũ nihili omnino est. *Farin. loc. cit.* & paria sũt aliquid non dici, atque obscurè dici. *Aretin. in l. 106, ff. de verb. oblig.*

auctoritatem & jussa nos tenues humilésque homines, in ejus conspectu, & ante oculos despicatui duxisse; incredibilis erit oratio, imo-verò ludibrio quàm maximo: hunc igitur dolum commoliamur. dicamus, nos ad Petri domum ivisse: verba enim ista videntur complecti, nos illum convenisse, atque ita fiet, ut captio quæsitorem prætereat. Mori homines, atque trioboli. nónne quæsitori acerrima vis ingenii? nónne oculus vigilans acerrimorum hæc judicum decuria? intercepta, furciferi, est vestra calliditas, deprehensáque vafrities. scilicet inanium inania consilia. Dicitis, conscriptas à vobis tabulas manu Luciani: at cur Luciani manu? an aliquáne municipalis lex erat, quæ tabulas non Luciani manu exaratas improbaret? an vos tam rudes eratis ac stupidi, ut paullò ampliùs, quàm literas quatuor copulare nesciretis? planè, si hoc dicitis, estis, ut cetera omnia, mendacissimi: nam vestrâ manu testimonia subscripsistis. an Luciani manu utpotè venustioribus, ac politioribus literis? nunquid tabulæ non graphicè scriptæ, inutiles? Quidquòd si ad hoc confugitis; ipsi vos refellitis? ex vestris enim ascriptionibus liquet, vos Luciano elegantiùs, atque accuratiùs scribere. at quamobrem ita dicatis, non falsus conjicio. laudatis Lucianum: nam illum vobis ad calumniam socium adjunxistis. arguméto firmissimo est, quia longo, & periculoso suscepto simul itinere, Montefu-

tefusculum simul venistis, simúlque testimonium perhibuistis. cur præter Lucianum, nullum alium citatis? éstne credibile, alium neminem affuisse? nónne aderat numerosum Petri satellitium? nónne igitur poterat veritas aliter, quàm unius Luciani, ejúsque municipis, testimonio inveniri [31]? At porrò pergamus. *Quam autem summam expenderamus, noluit Petrus totam, sed tantùm centusses quatuor tabulis comprehendi.* Insulsa capita, & pistrino mancipanda. absque baculo viam ingressi estis, & incalceati in montes perrepitis. ecquis hæc sine risu possit excipere? sanè non hanc, imprudentiam, sed stultitiam, fatuitatem nominari oportet. ergo cùm in cibaria essent erogati centusses quindecim, voluit Petrus, accepti tabulas complecti centusses tantummodò quatuor? stipites, truncíque. expectabam, vos dicturos, voluisse Petrum, ut tabulæ majorem summam includerent. aut enim Petrus verebatur, ne reus fieret à vobis, aut non: si non; cur de tabulis solicitus? si etiam; ut ne locus criminationi superesset, integram næ summam in tabulas referri jussisset. pessimi peculatores. erat vobis animus, quatuor centussibus tantummodò insumptis, imò nec insumptis, pago quindecim imputare. fures ipsi accusant, qui accusari deberent. nec honos præfandus: lex [32] enim de vobis sic habet: *I Sindici & Eletti, che amministrano l'entrate dell'Vniversità, con l'occasione de'*

[31] Si res agitur quæ verisimiliter probari potest per plures, & unicus testis adhibeatur; hic nō minimæ falsitatis in se se, atque in accusatorem ipsum suspicionē movet. *Menoch.* 5. *præs.* 20. *Guazzin. defens.* 33, *c.* 14.

[32] *Pragmat.* 6 *de Commissar.*

Cōmissarii, sotto colore di spese lor ministrate, PONGONO IN ESITO MOLTO MAGGIOR SOMMA, *ripartendola tra di essi a' proprii commodi*. Porrò *quis locus est, ubi non à principalibus civitatum, viduarum, & pupillorum viscera devorentur* [33]? Hæc sanè vobis in animo, & quoniam irriti fuere conatus, súbque manus non successere, quòd municipes bolum ex faucibus eripuerint; iccirco de repetūdis pecuniis Petro dicâm conscribitis. sed alia quercus excutienda: non hinc (mihi credite) glādem feretis, fructúmve reportabitis. imò calūniæ manifesti jam estis: camelo haut dissimiles, qui cornua desiderans, aures amisit. Sed jam ad vos redeo, Iudices. Ecquis non intelligat? quis non videat pericula magistratuum, si habenda sit fides municipiorum curialibus quum res hujuscemodi magistratibus objiciunt? iis enim si credatur; necessum erit, ut posthac magistratus aut nunquam non se domi contineant, aut in desertissimas solitudines se se usque recipiant: secus illorū innocētia erit perperā, nullóq; fortasse cōsilio calumniis exposita. Nō ego finem dicēdi facerem, si quot mala civilia, si quot privata, & publica incommoda, ex hoc recenti novóque instituto consequerētur, coner singulatim expromere. agitur res vestra, Iudices: itaque dum potestis, dum licet, providete ne duriorem vobis conditionem statuatis, ordiníque vestro, quàm ferre possit.

[33] Verba Salvian. *lib. 5 de vero Dei judicio* apud *Amay. ad tit.* C *de Decur. lib.* 10. *n.* 22.

poſſit.ſuper omnibus meliùs, ac rectiùs olim proviſum, & quæ convertuntur, in deterius mutantur. Quàm verò iſti Syndici ſint inepti, facetíque, dicendo, allatam ab ſe tabellam, ex municipii rationario codice deſcriptam, quis tam cæcus ſit ut non videat? ſi ex codice illo; cur non eam municipii Rationarius exſcripſit? cur non ſignavit? ſit ab Rationario exſcripta, ſignatáque; num ex tabulis Iovis? num folia Sibyllæ? quis impenſas in codicem retulerat? nónne Syndici ipſi? quid ergo diſtat ab eorum teſtimonio tabella? nihil ſanè inter ſe differunt, ſed (quod dictu mirabile) neque conveniunt. teſtimonium ſic habet: *Petro, ejúſque lictoribus, eo die, de publico data cibaria, centuſſibus quindecim, carolinis quatuor, aſſe uno æſtimata.* quam verò ſummam tabella? cētuſſes duodecim. quanquam enim ſupputatæ in eâ rationes priorem ſummam conficiunt; tamen in illum numerum referuntur ĩmpenſæ deinde factæ in cibaria quorundam Petri lictorum, qui eo in loco ægroti triduum morati ſunt. videte nunc, Iudices, quàm bene ſibi conſtent homines præclariſſimi, & è cœlo delapſi: videte an mendacia mendaciis aſtruant [34]. An verò cribro, vel lauro divinaverant, ibi quandiu mãſuri lictores, aut quantũ æris in eorum cibaria inſumendum? poſt Petri diſceſſûm quis erat ipſis impoſiturus neceſſitatem dandi cibi lictoribus? à Petro igitur, & viro ampliſſimo,

[34] Sanè teſtimonium in una parte falſum, cēſetur falſum etiam in altera. *Menoch. de arbitr. caſ.* 308. Refer huc ea, quæ dicemus hoc Certamine, *n.* 107, & 108.

mo, & præsente, & copioso satellitio circundato fuit vis adhibenda, ut ipsos de sententiâ dimoveret, acceptíque ceras exprimeret; ipsi verò, Petro jam longè profecto, tremulis febrientibus, nec pedibus constantibus, voluntariè, libentérque triduanam suppeditârunt impensam? nónne ista ex porticu, & tabulâ, atque anicularum deliramẽta? Sed jàm tempus esse videtur excutiẽdi Luciani. ô quot magna, Iudices, atque aperta, impudentiáque mendacia! corrupti hujus, falsíque hominis hæc sunt: *Petrus ivit Theoram Calendis Octobribus non multo post duo de viginti horas*. Ingẽs, me hercule, fidelísque memoria! revoluto jam anno [35] testimonium perhibet, perhibétque de re, nec domesticâ, nec ad se ullâ ratione spectante, sed alienâ & prorsus extraneâ [36], & nihilosecius horas, ac puncta temporis, supra Simonidem [37], memoriâ custodit [38]? Pergit porrò, & *Accepti ceras*, inquit, *meâ manu conscripsi, sed quãtam summam complecterentur, memoriâ non repeto*. Mendacissimum caput, atque homo quolibet Cretensi pejor. adamante igitur notâsti aliena, propria ventis ferenda tradidisti? parum abest quin jures, te Lethen bibisse, simulésque tuum etiã te nomen oblítũ [39]. satis intelligo quid doli lateat. nolles veritatem palàm fieri, detegíque; nimirum te cum Syndicis hâc

35 Infirma hominum memoria. *l. 44, ff. de adquir. possess.* & post annum inducitur oblivio. *Oldr. cons. 183. Aym. cons. 28. Mandos. ad Boss. de respons. à reo fac.* Porrò *Memoria hominum adeo labilis est, ut ægrè reperias duos, qui quæ simul audierunt, eodem modo referant.* Lang. v. Memoria. Eleganter Imperator, C. de vet. jur. enucl. *Omnium*, inquit, *habere memoriam, & penitus in nullo peccare, divinitatis magis, quàm mortalitatis est.*

36 Alienæ rei oblivio facilis. *Mascard. conclus. 127.*

37 Simonides Cæus, poëta Melicus, qui primus artem memorandi invenisse fertur. *Cicer. in Orat.*

38 Si dici memoriã facilè amittimus; *Mascar. loc. cit.* quid horæ? quid punctũ? *Memoria similis reti, quòd majora continet, minuta transmittit.* Lang. loc. cit.

39 Id quod accidit Messalæ Corvino. *Majol. dier. canic. t. 1, colloq. 4.*

hâc de re convenisse; ideóque in aliquibus, sed quæ rem non elevant vis videri dissimilis. Bœoticus homo, qui putas, te nobis fucum facere hoc tuo stoliditatis figmento. Deinde: *Fui ab Syndicis arcessitus*, inquis. at quis nuntius? profectò longè alia Syndicorum oratio. *Et postquam in Petri domum pervêni*. númne Petrum vidisti? *Vidi Syndicos in carcere asservatos*. hoc nũquam factum: negántque ipsimet Syndici. An dices *in carcere asservatos* intelligi non modò in quos manus injectæ sũt, sed etiam quorum est imperata custodia, licèt vinculis minimè teneantur? scitè quidem [40], verùm supra minervam tuam. hoccíne dicat hebes homo, cujus ascriptio velut gallinarum scarificatio, quámque, præter Sibyllam, leget nemo? Præterea: *Accepti ceras*, inquit, *meâ manu exaravi, Syndici subscripsere, porrectæque sunt Antonio Milano, Petri actuario*. Videte, quæso vos, Iudices, quàm malignè loquatur. *porrectæ sunt*. à quonam? perversus, & callidus perfusoriè & versutè silet, ne fortè *ab Syndicis* excidat sibi: quippe vellet, vobis persuaderetis, priùs ab illis Petro porrectas, deinde Petrum Milano dedisse, ne alioqui fiat, à Milano, contra quem testaturus nîl vênit, accepti ceras extortas. An aliquis hîc nobis objiciat, teneri magistratum ex comitum delictis? equidem scio, magistratum, non solùm ex suo delicto teneri, si ipse illicitè quid acceperit, verumetiam ex deli-

[40] Scitè, inquam: *carcer* enim, inquit Serv. lib I, & 5 Aeneid. *est undecũque exire probibemur*. quasi *coarcer*, à *coërcẽdo*, ut docet Varro de L.L. lib. 4. *Solutum non intelligimus eum, qui licèt vinculis levatus sit, manibus tamen tenetur. ac ne eum quidem intelligimus solutum, qui in publico*, nota, *sine vinculis servatur*. Verba *Paull in l. 48. de verb. signif.*

delictis comitum, & ministrorum suorum in dupli pœnam apud nos [41] conveniri. Scio, quicquid ab horum quopiam captum est, id non modò tibi datum, sed tuâ manu numeratum judicari: si enim innocentes existimari volumus, non solùm nos abstinentes, sed etiam nostros comites præstare debemus [42]. Scio Mecœnatis illud ad Augustum [43]: *Nulli amicorum, aut officialium tuorum nimia est indulgenda potentia, sed ita iis moderandum, ut ne te in culpam, aut reprehensionem conjiciant: quicquid enim hi rectè, vel sequius egerint, id verò tibi adscribetur, talémque te cuncti censebunt, qualia eos facta exercere permiseris* [44]. Equidem hæc scio: veruntamen haut nescio, ea locum habere duntaxat, quando magistratus ipse nõ abstinẽtes elegit: secus quãdo à rep. dati sũt [45]: atqui Milanus ab rep. datus: erat enim Auditorii provincialis notarius, & necessitate à Petro eductus. Sed quid quòd Milanus nunquam repetundarum, nunquam ullo de crimine arcessitus? in municipiis, non modò fœnum, aut quod lege datur [46], nunquam accepit, sed ne ligna, & multis in locis ne tectum quidem, & in taber-

41 Apud nos repetundarum pœna dupli. *cit. c. Vulgaris famæ, & pragmat. 2, de muner. Official.* apud alios, quadrupli. *l. 1, C. ad l. Iul. repet.*

42 *Citt. c.* & *pragmat.* Adde *cit. l. 1. ad l. Iul. repet. l. unic. §. 3, C. de cõtract. judic.* & *Cicer. in Verr.*

43 *Mecœn. apud Dion. 52.*

44 Et graviorem etiam pœnam sustinebis, si sciẽs prudensque homines rapaces tecum eduxeris, aut, cognitis rapinis, eos non coërcueris, dimiseris. *Anton. Matth. de crimin. tit. 8, c. 1.* Nihil enim interest, ipsene expiles provinciam, an per prædatores id facias, & amici vitia si feras, facis tua: nam, *qui potest obviare, & perturbare perversos, & non facit, nihil aliud est, quàm favere eorum impietati. Nec enim caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare.* Verba c. 8, 23, q. 3. *Primum omnium*, inquit Cicero, in Verr. *opera danda est, ut eos nobiscum ducamus, qui nostræ famæ, capitique consulant; deinde si in hominibus eligendis nos spes amicitiæ fefellerit, ut vindicemus, missos faciamus.* 45 *Paris de Sindic. v. Assessor. Vizzan. de Mandat. principum c. 5, §. 2.* Adde *Cicer. ad Quint. fratr. Epist. 1*

46 Veluti esculenta, & potulenta, in transitu per municipium aliquod, dummodò moderatè. *Rovit. ad pragm. 1. n. 11. de muner. Official.* neque avarè modum xeniorum excedat. Verba *l. 6, §. 3, ff. de offic proconf.* Xeniũ verò (à ξένος, idest, *hospes; unde ab Appulejo vocatur* munus hospitale) sunt pulli, ova, olera, poma, reliquæque res agrestes. *Vitruv. lib. 6, c. 10,* apud *Vos. Etymolog. ling. Lat. v. xenia.*

tabernaculo mansit plerunque. Quid quòd flagitia graviùs vindicanda, dolo, non culpâ committuntur [47]: magistratus autem, qui comites non abstinentes eduxit, culpâ magis, quàm dolo delinquit [48]? Sed jam redeamus ad Lucianum, qui proximè à postremo loco sic ait: *Tunc accepi ab Syndicis, in Petri, lictorúmque cibaria insumptos centusses quindecim, asses unum, & quadraginta.* Quid vobis videtur, Iudices, hâc de fabellâ? númne temulentus iste, & longè post natos homines falsissimus, totum memoriæ dolium exhausit? horas paullo-antè, ac temporis puncta commeminit: mox aureorum oblîtus: nunc assium quoque memoriam conservat. moriar, ni ei memoria, ocu-líque abundè deficiunt, quandò in montes etiam offendit. adspexit in Syndicorum manibus tabellam, calculúmque inspectavit, sed hallucinatus egregiè, in eodem, quo Syndici, errore versatur. Postremò: *Accepti ceras*, inquit, *Petrus extorsit, & comprehensos in illis centusses quatuor nunquam pependit*. Homo magis quàm leno perjure. quomodo? quâ viâ? quâ ratione id nôsti? profectò (quâ es impudentiâ) ex te gignis velut araneus, & ad suenda mendacia, miserrimâ mercede conductus, huc ad-

47 Nam quæ dolo admittuntur, ea propriè crimina appellãtur: quæ culpa, non æquè. Ideoq; nõ veri, idest dolo patrati, sceleris pœnã, sed mitiorem culpam meretur. *Qui enim ædes, acervumve frumẽti juxta domum positum cõbusserit, vinctus, verberatus, igni necari jubetur, si modò sciens prudensque id cõmiserit. Si verò casu, idest negligentia; aut noxiam sarcire jubetur, aut, si minus idoneus sit, leviùs castigatur*. Verba *l.* 9, *ff. de incend. ruin. naufrag.* Adde *l.* 4, §. 1, *ff. ad l Corn. de Sicar.* & *l.* 108 *de reg. jur.* Imò *In lege Cornelia dolus pro facto accipitur. nec in hac lege culpa lata pro dolo accipitur. quare, si quis alto se præcipitaverit, & super alium venerit, eumque occiderit: aut putator ex arbore, cùm ramum dejiceret, non proclamaverit, & prætereuntem occiderit, ad hujus legis coërcitionem non pertinet*. Verba *l.* 7 *cit. tit. de Sicar.* Adeò autem placuit Doctoribus, latam culpam dolo non æquiparari, ut existiment, nullam, ex regula, corporalem pœnam ob latam culpam infligi. *Clar.* § *fin. q.* 84. *Farin. q.* 87. Dixi *ex regula*: etenim quandoque ob latam culpam corporalis etiam pœna irrogatur. qua de re videsis *Farin. ibid.* 48 *Anton. Matth. cit. c.* 1. sufficeretque hîc dupli pœnam exigere. *Farin. q.* 111, *n.* 141.

venis [49]. nónne apud Petrum Syndicos reperî ſti? nónne aberas ante hac? nónne igitur fieri potuit, ut ante illud tempus Petrus argentum pepẽderit? nimírum ad te, cujus inconſulta temeritas eſt, nihil attinet, quod ante hac factum erat. An fabulabere, id ab Syndicis te accepiſſe? at ſi ita res erat; cur non auritum, ſed oculatum teſtem te facis? utique non debuiſti tam facilè, quæ ignorabas, adſeverare [50]. alium quære, falſijurie; hic non eſt locus, quem tu commentitiis fabellis, impudentibúſque figmentis refercias. Horum homuncionum cognitis, Iudices, patefactíſque mendaciis, ad alteram criminationem elevandã, refellendámque noſtra oratio progreditur. Inimicâ, injuſtiſſimáque iracundiâ incenſus ad accuſandum vênit Popilius. vênit ad evomendum acerbitatis virus, paucis ante diebus conceptum, quando apud Petrum, rem ſtatuentem, vitilitigator

49 Pura & ſimplex facti negatio, ideſt, quæ locũ, & tempus non habet adjunctum, naturali ratione, probari non poteſt. *l. 10, C. de non numer. pecun.* proptcrea docent *D.D. apud Farin. q. 61, n. 205*, falſi pœna teneri, qui ſuper hujuſmodi, teſtimonium dixerit. ni ma velis dicere cũ Claro *in §. falſum*, & Boſſio *de defenſ. reor.* eum extra ordinem puniendum: aut cum eodem Boſſio, *loc. cit.* & Paciano *lib. 1, c. 36*, poſſe judicem à pœna abſtinere, eumque tormentis ſubjicere.

50 *L. 13, §. 3, ff. de act. empt.* Teſtis Qui aſſeverat, quod certò non ſcit, cum animoſitate deponit: proptereaque rejicitur. *Farin. q. 60.*

tor [51] egregius,& qui litem movebit,si vel asinus
canem momorderit [52], gravissimâ lite ceciderat.

Oo 2 sic

51 Vitilitigator, hoc-est vitiosus litigator, obtre-
ctator,calũniator.Thes.L.L.v.vitilitigator.& qui sola pravitate cõtẽtionẽ quærit.Tiraq. in Alex.ab
Alex.dier.gen.lib.4, c.15. ex vitio , & litigatore cõposita dictio.Tiraq.ibid.ubi putat Alexãder,Vi-
tilitigatores Vlpiano l.9,§. 2,ff.de offic. procõs. esse advocatos causarum cõcinnatores: cõcinnatorẽ
verò causarum eũ dici,qui lites,captionibus,& cavillis improbis,in longũ ducere molitur:ut expo-
nit etiam Corasius in eod.§.2.& 1 misc.4.qui moratores Ciceroni in divin. si rectè ibi pro oratorũ,
moratorum reponit Cujac.4.obser.ult.Ad hos,credo,respexit Lipsius,quum 2 Polit.11, ait: Quem-
admodum vis morborum pretia medentibus ,sic fori tabes pecuniam advocatis fert . inde publica
mercis nihil tam venale,quàm advocatorum perfidia.Et cur dissimulem? pestis Europa caninum
hoc studium,quod haud temerè quispiam concessum latrocinium dixit. sine caussidicis satis felices
olim fuere,futuraque sunt urbes.Ad hos,credo inquam, respexit Lipsius: secus aliena loqueretur :
neque enim est,cur ipsi non placeant Advocati,impendioque minus,ut adeò displiceãt. Advocato-
rum antiquitatem si repetis ; aut èa ab judiciorum origine , aut certè ab Legibus decemviralibus.
etenim,his latis legibus,cœpit,ut naturaliter evenire solet,ut interpretatio desideraret,prudentium
auctoritate,necessariam disputationẽ fori.Verba Gaji in l.2,de orig jur. à qua disputatione Orato-
res. in foro enim natam eloquentiam docet Cicer.in libr.de clar. Orat. Si necessitatem respicias ;
eadem Gaji verba demonstrant : & vir doctissimus Matienz. de Refer. Iudic. & Advoc. offic. p. 1,
c.8.Eam,inquit,remp.infelicem dixerim, in qua Advocati desunt: debiliores enim à potentioribus
oppressi,justitiam consequi non possent: ob cujus defectum ad arma necessariò esset deveniendum.Sa-
tis necessitas est manifesta ,æquè verè manifesta utilitas. Advocati , inquiunt Impp. Leo & An-
them. in l.14,C.de Advoc.divers.judicior.Qui dirimũt ambigua fata causarum , suaque defẽsionis
viribus,in rebus sæpe publicis,& privatis lapsa erigunt,fatigata reparant;non minùs provident hu-
mano generi,quàm si præliis,atque vulneribus patriam parentesque salvarent.nec enim solos nostro
imperio militare credimus illos,qui gladiis,clypeis,& thoracibus nituntur , sed etiam advocatos :
militant namque causarum patroni,qui gloriosæ vocis confisi munimine,laborantium spem, vitam,
& posteros defendunt.propterea quicquid ex hujusmodi professione,vel ipsius occasione quæsierint,id
etiam post patris obitum,præcipuum,veluti peculium castrense, ad exemplum militum,proprio do-
minio valeant vindicare.Verba l.4,C.eod.Sunt Advocati in honore,ac dignitate positi. l.6, §.6, C.
de postul.Viv.com.opin.tit.Doctor.Vualter.de privileg.D.D.c.4,§.11. Imò eorum ordo seminarium
est dignitatum.Nov.unic.Theod.de postul.Ab Imperatoribus appellãtur Amici. l.4, C. de contrah.
stip.l.Parentes.l.4.C.locat.ab optimatibus,nõ Fratres,sed Domini appellandi. l.2,& 3,ibique D.D.
C de offic.divers.judic.Et,deposito etiã officio,Clarissimatus dignitate potiũtur.l.1.C.deAdvoc.di-
vers.judic.Reverentia studiorum,nulla illis solicitudo injungatur, nulla inspectio, nulla peræqua-
tio ingeratur,nulla operis constructio nulla discussio, nullum ratiocinium imponatur ,nullum de-
nique aliud eis mandetur præter arbitrium , in eodem duntaxat loco , ubi advocationis exerunt of-
ficium. Verba l.5,& 6.C.de Advoc.divers. judicior. Quæ quidem omnia maximè locum habent in
Advocatis fori principalis: quibus hoc etiam tribuitur,quòd patria potestate solvuntur. D.D. in l.
ult.C.de Decur.lib.10.& eos qui lædit,majestatis tenetur.Matiens p.cit.c.9. Isern.quem vide,in c.1.
Quæ sunt reg.n.80.Sunt sanè Advocatis pleraque prærogativæ, eorũque officio , si rectè impenda-
tur,nihil ornatius.Cassiod.1 variar. 2.Vide Xamar de offic Advoc.Matiens.tr.cit.Amay.ad l.unic.
C.de infam.lib.10.n.87, 88,& 89. Cujac.16,obs.22.Vualter. tr. cit. Donell. & ad eum Osuald. com-
ment.jur.lib 18,c.3.At cur tam multa,si,judice Lipsio,pestis Europæ? nempe laudabile , vitaque
hominum necessarium advocationis officium , maximè principalibus præmiis oportet remunerari.
Verba l.4.C.de advoc.divers.jud. 52 Quavis de causa qui litem facit , & qui frequens in liti-
bus versatur,calumniosus præsumitur.Menoch.5,præs.25.Farin.q.56,n.461.& modò pecuniaria
pœna,modò jurisjurandi religione,modò infamiæ metu coërcetur.Inst.de pœn.temer.litig. ibique
Harprecht.De litigiosis hominibus Vide c.1, dist.96.

ſic loquitur: *Hic decimus eſt menſis, ex quo mihi nuntiatum eſt, bucerum meum, meique germani fratris armentum ab Irpini Auditorii magiſtratibus juſſum Monteſuſculum duci. Suſpicatus ſum factum id cauſsâ ejuſdem germani, qui paullo-antè tribunalis illius imperium (quâ eſt juvenili temeritate) contumaciter ſpreverat, multámque commiſerat: propterea literas ad Trajanũ, meum ſororium, miſi, ut, clam datâ pecuniâ, à magiſtratibus impetraret, armentum ad paſcua remitti. is mihi per pecoris cuſtodem renuntiavit, Domitiani, mei vitrici, operâ, ab Auditore Petro de Amore id exoratum: quem Auditorem poſtea aliquanto centuſsibus quinquaginta meo nomine remuneravit. quâ de re de pecuniis repetundis* [53] *Petrum accuſo.* Ecquiſnam, judices, veſtram ſingularem, & incredibilem ferè patientiam nõ demiretur? ecquiſnam tot ineptias æquo animo tuliſſet? Ego quidem longè, vehementérque diſſentio ab interpretibus illis [54], qui opinantur, licere judici aliquid accipere, non ut faciat, ſed oblatũ grati animi ergô poſtquã fecerit officiũ: etenim mihi valde probatur illud XII: *Donum ne capiunto, néve danto, néve petendâ, néve gerendâ, néve geſtâ poteſtate* [55]. majorémque in modum placet regni lex, imperans, ut *nemo ex officialibus, cujuſvis conditionis, qualitatis, aut dignitatis, nec eorum uxores, aut filii, aliique eorundem poteſtati ſubditi,*

[53] Repetũdarum, ſive de pecuniis repetũdis, multæ leges latæ ſunt: de quibus vide *Sigon. 2 de judic.* 27. Noviſſimè lata eſt Iulia, à C. Iulio Cæſare: qua tenetur qui in magiſtratu, poteſtate, ratione, legatione, vel quo alio officio, munere, miniſterio-ve publico quid acceperit, quo magis, ut minus officium faceret. *l.* 1, 3, 4, 6, 7, & *ult. ff ad l. Iul. repetund.*

[54] Bart. *in l.* 27, *ff de donat.* exiſtimat, magiſtratui poſt rẽ confectam, fas accipere, quod ipſi remunerationis cauſſa offertur. eumque certatim ſequũtur *D.D. apud Farin. q.* 111. Verùm cõmunem hũc errorem rectè notavit *Alciatus 2 Parerg.* 49. & facilè refellitur, ex *l ult. C. ad l Iul. repetund.* Nec juvat Bartolum *cit. l.* 27. non enim ibi *pratori*, ut perperam olim legebatur, ſed *rhetori*, ut in Florentinis legitur, donatio facta eſt. *Alciat. loc. cit.* quicum ſentiunt *Fachin. contr. jur. lib.* 2, *c.* 80. & *Matth. cit. c.* 1.

[55] Verba *l.* 12 *tab. tit. de promulg. L.L.* Eadem habet *Cicero* 3 *de L.L.*

diti, neque per se ipsos, neque per interpositam personam, possint, nec debeant, ullo modo, aut ullo tempore accipere aurum, aut argentum [56]*, aut res aliquas cujuscunque generis, etiam comestibiles* [57]*, sive magni, sive parvi valoris, quantitatisve sint* [58]*, sub pœnâ restitutionis rei donatæ, cum duplo, atque suspensionis officii, primâ vice, quâ contrafecerint: secundâ verò totalis privationis ipsius* [59]. Non me latet vetus proverbiũ [60]: *Neque omnia, neque quovis tempore, neque ab omnibus;* hoc-est sicuti omnia accipere avarissimum est, passim verò vilissimum; ita nihil, aut à nemine, valde inhumanum existimari [61]: sed *tutius est, legibus obtemperare dicentibus, nulla pro patriæ ministerio munera esse accipienda* [62]. optimus noster Legis-lator magis voluntatem peccandi intuebatur, quàm modum: factáque ad cõsilium dirigebat, & quid, non

56 Quid ita? *Abducuntur nonnũquam Iudices ab institutis suis magnitudine pecuniæ.* Verba Cicer. Verr. 6. *Ingentes divitiæ, judiciorum religionem, veritatemque solent perfringere. Nihil enim est tã sanctum, quod non violari; nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia possit.* Verba ejusdem *Verr.2.*

57 Scilicet *escariis muneribus non oportet judicia hominum corrumpere.* Verba *Cicer. pro Muren.*

58 Enimverò *Non permittendum, ut vel hæc judices capere possint.* arg. c. militare 23 q. 1. Tolos. lib. 2 de Rep. c. 6. *nam & in minimis est affectio, & ex minimis si permittantur, facilis ad majora optanda & capienda est via.* Ventur. de Valent. in Parth. litig. lib. 2, c. 10. Verba *Carpz. q 93. n. 61.* Quid quòd *non dantur cum charitate sed per corruptionem? & qui dat judici unam gallinam, dat cum intentione ut habeat ab eo bovem: & dicunt rustici, quòd xenium intrat per portam judicis, & diabolus exit per fenestram.* Verba *Par. de Put. de Synd. lit. P. c. 2.* 59 Verba *pragm. 1, de muner. offic.* Intellige tamen, non posse eos accipere *à personis, quæ coram ipsis judicibus, & officialibus litigant, quomodocunque, vel ab earum parentibus, filiis, uxoribus. de cæteris autem personis si aliquid acceperint, sit cum omni temperantia, & moderatione, & tantummodò in rebus parvi momenti, veluti sunt volatilia feræ, fructus, & similia, paucis tamen vicibus, ita ut ex hoc non generetur usus.* Verba *pragm. 4 eod. tit.* Quæ verò veniant nomine volatilium, fructuum, & similium, quæque non, & quæ nomine personarum, quòd ad hanc rem, litigantium propinquarum, exponit *pragm. 5, eod.* Adeo autem magistratuum crimen istud abominatus est Cæsarum illud specimen, ac decus, Carolus V, ut singularium (quinque tamen, & omni majorum exceptione) testium oratio, ad plenã ipsi probationem sufficiat. *cit pragm 4.* At quid illi abominationem hanc peperit? *Quis nescit, munera habere vim evertendi animum à recto judicandi tenore?* Verba ejusdem Caroli *pragm. 2, eod.* profectò *xenia & dona excæcant oculos judicum* Verba Ecclesi. c. 20. *Excæcant prudentes, & subvertunt verba justorum.* Verba *c. 23 Exod.* & *Deuter. c. 16.* & vel Deos movere creditum antiquis. *Eurip. Med. Ovid. 3 de art* qui hac de caussa Iustitiam manibus orbam pinxerunt. *Zypæus de Iudic. c. 15.* Vlpianus tribus ait judicia corrumpi: gratia, inimicitia, sordibus. *l. 15, ff de judic.* Vide hac de re *Xammar de offic. Iudic. c. 20.* & *Stef. Nath. Iustit. vulnerat. p. 2, t. 3, c. 2.* 60 Apud *Vlp. in l. 6, §. de offic. Proconf.* 61 Teste *Vlpian. cit. §. 3.* 62 Verba *Plat. 12 de L.L.*

non in quantum admissum foret, æstimabat [63]. Hæc,inquam,mihi valde probantur:veruntamen hominis istius turpitudo me commovet. si enim odiosum genus est hominum officia exprobrantium, cùm ea meminisse debeat is,in quem collata sunt,non commemorare qui contulit [64];quanto dignus est odio hic blatero,qui non exprobrat modò, verùm-etiam, in quem accepisse dicit, se se criminaliter inscribit?Commovet me item hùjus Vertumni acharistia. quis unquam (sint vera quæ dicit) ipsum coëgit, aut provocavit ad munus?num Petrus eũ concussit?num pecuniã pepigit? ergo quòd Petrus ipsi dimisit pecudes, quòd votis ejus fecit satis,illum accusat? scilicet aries educationis mercedem solvit [65]. Commovet me denique, commovétque non-nihil istius hominis inverecundia,atque temeritas. Observâstis,Iudices,quâ perfrictâ,quâ impudicâ, quâ tabernariâ fronte professus est, se Trajano mandata dedisse ad corrumpẽdos turpissimâ largitione magistratus eximios? quid ad hanc impudentiam,quid ad hanc

63 Vt de crimine Repetundarum loquitur Vellej. *Paterc. histor.* 12.Duo hæc, Platonis &Vellęji loca,ut pleraque omnia, docuit me primarium Advocatorum olim facilè Primas, deinde Fisci Patronus, haud multo post regius Consiliarius, nunc regiæ Cameræ Præsidens, D. Ioãnes Hieronymus de Philippo. Vir sanè quantivis pretii,vir regula rectior, vir, cui nihil potest nec addi, nec adimi, & qui vel Momo satisfaciat.*Napoli lo stima e per la eloquenza, e per la dottrina della professione legale uno de' maggiori lumi del secolo vivẽte*. Verba Majol. Bisaccion.in histor. cui titulus: Guerre Civili di Napoli. *E quel che hà fatto sotto il Montesarchio, e Roccaromana, lo sà Acerra, Capua,Teano,Napoli,e tutto il Regno:riducendo la sua facondia all'obedienza* Regia *più Terre, che altri non hanno fatto con gli eserciti intieri*. Verba *Thom.de Sanct.in libr.cujus præscriptio:Historia del Tumulto di Napoli*. Nempe hic unus Hieronymus satis superque,ut *cedant arma togæ,concedat laurea linguæ*. 64 *Cicer.de Amicit.Liv.lib.* 9.*Equidem censeo, eum,qui beneficium accepit, oportere omni tempore meminisse: eum autem, qui dedit,continuò oblivisci.*Verba Demost.orat.pro Coron.*Acceptum officium memora, atque extolle: sed abs te Collatum extenua, & potiùs sine prædicet alter.* Carmina *Muret. ad M. Ant. Fratr. F.* Exprobrare est humanitatis,& benevolentiæ jura solvere: & apud generosos est intolerabilius, quàm ipsa rei præstitæ exactio.*Car.Paschal.de virt.& vit. c.51.* 65 Adagium in ingratũ, quòd aries cornu petat pastorem. *Berlac. in Adag.*

hanc audaciam addi poteſt? nónne videtis, Iudices, ut per ignem incedat, ut gladiatorio animo, & certo cum ſuo ipſius periculo in Petrum invadat? nónne quum accipere turpe, & dare quoque turpe eſt [66]? nónne in L. Corneliam de falſis [67], & Iuliam repetundarum [68] incidit, qui judicem corruperit, aut corrumpendum curaverit? Nunc jam videamus, Iudices, quibus teſtibus, falſus, & nequam homo iſte calumniam confirmet. ſanè quàm ampliſſimis, &, me hercule, dignis, quibus tanquam novis Xenocratibus, etiam injuratis credatur: ſororio, vitrico, bubſequâ. Num è ſuſpicioſorum hominum grege poterant magis ſuſpicioſi proferri? quis ſuſpicioſior ſororio? quis vitrico? num conſanguineis, aut affinibus accuſatoris

66 *Præ omnibus illud ſervari ſancimus, ut nullus per ſuffragium auri, aut aliarum rerũ, Epiſcopus ordinetur. Si quid autem tale cõmittatur; ipſi ſemetipſos, & dantes, & accipientes, & mediatores eorum, ſecundũ ſacras Scripturas, & ſanctas regulas damnationi ſubjiciunt.* Verba *Nov.* 123. c. 2. ubi *Gothofr. lit. L.* hæc notat: *Relatorum eadem natura. vetatur aliquis dare, ergo & accipere.* l. ult. in fin. C. ad l. Iul. repet *prohibitum eſt docere* (Mathematicam) *ergo & diſcere. l.* 8, *C. de Maleſ.* & lit. O: *Et hoc quidem eſt notandum adverſus proxenetas rerum turpium De proxenetis rerum illicitarum adde* l. ult. ff de proxenet.

67 *L* 1, § 2, *ff ad L. Corn. de falſ.* cujus verba hæc ſunt: *Sed & ſi quis ob renuntiandum, remittendumve teſtimonium, dicendum, vel non dicendum pecuniam acceperit, pœna legis Corneliæ adficitur. & qui judicem corruperit, corrumpendumve curaverit.* Non hic omittam quæ ad explicationem principii hujus §. adfert Gothofredus lit. P. hæc ſunt: *Denuntiandum,* Vulg. Hal. *venundandum, vel non remittendũ,* Vlpian. d. loc. *Ecloga multo apertius id explicat: Si quis ad* accuſandũ, *vel non* accuſandum: *ut hæc verba ad criminalia judicia referantur: hæc verò quæ ſequuntur,* dicendũ, non dicendum, *ad civilia. Paulus generaliter loquitur: Ob falſum teſtimonium perhibendum, & verum non perhibendum,* 5. *ſent.* 25 *ut ſit ſenſus: Vtrobique, ideſt, in civilibus, & criminalibus negotiis falſa teſtimonia puniri.*

68 *Non modò adverſus accipientem, ſed etiam adverſus dantem accuſandi cunctis, tanquam crimen publicum, concedimus facultatem: quadrupli pœna eo, qui convictus fuerit, modis omnibus feriendo.* Verba l. ult C. ad l. Iul. repetund. *Quod tanquam paradoxum notandum: cùm ipſa criminis appellatio reclamet, nec repetundarum poſtulari propriè poſſit qui dedit, ſed qui accepit.* Verba Matth. de crimin. tit. 8, c. 1, n. 11. *Sed* corruptori medicina eſt confeſſio Verb. *Gothofr. in auth. novo jure, C. de pœn. jud. qui mal. judic.* quod intellige: ſi probavit. *Novo jure qui dicit ſe dediſſe alicui, vel promiſiſſe. & perſonam declaraverit, ET HOC PROBAVERIT veniam meretur.* Verba *cit. auth.* nam *litigator, qui oſtendere non potuit, in cauſa pecuniaria æſtimationem litis à comite rerum privatarum, exigatur, lite ſuſtinente proprium eventum: in criminali, bonis omnibus confiſcatis: cauſis apud competentem judicem legitimè terminandis.* Verba *cit. auth.*

ris testimonii dictio sit [69]? quis suspiciosior bubsequâ? númne pauperibus[70], num plebejis homunculis [71], num famulis, maximè vilibus, in rem dominorum [72] testimonium dicentibus fides habeatur? Sit iis dictio testimonii, sint locupletes, sint ampli, sint amplissimi; quid tum postea? quo pacto id factum sciunt? quomodò, tu bubsequa? quomodò? heus tu, tecum loquor, tibi dico, quomodo? quid mihi dormis? bubulcita, bubulcita, dic sodes. *Audivi*; abs quo? *à marito sororis*; persequere; *Sororis Popilii*. papè! solidè nôsti, cōpertúmque habes [73]. tu verò, Trajane, quâ nôsti viâ? *Vt mihi Popilius significavit, bucerum ejus armentum Montefusculū ductū; ad Domitianū ejus vitricum, & Petrum de Amore, quicum est mihi certa, stabilísque amicitia, commendatitias literas dedi. postridie ejus diei uterque mihi rescripserunt, armentum à Petro dimissum: addebátque Domitianus, addecere Petro reddere beneficium: quâ de caussâ paucos post dies misi eidem quinquaginta centusses, ut iis Petrum remuneraret. ecce autem, quas paullo-antè commemoravi, literas Petri.* Dic mihi anteomnia, dic, os futilissimum, os impudentissimum, dic, quam artem profiteris? *Iurisprudentiam.* Homo ignavissime, atque onagro indoctior. nihílne te pudet, artem omnium nobilissimam,

69 *c.*1, & 10, 3, *q.*5. *c.*18, 3, *q.*9. *l.*3, 9. & 24, *ff. de test.* Vide *Farin. q.* 54.

70 Testis fides ex multis, sed ex eo non minimùm pendet: utrū locuples, an egens sit, ut lucri caussa qd facilè admittat. *c.*7, 2, *q.*1. *l.* 3, *ff. de testib. Pauperes*, inquit Arist. Rhetoric. ad Alex. c.15, *lucro mēdacii suspicioni obnoxii testificando existunt.* Vide hac de re *Farin. q.* 57.

71 *Hac etiam testium conditio exploratur: utrùm decurio, an plebejus sit..* Verba *cit. l.* 3. Vide *Farin. q.* 57.

72 Cur ita? Quoniam *testes eos, quos accusator de domo produxerit, interrogari nō placuit* Verba *l.*24, vbi *Gothofr. ff. de test* & *eos testes ad veritatem juvandā adhiberi oportet, qui omni gratia & potentatui fidem religioni judiciaria debitam possint praponere.* Verba *l.*5, *C. eod.* Qui gratiæ obnoxii, qui domestici, & quid potentatus, vide *Gothofr citt l.l.* 24, & 5. Vide in hanc rem *Farin. q.* 55, *inspect.* 2.

73 Auriti testes nec probant, nec præsumptionem faciunt. *Farin. q.* 69. *Pluris est oculatus testis unus,* inquit Comicus, *quàm auriti decē: Qui audiunt, audita dicunt. qui vident, planè sciunt.*

ſimam [74], artem boni & æqui [75] agere? nihílne te pudet, divinarum atque humanarum rerum notitiam, juſti atque injuſti ſcientiam [76] profiteri? hoccíne jura docent? docent mendacia, atque perjuria, an verò in mendaces [77], in perjuros [78] animadvertunt? quàm verum, inſignia virtutis, mul-

---

74 *Tiraq. de Nobilit. c. 5.* & *Doctores ſunt perſona in dignitate cõſtituta à Principe, aut cui regale creãdi Doctores ab eo datum, & conceſſum eſt, prævio accurato examine virtutis, & ſcientiæ, certis cæremoniis, & ſolennitatibus inaugurata, multiſque privilegiis dotata ad commodũ reip. cujuſvis.* Verba Vvalter. de privileg. D.D. c.4, §.11. *Quod Doctoratus ſit dignitas teſtãtur* c. quanto de Magiſtr. Viv. in commun. opin. tit. Doctor. Mynſing. cẽt. 4. obſer. 31. Iacob. Ben. de priv. Iuriſc. priv. 62. Rutger. Rulãd. tr. de Commiſſ. lib. 7, c. 2. & Guid. Pap. deciſ. 388. *Rectè Meland.* in Idea Stud. polit. *Statuit & diſpeſcit cives, ut alii ſint eminentioris conditionis, alii inferioris. Eminentioris cõditionis cives cõſtituit Nobiles, & Doctores.* Verba *Vvalt. loc. cit.* Vide eũdẽ *c.9*, §.50, 51, & 52. 75 Iuris prudẽtia ars boni & æqui. l. 1, de juſt. & jur. *Cujus meritò quis nos ſacerdotes appellet.* Verba *l. cit.* ubi vide Gothofr. *verã, ni fallor, philoſophiã, nõ ſimulatã affectantes.* Verba *l. cit.* Ars, inquã, boni, & æqui: etenim licèt *in omnibus quidem, maximè tamen in jure æquitas ſpectanda ſit.* Verba *l.90, de reg. jur.* propterea, *etſi nihil facilè mutandum eſt ex ſolennibus, tamen ubi æquitas evidens poſcit, ſubveniendum eſt.* Verba *l 183. eod.* & *quotiẽs æquitas deſiderii* (poſtulantis, agentis, ut exponit *Gothofredus*) *naturalis ratio* (ideſt æquitas juſtæ cauſæ, cui multum à judicibus tribui ſolet l. 1. & 26, ex quib. cauſ. major. *Gothofr.*) *aut dubitatio juris* (quæ oritur ex contrariis legibus. *Gothofr.*) *moratur* (ideſt impedimentum affert quominus res poſſit decidi. *Gothofr.*) *juſtis decretis res temperanda eſt.* Verba *l.85, §.2, de reg. jur.* temperare, eſt inter ſummum, & nimium indulgens jus, medium locum tenere. *Gothofr. cit.* §.2.) *Summum jus ſumma injuria. Ius ſummum intellige ſtrictum, quod & æquo opponitur.* l.2, §.5, de aqua pluv. arc. l.1, C. de L. L. l.8, C. de Iud. *jus ſtrictum eſt vel ipſa lege ſcriptum.* l. 12, ff. qui & à quib *vel ex ipſa lege ſubtiliter inducta interpretatio.* l.32. ff. de reb. cred. *ut ſæpius, non eſt ſcripta æquitas. ſed pro ratione circunſtantiarum, facto accommodatur: ideoque quæ legibus omiſſa ſunt, ſuppleri ſolent.* l. 13, ff. de teſt. *Eſt igitur æquitas legis ſcriptæ æquamentum ad utilitatem hominum reductum, vel non ſcriptæ ſupplementum.* Verba *Gothofr. ad cit. l.90.* Vide *Vacon à Vacun lib. 1, declar. 28. Treutl. & ad eũ Bachov. & Hun. diſp. 1. tit. 1, theſ. 2.* 76 §.1, *I. de Iuſt. & jur.* Altera juriſprudẽtiæ definitio, quæ tamen mirificè, ſed malè divexatur. *Donell. com. jur. c.16 Treutl. loc. cit. Harprecht. Inſt. de Iuſt. & jur.* §.1. 77 Simplex etiã mẽdaciũ, & abſque jurejurãdo, turpe eſt *c.8, 22. q. 2.* certiſsima animi peſtis, efficaciſſimũ animæ venenũ. *Harprecht. Inſt. de injur.* etenim *omnes, qui amant mendacium, filii ſunt Diaboli* Verba c.20, 22, q.5. *Quæ pœna à Diis immortalibus perjurio, hæc mendacio conſtituta eſt. Non enim ex pactione verborum, quibus jusjurandum comprehenditur, ſed ex perfidia, ac malitia, per quam inſidiæ tenduntur alicui, Dii immortales iraſci ac ſuccenſere conſueverunt.* Verba *Cic. pro Roſc. Com.* Vindicatur mendacium pœna ſtellionatus *l.2, C. de crim. ſtellionat.* quæ pœna eſt arbitraria. *Menoch. de arbitrar. caſ.* 381. 78 Perjurium immane peccatum. *c.3, 23, q.1*, & grande ſcelus. *c. ult. ead.* ejus pœna infamia. *c. 17, 6. q. 1. l. 41, C. de tranſact.* & extra ordinem puniri ſolet. *Menoch. de arbitr. caſ.* 319. Falſi teſtis in cauſa publici & capitalis judicii pœna talio *l. 1, ff. de falſ.* in alia, ſive criminali, ſive civili, pœna falſi. *cit. l. 1.* quæ, cum publicatione bonorum, deportatio. *cit. l. 1, §. ult. Ioach. à Beuſt. de jurejur. n.* 213. hujus regni jure, in criminali judicio, & teſtis, & conſulentis, inſtruentiſque; ſive ſit contra reum, ſive pro reo, ultimum ſupplicium: in civili verò, dexteræ manus obtruncatio. *pragm. 5, de falſ.* Si eſſet in more; ò quot Scævolas videremus!

multos etiam ſine virtute aſſecutos [79]! Quam dicis Petri epiſtulam ad te datam, nullâ neceſſitate cogente, ſed ſolùm ut eum premas urgeáſque, ad Cognitorem affers; & nihilominus citra ruborem te illi amicum profiteris! porrò amas Petrum ut lupus ovem, eorúmque inſtar facis, qui amicitiam ſimulantes, hoſtibus conſilia produnt face accenſâ. apertè vel odiſſe magis ingenuum eſt, quàm fronte occultare ſententiam [80]. vulpinari non decet: bonitatis verba imitari major malitia eſt: & malus ubi bonum ſe ſimulat, tunc eſt peſſimus. *Totius juſtitiæ*, inquit Cicero [81], *nulla eſt capitalior peſtis, quàm eorum, qui tum, dum maximè fallunt, id agunt, ut boni viri videantur*. certè dici non poteſt quàm indignum facinus admiſeris. Audi Petrum te jure optimo increpantem: *Homo & humanitatis expers, & vitæ communis ignare*. quis enim unquam, qui paullùm modò bonorum cõſuetudinem nôſſet, literas ad ſe ab amico miſſas, offenſione aliquâ interpoſitâ, in medium protulit, palámque recitavit? quid hoc eſt aliud, quàm tollere è vitâ vitæ ſocietatem? tollere amicorum colloquia abſentium? quàm multa joca ſolent eſſe in epiſtolis, quæ prolata ſi ſint, inepta eſſe videantur? quàm multa ſeria, neque tamen ullo modo divulganda [82]? Egóne hoc fine ſcripſi, ut ederes? per ſomnium non cogitavi. homo inconſpectè, tollis è vitâ commercia, aut certè libertatem literarum.

79 Indoctus Doctorem ſe dicens, mentitur, nec Doctorum privilegiis utitur. Vvalter. *tr. cit.* §. 27. ſicuti *mẽdacium eſt, Chriſtianum ſe dicere, & opera Chriſti non facere. Mendaciũ eſt, Epiſcopum, ſacerdotem, vel clericum ſe profiteri, & contraria huic ordini operari*. Verba c. 10, 22. q. 5.

80 Cicer. *de Amic.*

81 Cicer. *offic.* 1.

82 Verba Cicer. *Philipp.* 2.

rum [83]. *Túne, túne mihi amicus? cur amicum nuncupas salute tenus & levi solùm notitiâ conjunctum? quando tibi jura sunt mecum ullis familiaritatis quæsita rationibus* [84]? *Sed si mihi non linguâ amicus; cur tam infestè, ac turpiter mecum egisti?* firmamentum stabilitatis, constantiæque, quam in amicitiâ quærimus, fides est, nihil autem stabile quod infidum [85]. Quidquòd nihil minùs hominis videtur esse, quàm non respondere in amore iis, à quibus provocere [86]? *At:* Eatenus, *inquis*, amicis & familiaribus auxilium ferendum est, quatenus perjurium non admittitur. neque contra remp. teste Tullio [87], neque contra jusjurandum ac fidem, amici causâ vir bonus faciet, ne si judex quidem erit de ipso amico: ponit enim personam amici, cùm induit judicis. nam si omnia facienda sint, quæ amici velint, non amicitiæ tales, sed conjurationes putandæ sint. *Denique:* Hæc, *inquis*, amicitiæ prima lex est, ut neque rogemus res turpes, nec faciamus rogati [88]: *Equidem laudo virtutem tuam, tibique eam gratulor: nam bis, ter, & ampliùs vivis, dũ vivis bene. Sed an eras perjurus si epistulæ mentionem apud Quæsitorem non fecisses? num ille te de literis meis interrogavit?* Putavi, *inquis*, piaculum, si literas silen-

[83] Verba *Lips. ad Dialogist.*

[84] *Amicos appellare debemus non levi notitia conjunctos, sed quibus fuerint jura cũ patrefamilias, honestis familiaritatis quæsita rationibus.* Verba *l. 223, §. 1. de verb. signif.*

[85] Verba *Cicer. de Amic.*

[86] Verba *Cicer. ad Brut. Epist. 1.*

[87] *Cicer. offic. 3.*

[88] *Cicer. de Amic.* An contra jus, contra-ve morẽ faciendum pro amico sit, & in qualibus, & in quibus causis, & quem-nã ad usque modum, disputat *Cicero de Amic.* & post eum *Gell. 1 noct. 3.* Vtiq; clementiùs punitur quod pro amico admiseris. *Tiraq. de pœn. temper. caus. 22.* Amicitiæ vinculum potens & prævalidum, neque ulla ex parte sanguinis viribus inferius *Valer. Max. lib. 4. c. 17.* imò præstat amicitia propinquitati: amicus enim dicitur. *Alter ego. Cicer ibid* cui convenit, quod Pythagoras effici in amicitia volebat; ut unus fiat ex pluribus. *Cicer ibid & offic 1. Diu cogita,* inquit Seneca Epist. 3, *an tibi in amicitiam aliquis recipiendus sit: cùm placuerit fieri, toto illum pectore admitte: tam audacter cum illo loquere, quàm tecum.* denique *haud scio, an excepta sapientia, quicquam melius sit à Diis immortalibus datum.* Verba *Cicer. de Amic.*

ſilētio præteriiſſem:amicus autem uſque ad aras. *Oracula loqueris, & vero veriora. laudo iterum virtutem tuam, iterúmque tibi gratulor. laudo quòd in Ægypto optâris eſſe potiùs, quàm malè agere: veruntamen multo-maximè ſuſpicor, eſſe te conſceleratum, impiúmque, tametſi virum bonum, & juſtum aſsimulas. quîd ſuſpicor? imò es: porrò es perjuriſsimus. tibi nec ara, nec fides: aras violâſti perjurio, & amicitiam, quam nominas, perturbâſti perfidiâ. Sed ubertim hæc meus mox paullò proſequetur patronus: faciétque, ut diſcas verum dicere: interim ego meliorem tibi mentem ex animo precor.* Quid eſt negotii, delicatule, quamobrem ſanguinis plenus, ſupercilia tollis, naſum corrugas, frontem caperas, obnubiláſque? quid eſt? quid eſt, quamobrem labra commordes, Petro iraſceris, atque in eum torvis minacibúſque oculis obtueris? ægréne moleſtéque fers, eum, quæ in te quadrant, rotundè elegantérque narrâſſe, tuáſque turpitudines expoſuiſſe? duriúſne aſperiúſque accepiſti, eum non Latinè minùs, quàm literatè tuas tibi objeciſſe ignominias, téque tibimet oſtendiſſe? poſtrema hæc duo æqui boníque facias: amici enim objurgatio amicè accipienda [89]. imò interdum objurgationes in amicis vigent maximè [90], & injuria non committitur, ſi domeſticum, aut propinquum, emendādi cauſſâ, quis acerbiùs increpet [91]. primum autem, & alterum patienti animo feras: etenim ea, jure iratus,

[89] *Cicer. ibid.*

[90] *Cicer. ibid.*

[91] *In corrigendis minoribus, pro qualitate delicti, ſeniorib. propinquis tribuimus poteſtatem: ut quos ad vitæ decora, domeſticæ laudis exempla non provocant, ſaltem correctionis medicina compellat* Verba *l. unic. C. de Emendat. propinq.* Vide *Menoch. de arbitr. caſ. 364.*

tus, & non convicii consilio [92] patefecit. utquid eum appetivisti mendaciis? vexâsti perfidiâ? exagistâti perjurio [93]? jure, inquam, iratus: iratus in quem, & pro quibus oportuit: iratus nec citiùs, nec diutiùs, nec ampliùs, quàm oporteret. non est injuria pati quod prior feceris [94]. imò, cùm injuria ex affectu facientis consistat [95]; consequens erit dicere, eum, qui in judicio, ad testem refellẽdum, verum illi crimen objicit, injuriarum non tene-

92 *Si non convicii consilio te aliquid injuriosũ dixisse probare potes, fides veri à calumnia te defendit.* Verba *l.5, C. de injur.* ubi *Gothofredus lit Z.* hæc habet: *Presumitur dolus quoties aliquid de genere prohibitorum, idest, quod legibus prohibitum sit, vel moribus, admittitur. vide tamẽ Socin. reg. 22. Sic verba injuriosa, animo conviciãdi prolata fuisse præsumimus: eo tamẽ casu purgationis juramentum, causa cognita, deferri potest: habita nimirum ratione personæ, quæ injuriosis natura sua verbis usa est: veluti si personæ propinqua* (amicus, per ea, quæ dicebamus n. 88) *si ætate senili, si imperium jusque aliquod habens talibus verbis usa fuerit.* Vide *Gayllum 2. obs. 106.*

93 Si contumeliis incensus, in contumeliosum eas rejiciat, pœnam non committit: *incõsultus* enim *calor calumniæ vitio caret:* Verba c. 8. §. notandum, 2, q. 3. Et sicuti *si quis percussorem ad se venientem, gladio repulerit, non ut homicida tenetur: quia defensor propriæ salutis in nullo peccasse videtur.* Verba *l. 3 C. ad l. Corn. de Sicar.* ita in nullo peccare videtur, qui cõvicium convicio repellit. *Gayll. 2, obs. 100. Gothofr. ad l. 18 ff de injur. Matth. de crimin. tit. 4, c. 1. Bajard. ad Clar. §. injuria, n. 14.* est enim famæ ut & vitæ habenda ratio *l. 26, ff. si quis omis. caus. testam. l. 10, ff. de pœn. l. 9 ff. de manumis. vindict.* imò & major. *l. 8, ff quod met. caus.* Videtur id constitisse Vespasiano, qui de jurgio quodam Senatoris Equitisque Romani ita pronuntiavit: *Non oportet maledici Senatoribus, remaledici civile fasque est,* teste Matth. loc. cit. *Scilicet ut quod ipse quis in alterius persona æquum esse credidisset, id in ipsius quoque persona valere patiatur.* Verba *l. 1, ff. quod quisque jur.* Sanè, si provocatus verum crimen provocanti objiciat, absolvitur. *Vrsill. ad Afflict. decis. 206, n. 13.*

94 *Senec. 1 de Ira, c. 30.* Comicus *apud Matth. loc. cit.* hunc in modum se excusat: *Tum si quis est, qui dictum in se inclementius existimat esse, sic existimet: sciat responsum, non dictum esse, quia læsit prius.* In rebus humanis ita comparatum est, ut damna, & reliqua maleficia iis potissimùm imputemus, à quibus initium injuriæ profectum est. *Polyb. histor. 9. Matth. de crim. tit. 5, cap. 3.*

95 *L. 3, §. 1, ff de injur. l. 41, §. 1, ff. ad l. Aquil.* Hanc ob rẽ *Primò excusatur ille, qui emendandi, castigandive caussa aut verberavit, aut dicto reprehendit,* l. 15, §. adjicitur, ff. de injur. *Secundò excusatur ille, qui joco quid fecit, aut imprudens, aut dum certat.* cit. l. 3, l. 4, l. 15. §. meminisse, ff. de injur. *Tertiò, cùm quis elevandi testimonii gratia testi crimen objicit, inprimis si id crimen probare possit. Quartò, cùm cautionem offerenti objicit, quòd assiduus, seu idoneus non sit. Quintò, cùm mulieri petenti dotem, aut doarium, heres mariti crimen objicit, de quo maritus vivens questus erat. Sextò, cùm hereditatem petenti objicitur, quòd legitimus non sit. Septimò, cùm beneficium petenti, cujus soli nobiles capaces sunt, objicitur ignobilitas. His & similibus casibus, cùm dolus absit, cessat injuriarum judicium.* Verba *Matth. loc. cit.*

teneri [96]. docétque Paullus, *eum qui nocentem infamavit, non esse bonum æquum ob eam rem condemnari. peccata enim nocentium nota esse, & oportere & expedire* [97]. Quîd graviter molestéque fers, quòd Petrus te perjurissimum appellârit? porrò *ferendus erit pudorem suum purgans* [98]. An talem te esse ibis inficias? ego veluti digito ostendam, tuísque te pingam coloribus. quæ te rogo responde. Nónne octavo ab hinc mense es à Cognitore Montefusculum arcessitus, ut hoc de crimine testimonium diceres? quidnam respondisti? te planè nescire: quâ igitur fronte, quæ tunc religiosè ac sanctè negâsti, eâdem nunc linguâ, perjurus affirmas? calidum enimverò mendacium loqueris, nimiò impudenter, atque ore durissimo jus-jurandum falsissimum juras. profectò neque mirum, neque novum fecisti, nec secus quàm tui similes adsolent. tuus te affinis convênit, suis te lacrimis permovit, adduxit: tandem (sed quîd tuum tibi somnium enarro?) tandem corrupit. mirum quidem ni corrupisset [99]. Sed jam tuum illud miraculum recensea-

---

96 *Matth. ubi sup. D.D. in l. 18, ff. de injur. & l. ultim. ff. quod quisq; jur.* etiã sine honoris præfatione. *Scult. ad Modest. Pistor. q. 127. Berlich. 5, concl. 59. Harprecht. Inst. de Injur.* Quid si crimen, ad testem refellendũ objectum, quis non probaverit? an injuriarum teneatur? ajunt alii, alii negant *apud Gayll. 2, obs. 101.* negantibus adhæreo, per ea, quæ *hoc cert. n. 1, 92, &* 95 dicebamus. Apud nos est pragmatica sãctio 2. *de testiũ refran.* his verbis: *Crimina & defectus ad infamiam testiũ si non fuerint semiplenè, vel per famam publicã probata, vel probati; puniatur opponẽs in decem tarenis* (duobus centussibus) *quæ pœna in fine officii à judice exigatur, si neglexerit opponentem, in dictam pœnam condemnare*: sed, quòd sciam, nec est in moribus. 97 Verba *l. 18, ff. de injur.* Subobscurus quibusdã videtur hic Paullus, proptereaque rem ita distingunt: Aut expedit reip. objecta crimina patefieri, & jure quis infamat, aut non expedit, & secus. alii verò putant licitum in judicio, extra non ita. alii denique licere, si citra animum injuriæ, cum isto nequaquã. *Gayll. 2, obser. 99 Clar. §. Injuria, n. 15, ibique Addit,* Vide tamen *Matth. de crimin. tit. 4, c. 1.* Vin' meam sententiam? Non est necesse omnium flagitia proferre. *Cicer. pro Mil.* sæpe gravius offẽdunt animos auditorum, qui aliena flagitia apertè dicunt, quàm qui committunt, *Cicer. in Sallust.* nunquam est non ineptum, nisi cùm est necessarium. *Cicer. 1 de orat.* 98 Verba *l. 25, ff. de proc.*

99 Qui dicto jam pro Titio testimonio alloquitur partem adversariam, præsertim sibi affinẽ, si primam deinde orationem retexat, censetur subornatus, & ejus primo, non secundo creditur testimonio. *Clar. q. 53. Farin. q. 66. & Guazzin. defens. 19, c. 2.*

ſeamus. Ex quo primùm interrogatus es, totâ hieme frigidior hieme Gallicâ factus, nullum potuiſti verbum emittere: adulto jam vere, rudere cœpiſti, & libellum, tuâ manu conſcriptum, ad Iudices Magnæ Curiæ miſiſti, ſed quâ es (ſit, Iudices, dicto venia) ſed quâ, inquam, es aſinus portans myſteria, tuâ te ipſe prodis harmoniâ, & veſtra turpiſſima, ſcelerı́ſque plena conſilia, tuâ imperitiâ divulgas. Principio, ne voluntarius videreris, evocatum te à Magnâ Curiâ ad teſtimonium perhibēdum dixiſti, ſed luculentiſſimum, hercle, mēdacium protuliſti: nullus enim evocatorius toto in hoc judicio libellus: itaque malè in Petrum animatus, non tantùm ultro, ſed etiam avidè, anxiéque in hoc judicium te ingeris [100]. aſſeruiſti, te podagræ doloribus in lecto detentum venire non poſſe; atquî hoc etiam manifeſtum mendacium turpiſſimúmque: nam tibi firma tunc erat atque integra valetudo, viciſſes cervum curſu, & grallatorem gradu. tandem expoſtulâſti, ut Scriba tuis ſumptibus ad te mitteretur, qui tuam orationem in tabulas referret. Ego, medius fidius, sūmopere lætor, te chiragrâ etiam nō laborâſſe: etenim pecuniam in loco negligere maximum interdum eſt lucrum [101]: veruntamen res nova, & prorſus inaudita maximam mihi admirationem ingenerat. Quòd quis, ut Alabandicum aliquod, ac Scythicâ oratione opus formis excudat, & in medium proferat,

[100] Huc refer ea, quæ hoc in Certamine dicebamus *n.* 18.

[101] *Terent. in Adelph.*

ferat,sumptus faciat immanes;excusatus fortassis haberi potest:sive quia,assentatione gliscente,eò nunc ventum hîc est,ut quorundam scripta, licèt proletaria,& quæ scombros,túsque metuant,quidam mercenario præconio , ac si per ea viveret, floreretque sapientia,ad cœlum usque extollant : faciántque non secus atque Simonides, qui [102], emolumenti gratiâ,mulabus,quanvis & ex asinis genitis : *Salvetote*, dixit, *volucripedum soboles equorum* : sive quia stimulus ille gloriæ,cujusque animum, noctes & dies concitat, sive quia ipsa demum inscitia confidentiam parit. *nihil* enim *pejus est iis, qui paullum aliquid ultra primas literas progressi, falsam sibi scientiæ persuasionem induerunt* [103]. verùm quòd quis consultò, & examinatâ jam re, morbum simulet,è longinquo tabellarios mittat, se se ipse excruciet, velítque numeratam pecuniam expendere , ut sua ipsius insignis perfidia, ut sua ipsius aperta perjuria mittantur in acta, & in sempiternum usque tempus ipse habeatur cõtaminatissimus; hoc sanè quidem, ab hominum memoriâ, nunquam & nusquam gentium auditum est . nimirũ hoc est,heroum fortissime, quod affini tuo dixisti : *Ego verò cupidè libentérque mentiar tuâ caussâ: mentiar, ut honori tuo consulam, protegámque calumniam.ut tua cupîdo impleatur, me pejerare paratum fore scito.non fuit caussa, cur tantum laborem caperes,& ad me venires:per nuntium hoc,quod*

erat

102 Teste *Aristot. Rhetor.* 3.

103 Verba *Quint. lib.* 1, *c.* 1.

erat tam leve, transigere potuisti. erige animum, quîd istum abjicis? ego nunquam-non tibi adero, tuáque causâ, nec sumptus effusos, nec millia recusabo pericula. ad omnes casus ferendos paratus, parvi ducam omnia, quæ possunt accidere. Heros, inquam, fortissime, heros insuperabilis, qui neque terræ-motus times, neque fluctus, & *si fractus illabatur Orbis, impavidum ferient ruinæ.* Age nũc videamus Petri epistulam. quænam illa est? istáne? quàm malè olet caseum, laridúmque! homo tressis & sordidæ gulæ, eam sordido in loculo asservatam sordidissimis manibus sæpissime attrectasti. ostende frontem illius, & videamus an tibi inscribatur. ego, medius fidius, eam diligentissimè circunspectavi, sed tuum mihi nomen nusquam occurrit. est mihi hebes, cur dissimulem? oculorum acies, sed certè neque Lynceus, qui dicebatur videre ultra parietem, tuũ nomen hîc legeret. epistulæ facies à summo ad imum est adeò corrupta inquinatáque, ut nihil eâ corruptius, inquinatius nihil. Inspiciamus adscriptionem. ecquisnam hanc Petri esse manum mihi dixerit? graphica illa, formosáque, hæc verò informissima fœdissimáque. annon eam cõprobatam verámque factam oportuit [104]? Perlegamus epistulam, ejúsque verba examinemus: *Re Popilii, tibi affinitate conjuncti, ad hoc tribunal hodie relatâ, ab ipso tribunali decretum est, ut satisdato ejus armentum dimittatur.* Hæc Petrus, & præterea

[104] Scriptum privatum, quod comprobatum non est, nihil probat. *D.D. in l. admonendi ff. de jurejur. Mascard. cõcl. 627.* cõprobatur autem per agnitionem illius, qui scripsisse dicitur: per testes, qui scribi aut viderint, aut notam habeant manum scribentis: per comparationẽ literarum: per comparationẽ, & testes: & per confessionem ejus, contra quem scriptum facit. *Scacc. de judic. caus. civil. lib. 2, c. 11.*

nihil: quâ igitur facie dixisti, eum ad te rescripsisse, armentum jam dimissum, dimissúmque à se? egregiè mendax, imò mendacium: unicâ periodo plura mendacia fudisti, & mendacia id genus, quæ nullo unquam tegmine operiri possunt. sanè mentiris ut fur, ut latro, ut prædo [105]. mendacissimum caput, cur de sponsoribus nulla vox abs te missa est [106]? callido nempe consilio, ut scilicet remunerationis caussam prementiorem prætexeres, ipsámque remunerationem vero proximiorem faceres. Sed agedum; quas dicis Domitiani literas ad te datas videamus. cedò jam, quîd moraris? an illásne interiisse caussabere? fieri potest ut interierint: sed *mendaci homini, ne verum quidem dicenti, credere solemus* [107]. *Vbi quis semel pejerârit*, inquit Cicero [108], *ei credi postea, etiam si per plures Deos juret, non convenit*. adhuc moraris? ostendas, occultes; faciam, si fieri potest, ut tui te pudeat: ipsum Domitianum audiamus. *Multo jam tempore*, inquit ille, *mihi Trajanus nuntiavit, Popilii mei privigni armentum à provincialis Auditorii magistratibus sequestro datum: ego rem citò administrandam ratus, confestim patronum meum Iordanum convêni, illúmque obsecravi ut causæ patrocinium susciperet: suscepit prompto alacrique animo: Auditores certiores fecit de periculo pecudum, quippe quæ fame absumebantur, eásque, ut fide sponsorum dimitterent, etiam at-*

que

105 Falsum crimen objicienti, possumus, etiã sine honoris præfatione, respondere: *Tu mentiris: mentiris per gulam, in os, in cor tuum: mẽtiris ut fur, ut latro, ut prædo, &c.* quanvis neque fur, neque latro, neque prædo sit. *Gayll. 2. observ.* 101. *Berlich.* & *Harpr. locc. citt.*

106 Qui minus, quã opus est, dicit, is veritatem diminuit, diciturque mẽdax. *gl. in c. primum*, & *c, ne quis*, 22, *q.* 2. etenim *nihil nec temerè dicere, nec astutè reticere debemus*. Verba *Cicer. ad Q. Fratr*. Vide *Cert.* 6, *n.* 63, 64, 65, 66, & 67.

107 Verba *Cicer. de Divin.* Imò *qui semel à veritate deflexit, hic non majore religione ad perjurium, quàm ad mendacium perduci consuevit.* Verba ejusdem *pro C. Rabir.*

108 *Cicer. loc. prox. cit.* Refer huc ea, quæ dicebamus hoc Certamine, *n.* 34.

que etiam rogavit: quâ de re ab iisdem Auditoribus vadimonium postridie constitutum est. tunc mihi Iordanus: Quinquaginta, *inquit*, centussibus ad rem absolvendam opus habeo. *ego, numis destitutus, Trajanum de his omnibus certiorem facio: ille postero die ad me pecuniam mittit; hanc Iordano in manum do: vadimonio promisso, pecudes dimittuntur, & ab Iordano pecuniam Auditoribus viritim dilargitam suspicio mihi est.* Audistin' illum, Trajane? quid tu ad hæc, vaniloque? porrò aperta dilucidáque ista Domitiani narratio, tua tibi objectat mendacia, tua pervulgat, exprobrátque perjuria. is rem non cōfectam, sed conficiendam, ac de pecudibus antea satisdandum ad te renuntiavit: nullam, nec à Petro dimissi, nec dimittendi armenti mentionem habuit: de Petro remunerando ne verbulum quidem: imò Petri non meminit: magnum igitur, impudénsque mendacium fecisti [109]. Et tu quoque, Domitiane, mihi facis suspicionē. quî tibi isthæc incidit suspectio? si malus, atque unus è turbâ non esses, sed vir bonus ac frugi; non tantâ cum temeritate de Auditoribus suspectâsses: *ut* enim *quisque est vir optimus, ita difficillimè esse alios improbos suspicatur* [110]. es homo quidē suspicacissimus: imò pravus atque perversus, quòd pravè de magistratibus judicas, & statuis. illi, ut ceteris ornamentis, ita existimatione innocentiæ florent, fascésque ipsi omnem sceleris suspicionem avertunt

[109] Vide, quæ diceebamus *Cert. 6, n. 33.*

[110] Verba *Cicer. ad Q. fratr.*

tunt [111]. hoc præcipuè tempore, quando ut cùm maximè ejuſmodi viri ad provincias regendas mittuntur, qui ad honoris inſignia, non ambitione, vel pretio, ſed probatæ vitæ, & virûm ampliſſimorum teſtimonio promoventur: juratíque inter geſta depromunt, ſe nihil penitùs, tam in adminiſtratione poſitos, quàm poſt depoſitum officium, pro aliquo præſtito beneficio, tempore adminiſtrationis, quam gratuitò meruerunt, accepturos [112]. ut impudētiæ profectò ſit opinari, eos, divini timoris immemores, contemnēdo juſjurandum, ſaluti propriæ ullum commodum antelaturos [113]. eóque magis, quòd ad ſalutis timorem, etiam neceſſitas periculi accedit [114]: nam ſi quis auſus fuerit præbita ſacramenta negligere, accuſandi cunctis, tanquam crimen publicum, facultas conceditur [115]. *Nullúſne igitur*, inquis, *apud nos putris ſilurus, vel bos in quadrâ argenteâ? nulláne ſimia in purpurâ? nunquámne crocoton feli datum? nunquámne ornamentum in luto? nunquámne digni poſthabiti? nunquámne indignis honores tributi? nónne etiam* bonus, cautus, optimus venditur imperator [116]? *nónne* fato quodam, & ſorte naſcendi, ut cætera, ita Principum inclinatio in hos, offenſio in illos eſt [117]? Bacelus alter, & graculo loquacior. quin jubes prætruncari tibi iſtam linguam

111 Iudex præſumitur bonus, & rectè facere, quæ officio ſuo incumbūt. *l.2, C. de offic. civil. jud.* Vide hac de præſūptione *Alciat. 3. præſ. 9.* & *Menoch. 3, præſ. 60,* & 67.

112 Accedentes ad regendas provincias, debent iſta jurare: *l. ult. C. ad l. Iul. repet.* Imò jurare debēt, ſe pro adminiſtrationibus ſortiendis, neque dediſſe quidpiā, neque daturos unquam poſtmodum fore, ſive per ſe, ſive per interpoſitā perſonam, in fraudèm legis, ſacramentique. *cit. l. ult.*

113 *Cit. l. ult.*

114 Vide quæ dicebamus *Cert. 6, n. 95.*

115 Non modò adverſus accipiētem, ſed etiam adverſus dantem. *cit. l. ult.* Vide quæ dicebamus *hoc Cert. n. 68.*

116 Dictum hoc & querela Diocletiani *apud Vopiſc. in Aurelian.* Vide *Lipſ. in not. ad 3. Polit. 4.*
117 Verba *Tacit. Annal. 4.*

guam largiloquam, & mentientem? quandonam apud nos in magiſtratuum ordines vênit quiſquam vitii particeps? nihil eſt profectò te ſtultius, neque mendaciloquius. quîd autem rei ad te non pertinenti te miſces, pedémque ponis in choro alieno? quîd dignos inter privatos eſſe cōmemoras? non poſſunt, non poſſunt omnes eſſe magiſtratus: ſi verum quæris, ne curant quidem. hercle verò hi quod ſunt eſſe volunt, & ſpartam, quam nacti ſunt ornant. itaque ne loquitor, æternúmque ſilentium teneto: etenim iſta tua ſtultiloquentia & fallit imperitos, & obeſt Principibus. Sed quid eſt, cur pluribus impudentiæ te tuæ admoneam? Iordanus ipſe, vir quâvis commendatione dignus, planiùs, ac dilucidiùs aperiet, te non modò leviſſimè, verùm-etiam indigniſſimè ſuſpicatum. ille ſic ait: *Quos mihi quinquaginta centuſſes Domitianus, pro re Popilii conficiendâ, dêdit, cauſæ actuario, ſcribíſque perſolvi: neque enim illi minoribus ſportulis contenti fuerunt.* Num ſit, ut Iordani, ejúſque patroni tui, fidem redarguas? id porrò ſi facis, facis inverecundè, impudentérque. in officiis pater primum, deinde patronus proximum nomen habet [118]. *Patronus* quaſi *Pater* dictus, & *Cliens* quaſi *Colens* [119]. Dionyſius [120], & Plutarchus [121] auctores ſunt, neutris eorum licitum, ſe inter ſe, aut nomen deferendo, aut teſtimo-

118 Gell. 5 Noct. 13.

119 Serv. Aenead. 6. Hotman. Antiquit. Roman. lib. 3.

120 Dionyſ. Halicarn. Antiquitat. lib. 2.

121 Plutarch. in Romul.

monium dicendo [121],aut ſuffragium ineundo,aut cum inimicis ſentiendo lædere. eum qui contrà fecerit,lege à Romulo de proditione latâ teneri, eúmque ſacrum Deo eſſe, ideſt impunè occidi licere. léxque Decemviralis hæc erat [123]: *Patronus ſi Clienti,Clienſ-ve Patrono fraudē faxit;ſacer eſto* [124]. An autem tibi videtur nō vero proximum, quòd tantam pecuniam actuario, ſcribíſque pependerit? at quamobrem non videtur? an quòd ultra debitū? multos ſanè deliros vidi, ſed qui magis, quàm tu deliret,equidem vidi neminem. nulláne igitur,tuâ ſententiâ,Actuariis, Scribíſque, malè, & contra leges parta pecunia? planè omnis hæc corona te ridet, litigantéſque univerſi ludificāt. ubi-

122 Vt hinc ſit mihi valde ſuſpecta Sacri Conſilii deciſio *apud de Franch.* 222: quæ habet, patrono, etiam invito, contra cliētem teſtimonium denūtiari. quāvis enim limitet in iis, quæ ille non ratione patrocinii reſciverit;tamē negari non poteſt,mutua illa, & paria inter Patronū, clientem-ve officia non minimùm violari.In ſocerum, generum, vitricum,privignum, ſobrinū, ſobrinā, ſobrino natum,inviti teſtes interrogari non poſſunt. *l.4, ff.de teſt.* quomodò patroni interrogentur inviti adverſus clientes?Nonne conſtat,potiorem locum habere clientes,quàm cognatos,affineſque? *Adverſus cognatos,*inquit Gellius loc.cit. *pro Cliente teſtatur: teſtimonium adverſus clientem nemo dicit.*Hinc etiam majorem in modum mihi diſplicet *Annæus Robertus,* qui *lib. 2. rer. judicat. c.19.*hoc idem,nulla limitatione adhibita,ſcribit.Dicet aliquis: *Noli in hunc modum agere cum de Franchis, cum Roberto: noli eorum ſententias ad antiqua religionis rationem exigere.* At cur non exigam?quid eſt, quamobrem ſanctiſſimam illam officiorum religionem abjiciamus? eadem ſanè noſtris nos debemus officia clientibus: ad imitationem enim veterum illorum clientium ſunt noſtri clientes. *Rittherſ.ad L.L.12. tab.p.1. claſſ.3. c.2,* quos etiam ſuſceptos vocamus. Serv.& Rittherſ.locc.citt.Gothofr.ad l.132.de verb.ſignif. *Adhac verò,*inquit Sigonius de antiq. jur.civ. Roman.lib.1,c.7.*fuit etiam illud à Romulo inſtitutū,ut quoniā patricios extulerat,plebejos verò depreſſerat,ne aut illis horum invidia obeſſet,aut hi illorum potentia circumvenirentur, ambo inter ſe ſanctiſſimo quodam neceſſitudinis vinculo aſtringerentur. patricios enim patronos plebis, plebejos patrum clientes eſſe conſtituit, atque amborum in ea colenda neceſſitudine officia diligentiſſimè demonſtravit:patronorum,*nota,*ut clientibus incognita jura traderent, cauſam eorum in foro, re poſtulante,defenderēt.* Quid plura?Cicero *Verr.4.* queritur,Hortenſiū, Verris patronum, teſtem ſibi in ea accuſatione ereptum eſſe,non rei innocentia,ſed exceptione legis: & tamen dixerit nemo, Ciceronis ætate clientes noſtrorum inſtar nō eſſe. Vide Sigon. ibid. 123 *Serv. & Rittherſ. locc. citt.* 124 Sacer,hoc-eſt exſecrabilis,diriſque devotus, quemque occidere cuique liceret, tanquā victimam & publici odii & Orco deſponſam.quippe mos erat Romanis,ſi quos occidi vellent,eorum capita Deorum alicui devovere: maximè Diis inferis, Plutoni, & Proſerpinæ. *Halicarnaſ. & Rittherſ. locc.citt.*Vide *Feſt. de Homin.ſacr.*

ubique locorum hoc hominum genus milvinis, aut aquilinis eſt unguibus. manifeſtiſſimi non modò fures, ſed trifures etiam, qui, enormi inſanáque rapiendi libidine, vel etiam litoris furantur arenam, & dejectum in foribus urceum. adeò ſueto, atque acri ad rapacitatem ingenio, ut è veru, è ſartagine tollant, nudo detrahant veſtimẽta, & canem excoriatum excorient. illacrimabiles Briarei, qui centum armati manibus, centúmque forficibus, ad cutem uſque tondent radúntque pecus. radunt! imo-verò deglubunt, vorant, devorántque. eorum avaritia ſemper ardens neque copiâ reſtinguitur, neque minuitur. quidquòd non eliciunt, aut eblandiuntur pecunias, ſed modò truci oris adſpectu, modò delirantibus dictis extorquent? improbiſſimis artibus, & flagitiis adhibitis, alienum jurgium ſuam faciunt prædam, & tanquam leones in luſtro illam diripiunt. hirudines, polypi, monedulæ, ſphinges, vultures, mures, & lupi forenſes [125]. *ô bone Deus!* inquit Amaya [126], *quanta in illis nequitia, quantum in homines odium, quantus in pecuniam amor!* Iam de ſuſpicione, quam animo cõceperas, mî Domitiane, deceſſiſti, credo. ſi verò in eâ firmiter, obſtinatéque perſiſtis; es lapis, es cos, es ferrum, es cornu. nullam ſanè ſuſpicionem Auditores tibi fecerunt, aut moverunt. nónne oportuit vadimonium conſtitui, ne pecudes fame conficerentur? at quan-

125 *Actuariorũ incorrigibilis ad furandum habitus*, inquit Caravit. Rit. M. C. 311. *nunquã ceßat ab inquiſitis extorquere, & multo plurisquàm dictum eſt, exigere, tam in Magna Curia Vicariæ, quàm in omnibus curiis regni: quia valida eſt cõſequẽtia: Actuarius; ergo latro (pace tamen bonorum dixerim)* Huic me, ſed nonniſi cũ eadem cautione, ſubſcribo. Vide eundem *Car. Rit.* 19, *n.* 18.

126 *Amaya ad l.* 34, *C. de Decur. lib.* 10, *n.* 45.

quandonam magiſtratus ſuſpicionem facit? ſi neſcis; legis verba hæc ſunt [117] : *Si*(magiſtratus) *delatus ſit malæ famæ compertus, & aliqua contra eum moventia rationabiliter, ſeu præſumptivè probentur, utpotè dătis captio, & abſolutio ſine cauſâ.* An nulláne ratione dimiſſæ ſunt pecudes? utique juſtâ, neceſſariáque [128] . adhuc ſuſpicio tibi eſt, nec palinodiam canis! ecquîd ergo tecum otium teneo? ſcilicet ſus per roſas, maláque punica commodè duci nequit, & ſcarabeus à fimo abduci non poteſt. Sed jam me diſſolvi, Iudices, planéque oſtendi, novos iſtos Popilii Palephatos, Tenedióſque tibicines aliena locutos, & deliramenta dixiſſe. imò non modò accuſationem ſuam Popilium locutulejis iſtis minimè confirmâſſe, verùmetiã ne minimo quidẽ alio argumẽto probationi admoviſſe. quid igitur, Iudices? *Ego à majoribus memoriâ ſic accepi: Si quis quid alter ab altero peterent, ſive ambo pares eſſent, ſive boni, ſive mali eſſent, quòd duo res geſsiſſent, uti teſtes non intereſſent, illi unde petitur, ei potiùs credendum eſſe* [129] . *incumbit* enim *probatio qui dicit* [130] *:* potiſſimùm accuſatori, *cujus eſt, eam rem in publicam notionem deferre, quæ munita ſit idoneis teſtibus, vel inſtructa apertiſsimis* docu-

117 *Cit. c. vulgar. fam. proloquiũ, de Syndic. official.*

128 Etenim *ſatiſdatio*, ut inquiunt D.D. apud Clud. de ſequeſtr. c. 10, *eſt medicina ſequeſtri*. Tunc ea convenit, de quibus in judicio agitur, ſequeſtrari in eũ diem, in quo controverſia ſopiatur, ſi ſalvã rem futuram per idoneos fidejuſſores quis nõ promiſerit. *l. ult. C. de ordin. cognit.* cæterùm ſi ſiſti, exhiberi-ve ſatiſdato promittantur, ſequeſtrari nõ oportet. l. 16, ff. de offic. Præſ. *Si ſatiſdatum pro re mobili non ſit*, inquit Vlpianus in l. 7, §. 2, ff. qui ſatiſdar. cogant. & *perſona ſuſpecta ſit, ex qua ſatis deſideratur; apud officium deponi debebit, ſi hoc judici ſederit, donec, neti, vel ſatiſdatio detur, vel lis finem accipiat.*

129 Verba *Caton.* apud *Gell. 14 Noct. 2.*

130 *Nõ qui negat.* Verba *l. 2, ff. de prob.*

documentis, vel indiciis [131] *ad probationem indubitatis & luce clarioribus expedita* [132]. Porrò illi, unde petitur, maximè si pares sint, ex lege potiùs credendum est: quid ergo quum est petitore melior? quid quum à quo petitur, constat virum esse fermè bonum, notæque, & expertæ fidei, & vitæ inculpatissimæ: multáque, & illustria exempla probitatis, sinceritatísque ejus expromuntur; illum autem, qui petit, hominem esse non bonæ rei, vitáque turpi, & sordidâ, convictúmque in mendaciis, plenúmque esse perfidiarum, & fraudum ostenditur? Quid, quum ille, unde petitur, administrat provincias, populísque regendis, personam principis gerit, gessítque diutissimè: quinimò ejus dignitatem & decus sustinuit, servavit

Rr leges,

131 Tres igitur probationis species sunt: testes, tabulæ, & indicia, seu argumenta: ac per cõsequens falluntur D.D. cũ tabulis, & argumentis probãdi vim in causa criminali esse negant: quem errorem confutat *Matth. de crim. tit. 15, c. 5, & 6.* ubi etiã refellit eos, qui dicunt, argumentis convictum puniendũ mitiùs extra ordinem. Nos habemus pragmaticã sãctionem 12 *de offic. judic.* his verbis: *Nelli delitti atroci, & essemplari possano li Giudici delli Tribunali Regii seguire l'opinione di dare per gl'indizii indubitati la pena ordinaria.* Hodie non omnibus regiis judicibus hoc datur: recentior enim pragmatica sanctio 13, *eod. tit.* sic habet: *Ordinamo, e dichiaramo, che detto arbitrio possano usare il Tribunale della Gran Corte della Vicaria, le Regie Audienze Provinciali, e tutti gli altri Tribunali Regii Collegiati tantùm, e non altri.* Qualia verò sint indicia indubitata, declarat *cit. prag. 12.* his verbis: *Dichiarando quelli indizii indubitati, che sono tali, che provati legitimamente, inducono la mente del Giudice à credere fermamente, il delitto essere commesso dall'inquisito, quietando il suo intelletto in questa ferma credenza.* Vin' exemplum? dabo unum, atque alterum, *ex Matth. cit. c. 6.* Occisus est Kalendis Mævius: Titius perempti inimicus fuit: eidem sæpius non solùm interminatus, sed & insidiatus est: Cùm deprehenderetur iisdem Kalendis in loco cædis, cruentatus, cum gladio cruento, ad mensuram vulneris facto toto vultu expalluit: interrogatus nil respondit, trepidè fugit. hìc singula quidem argumenta infirmiora sunt, universa tamen cædis auctorem Titiũ evidenter designant. Simile est illud: Clodius cum Pompeja, nudus cum nuda, reperti sunt in eodem cubili: præteriit id momentum, quo turpitudo perfici potuit: jam olim ille mulierem deperibat; ad stuprum per literas solicitaverat. quis dubitet utrunque adulterii damnare? aut quis adeò communis sensus expers, ut ignoret, nox, vinum, amor, mulier, adolescentulus quid soleant? Vetus interpres ad Menedemum comicum adnotat, magnum argumentum quintæ lineæ amoris esse, quòd solus fuerit cum sola: nonne maximum & gravissimum videri debet si reliqua quoque, quæ diximus, concurrunt? 132 Verba *l. 25. C. de prob.*

leges, jura descripsit, & fidei suæ commissa meminit, ille verò, qui petit, ne bobus quidem, aut capellis curandis idoneus, & qui nullum unquam virtutis exemplum exhibuit? Est, est profectò, Iudices, ut Petrum dimittatis, & Popilium de calumniâ condemnetis. Agedum, agite, statuite, Iudices, quid vos magistratuũ incolumitas, quid reip. salus, quid vos leges admoneant, ut judicetis. Levate tandem aliquando Petrum, per multos annos, in multis miseriis, ærumnísque versatum. Servate, servate, Iudices, servate hũc virum optimum, perdiu crudelissimè oppugnatum: quémque servatum, sibíque restitutum, & civitates omnes, & regni provinciæ universæ, quibus omni tempore carissimus fuit atque jucundissimus, incredibili desiderio desiderant.

*

* *

*

PRO

PRO GEORGIO PETRO LEPRIO CERTAMEN X.

ARGVMENTVM.

Pragmaticam ſanctionem, hujus regni finibus & Gallos & regi Galliæ ſubditos exturbantem, non ejicere Lotharingos, ab eo rege ſuam in poteſtatem adactos, exponit.

CVm valde, nimiúmque difficile ſit, P. C. malum, præſertim ſubrepens, initio cognoſcere; maximo quidem honore proſequendi ſunt ii principum, qui naſcentibus in rep. morbis occurrere, eóſque, antequam adoleverint, opprimere noverunt. ideóque concedendi ſunt Principi exploratores, qui clanculùm videant, referántque quid ubique agatur [1]. hâc utique viâ, quid quiſque

[1] *Regibus multi oculi & aures habendæ; ideſt multi homines fidi, qui verè referant ea, quæ paſſim fiunt, & audiuntur. Sic Cyrus ſuos ſpeculatores domi per totum regnum diſpoſitos habuit.* Verba Alſted. Encyclopæd. lib. 23. in florileg. polit. *Grãdis cautio eſt*, inquit Anthem. apud ChoKier. Theſ. polit. lib. 6, c. 9. *adverſarii animum cognoviſſe: etenim hoſtē protinus ſenſiſſe, ſuperaſſe eſt.*

machinetur, facilè reſciſcet: réſque nulla erit adeò arcana, atque abdita, ut illã per eos (regias propè dixerim aures [2]) non audiat; maximè ſi delationi auctoramẽtũ aliquod proponat [3]. Sed quoniam nullus ferè delator repertus eſt unquã, qui non fuerit totus ex fraude, & mendacio fictus; maximopere cavendum eſt Principi, ne hujuſcemodi hominibus credulus ſit: ſolent enim ea, quæ nullâ ex parte vera ſunt, per calumniam deferre, ipſúmque ad injuſtitiam, ſævitiámque impellere [4]. Si livore, atque odio ferantur; in inſontes crimina intendunt ſæpiſſime [5]: verba pravè detorquent, & convivalium etiam fabularum ſimplicitatem in crimen ducunt [6]. ſi verò pecuniæ ſpe (maximâ quidem vilioribus, numariíſque peccandi illecebrâ [7]) ducantur; locupletiſſimum quenque deferunt [8]. *Delatores*, inquit Tacitus [9], *hominum genus publico exitio repertum, & pœnis quidem nunquam ſatis coërcitum. Non* [10] *omnibus* igitur, *quæ ab his talibus dicentur, fidem habere; quin acriter ea examinare, & diſcutere oportet*, eos interea ſiſtendo, dum cauſam peregerint [11]: *alioqui multorum ſæpe innocentium periculum, imò pernicies exoritur* [12]. *Accuſatores*, inquit Cicero [13], *multos eſſe in civitate utile eſt: verùm hoc ita eſt utile, ut ne planè illudamur ab accuſatoribus*. ô utinam probatio-

2 Exploratores, Principis aures oculique appellati. *Gothofr. ad l. 1, C. de Curioſ. Arniſ. de Rep. c. 3. Alſted. loc. cit.*

3 *Cruciatu* enim, *aut præmio*, inquit Tacit. Annal. 15, *cuncta ſunt pervia*.

4 *Hippolyt. à Collib. in Conſil. Princeps prudenter utetur exploratoribus: & quidẽ ideo, ut inſidias evitet, ſtatumque reipub. penitiùs cognoſcat: adhibebit igitur huic rei viros graves & prudentes, non ſerviles, leves, otacuſtas, & ſubauſcultatores.* Verba *Alſted. lib. cit. c. 8, reg. 7.*

5 Etenim, *quem metuunt, oderũt: quem quiſque odit periiſſe expetit.* Verba *Cicer. offic. 2.*

6 *Tacit. in Annal.*

7 *Duæ res ſunt, quæ maximè homines ad maleficium impellunt, luxuries, & avaritia.* Verba *Rhetor. ad Her. 2.*

8 *Tacit. Hiſtor. 2.* 9 *Tacit. Annal. 4.* 10 Verba *Mecœn. ad Auguſt.* apud *Dio. lib. 52.* Vide *Gothofr. loc. cit.* & *Tymp. in Specul. Princ. ſign. 45.* 11 *Chokier. loc. cit.* 12 Verba *Hippolyt. à Collib. loc. cit.* 13 *Cicer. pro Roſc. Amer.*

bationis neceſſitas, ut antiquo tēpore factum [14], delatoribus imponeretur; nec citra periculum ſui, ſi inſontibus eos calumnias nexuiſſe cōſtiterit! ô utinam impunita nō eſſet licentia mentiēdi, & calumniantes, ſupplicii ſimilitudine, ab judiciis arcerentur! neſcio ſanè quâ utilitatis imagine factum ſit, ut hoc hominum genus, novis in rep. moribus, pœnam nullam exſolvat. per cauſſam faciliùs inveſtigandi facinorum, facillima, latiſſimáque via innumeris fraudibus calumniiſque aperta eſt ac patefacta. Ecce, P.C. ecce vobis exemplum. Vitâ functo Neapoli Ioanne Leprio, ejus nomen ab homine quodam de legis [15] violatione delatum eſt: quòd videlicet eſſet ex eâ Galliæ parte, quæ regi Franciæ paret, cujus Galliæ hominibus huc venire, poſt violatam à Gallo pacem, ſcelus eſt, quod capitale ſuppliciū, bonorúmque omnium proſcriptionem meretur. hanc ob cauſſam Ioannis res omnes apud ſequeſtrem depoſitæ ſunt. Vt id reſcivere Ioannis heredes, ſtatim huc advolârunt, petierúntque uti ſequeſtrationis decretum reſcinderetur. reſcindendum autem meum eſt, P.C. vobis oſtendere: id

[14] *L. 1, C. de Curioſ.*

[15] *Pragm. 1, de Expulſion. Gallor.* qua pragmatica ſanctione delator ſextantem bonorum delati cōſequitur. Obiter noto, apud Romanos delationum vulgare præmium quartam. *l.* 13, §. 5, & ibi *Gothofr. ff. de jur. fiſci. Tacit. Annal.* 4. atque hinc, delatores *Quadruplatores* appellatos. *Aſcon. Divinat.* & *Verr.* 4. *Delatorem*, inquit Cujac. ad lib. 10. C. Iuſtin. tit. de Delator. *probare oportet ea, quæ intēdit. ſi probavit, præmio adficitur, quod plurimū videtur olim fuiſſe quarta eorum, quæ delata eſſent, & inde quadruplatorū nomen. atque ideo, cùm ingentia eſſent tacitorū fideicommiſſorum, & caducorum, ideſt legis Papiæ delatorum præmia, ea, Suetonius auctor eſt Neronem ad quartas, utpote vulgares reduxiſſe. Si nec probaverit delator, nec obtinuerit, inter infames & improbos aliis quibuſdam pœnis affectus numeratur. His pœnis non adficitur Cæſarianus, qui juſſu procuratoris cauſam ab alio delatam inſtruxit, idemque eſt in advocato fiſci.* l. poſt legatum, §. advocatum, D. de iis quæ ut ind. *nam neque delator eſt, neque ſua ſponte ad cauſam inſtruendam accedit. His etiam adjunge ſervos fiſcales, ex Paulo* 5. ſentent. tit. de delatoribus.

id quod brevibus verbis abſolvam,cõpendiíque faciã.etenim,ſi cauſam reſpicio;quòd fiſci ſit,me modò nõ terret, verùm-etiã animat. animat hercle-verò: hæc enim eſt noſtra præcipua felicitas [16]; hæc eſt regum noſtrorum [17] gloria præcipua:ſæpe ſæpius vincitur Fiſcus [18]; imo-verò in re dubiâ pro condemnato habetur [19]. An me terreat adverſarius,utpote cui ſemper incitata,& vibrans, ſemper virilis grandíſque eſt oratio:quæque ad ſummum apicem diſputationis exquiſitis ſenſibus elevatur? terreret profectò, P.C. terreret, nî apud fortiſſimos, optimóſque cuſtodes & præſides æquitatis; nî coram ſapientiſſimo, ſanctiſſimóque Senatu cum adverſario concertarẽ, & nî ipſius etiam adverſarii religio me confirmaret.ſanè confirmat:credo enim,eum, cognitâ rei veritate, ſpontè liti ceſſurum. Veritas autem eſt, Ioannem fuiſſe non Gallum,ſed Lotharingum ab civitate Mircuriâ, quâ civitate ab rege Galliæ occupatâ, propter armorum ſocietatem, quam Dux Lótharingiæ Carolus cum Imperatore, Regéque nòſtro conflaverat, extemplo Ioannes, indignum ratus in auctoritate Galli regis manere, penates ſuos deſeruit,exſiliúmque ſibi, ac fugam ex eo loco conſcivit (Adeò ſanè odît Gallos, ut propter Gallos oderit patrii ſoli dulcedinem,atque jucunditatem) Veſuntionem Burgundiæ urbem ſe ſe recepit:quâ in urbe larem, rerúmque ac

16 *Nempe felix Reſp. in qua cauſæ Principis deterioris conditionis ſunt.* Verba Saavedr. *Symb. polit.* 21.

17 Audi Philippũ IV ad ſuos magiſtratus ſcribentem: *En los pleitos que huvieren mis Vaſſallos con el Real patrimonio, ſepan que aquella ſentençia ſerà mas conforme a mi voluntad, que ſerà mas contraria al provecho del Fiſco, y eſtimarè ganar todo lo que pierdo con ellos.* Regalis ſanè,& digna Auſtriacorũ gente ſẽtentia.

18 Summi Principis gloria vinci fiſcum; cujus mala cauſa nũquam eſt, niſi ſub bono Principe. *Plin. ad Trajan.*

19 Vide quæ dicebamus *Certam.* 4.*n.*38.

ac fortunarum suarum summam constituit, inde minimè discessurus,& civitaté adeptus est. Duobus & viginti ab hinc annis vênit Neapolim,ubi mercaturam publicè factitare,merces plerunque fide venundare,cúmque universis palàm diu noctúque versari. Cunctis notus proregibus; præsertim Ognatto, Castrilíoque:semper Lotharingus ab omnibus dictus, habitúsque, nec unquam finibus jussus excedere. Hæc historia, P. C. mihi ad victoriam satis supérque; verùm adversarius expectationem meam decepit: manus enim dédere, séque victum fateri recusat. Audio eum demissâ voce dicentem: *Errat de Rubeis:lex enim procul hinc arcet, non modò Gallos, sed etiam regi Galliæ subditos, proptereáque Lotharingos, ab eo rege in potestatem, ac ditionem adductos*. Errat de Rubeis! uter nostrûm id faciat videamus. Quî probet adversarius, Galliæ regem æquis legibus Lotharingiæ dominari? Ecquonam titulo rex ille in Lotharingiam dominâtum exerceat? successionísne jure, an verò electionis? certè quidem neutro: re igitur ita se habente, P.C. contra jus fásque Gallus Lotharingiam sibi subegit. cùm enim natura mortalium avida imperii sit, & vetus ac pridem insita mortalibus potentiæ cupîdo, eos repressit lex, sive mos gentium repagulo duplici; electionis videlicet, & successionis [20]: ut quisquis harum unâ, & alterâ destitutus, per vim alienum solium

[20] *Sallust.* & *Tacit.* apud *Lips.* 1 *Polit.* 4.

lium conſcenderit, tyrannus [21] audiat, & non alio apud gentes, quàm hoſtis [22] loco ſit, quanvis bene adminiſtret malè occupatam remp. [23], & quãvis conſenſum populi ſibi elaboret: neque enim hujuſcemodi macula ita elui poteſt, ut ex poſt facto valeat quod principio non valuit [24]. Objicit adverſarius, belli jure ab rege Galliæ Lotharingiam poſſideri. Verùm quis ferat, omnia fortium virorum, ſemper in armis jus eſſe, & quæri belli exitus, non cauſſas? porrò ſunt belli ſicut & pacis jura, juſtéque ea non minùs, quàm fortiter geri debent [25]: juſtè autem ea bella geruntur, quæ ſunt juſtâ de cauſsâ ſuſcepta [26]: Coriolani [27] vox eſt: *Id primùm vobis curandum arbitror, ut piam ac juſtam accipiatis belli cauſam. Valde id ſtudent Romani*, inquit Dion [28], *juſta ut bella ſuſcipiant,*

21 *Arniſ. de Auctorit. Princ. in Popul. c.* 4. Tyrannus aut in titulo, aut in exercitio: ille, qui contra jus faſque alienam majeſtatem invadit: hic, qui ex legibus quidẽ poteſtatem in ſe tranſtulit, ſed ad deſtructionem reip. tyrannicè convertit. *Bart. in tr. de Tyran. Arniſ. loc. cit.* Vis in hunc à ſubjectis injuſta, ni, ſubverſo naturæ ordine, velimus, ex parentibus imperantes, ex ſubditis Reges, ex vulgo facere Principes: in illũ pulcra ſemper & glorioſa. *Arniſ. tr. cit. c.* 1, 2, & 3. 22 *Arniſ. cit. c.* 4. 23 *Arniſ. cit. c.* 4. *Nec tyrannicæ factionis perverſitas laudabilis erit, ſi regia clementia tyrannus ſubditos tractet.* Verba c. 9, 14, q. 5. *Principatus, quem aut ſeditio extorſit, aut ambitus occupavit, etiamſi moribus, atque actibus non offendit, ipſius tamen initii eſt pernicioſus exemplo. & difficile eſt, ut bono peragantur exitu, quæ mala ſunt inchoata principio.* Verba c. 25, 1, q. 1. *Cùm Paulus dicat*: Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus, *conſequenter probatur, quia ubi Chriſtus non eſt fundamentum, nullum boni operis eſt ſuperædificium.* Verba c. 16, cit. q. 1. *Non eſt putanda eleemoſyna ſi pauperibus diſpenſetur quod ex illicitis rebus recipitur: quia qui hac intentione malè accipit, ut quaſi bene diſpenſet, gravatur potiùs, quàm juvetur.* & paulo poſt: *Vnde etiam illud certum eſt quia etſi monaſteria, aut xenodochia vel quid aliud de pecunia, quæ pro ſacris ordinibus datur, conſtruantur, mercedi non proficit.* & paulo poſt: *Ne ergo ſub obtentu eleemoſynæ cum peccato aliquid ſtudeamus accipere, apertè ſacra ſcriptura nos prohibet, dicens*: Oſtiæ impiorum abhominabiles, quæ offeruntur ex ſcelere. *Quidquid enim in Dei ſacrificio ex ſcelere offertur, omnipotentis Dei non placat iracundiam, ſed irritat.* Verba c. 27, q. cit. *Iniqua fuit liberalitas Syllæ*, inquit Plutarch. in Syll. *quando ex bonis iniquè proſcriptorum magnifica populo exhibuit convivia, injuriam aliorum, aliorum beneficiis obſcuraturus.* 24 Vide *Arniſ. cit. c.* 4. 25 *c.* 2, 23, *q.* 2. *Grot de jur. belli, lib.* 2, *c.* 1. *Zypæus de Magiſtrat. lib.* 4, *c.* 7. 26 *Bellarm. de Laic. lib.* 3, *c.* 15. D. D. apud *Harprecht.* §. 17. *Inſt. de rer. diviſ. Cicer.* 3 *de Rep.* 27 *Coriolan.* apud *Halicarn. lib.* 8. 28 *Dion.* apud *Grot. loc. cit.*

piant, nihilque tale decernant sine caussâ, ac temerè. etenim, sicut in domibus, & navigiis, rebúsque similibus, quæ substernuntur, firmissima esse oportet; ita in bellis, in actionibus cunctis, caussas, ac fundamenta oportet justo, ac vero congruere [29]. Caussa verò justa belli suscipiendi nulla alia esse potest nisi injuria [30]. *Justa bella*, inquit Augustinus [31], *definiri solent, quæ ulciscuntur injurias.* Et Aristoteles [32]: *Bellum sumi solet in eos, qui priores injuriam fecerunt.* Suscipienda quidem arma non sunt, nisi ob eam caussam, ut sine injuriâ in pace vivamus [33]. neque hoc satis: oportet enim ut bellum denuntiatum ante sit & indictum [34]. *Romani*, inquit Varro [35], *priusquàm indicerent bellum iis, à quibus injurias factas sciebant, feciales legatos mittebant quatuor, quos Oratores vocabant.* profectò cùm sint duo genera decertandi, unum per disceptationem, alterum per vim: cúmque illud proprium sit hominis, hoc belluarum; confugiendum est ad posterius, si uti non licet superiore [36]. æquitate quàm sanguine, causâ quàm armis agendum, & nō ante ad res veniendum, quàm tentata sit verborum via: homini enim convenientius, priùs verborum experimentum facere, quàm statim ad arma prosilire [37]. *Tunc utile solùm est ad arma concurrere*, inquit Theodoricus [38], *cùm locum apud adversarios justitia non potest invenire.* Hæc summa: justúm est bellum, quibus necessarium, & pia arma,

29 *Demosth. Olynth.* 1.

30 *Grot. loc. cit.*

31 *B. Augustin. relat. in cit. c.* 2.

32 *Aristot.* 2 *Apodict.* 2.

33 *Cicer. offic.* 1.

34 *Cicer. ibid.*

35 *Varro de vit. Popul. Rom. lib.* 2.

36 *Cicer. ibid. Oportet*, inquit Arist. 7 Pol. 14, *negotia quidem & bella gerere posse, sed magis agitare pacem.*

37 *Menel.* apud *Liban. Cōsiderati hominis est*, inquit Cicero pro Cæcin. *jure decertare, armis non contēdere.* nam *æquè apud bonos miserum est occidere, quàm perire; nec victis, nec victoribus unquam solida stetit armis voluptas* Verba Tacit. hist. 1.

38 *Theodoric.* apud *Cassiod.* 3 *var.* 1.

ma, quibus nulla, nisi in armis, relinquitur spes [39]: qui verò in id veniunt, ut in nihil hostile cogitantes violentas inferant manus, hi non modò invitos cogunt ad arma semet tutatura confugere: non modò cædium, rapinarum, malorúmque omnium quæ bella pariũt, rei sunt [40]; verùm etiã prædones, latronésque jure merito appellantur [41]. Quæ cùm ita sint, P.C. velim, ipsemet adversarius nobis enarret, quâ de caussâ, quibúsve modis Lotharingiæ Duci fuerint à Gallis arma illata. Illatáne justè (modũ sciens prudénsque reticeo) an, inquam, illatáne justè, quòd Dux ille, salutis & periculi cum Austriacis societatem coiverat? Eò planè deductus est adversarius, ut fateri necesse habeat, aut Gallum Austriacis, eorúmque sociis, aut Austriacos Gallo injustum bellum agere: bellum enim utrinque justum esse non potest [42]. hoc secundum si dixerit; est sanè Austriacis nonnihil injurius: si primum; injustè Gallus Lotharingiam possidet. Quanquam enim ea, quæ ex hostibus capimus, jure gentium statim nostra fiunt [43]; hoc tamen tum obtinet modò, cùm justum est bellum: bellum enim injustum inter legitimos adquirendi modos nequaquam censetur [44]: gentésque in omnes pro vero receptum est, injustum victorem, per fas júsque detrudi, & non alio, quàm tyranni, quàm hostis, imo-verò prædonis latronísque loco, ut antea dice-

39 *Liv. decad.* 1, *lib.* 9. *Nulli gẽti* (Augustus) *sine justis & necessariis caussis bellum intulit.* Verba *Suet. in August.*

40 *Zyp. loc. cit.*

41 *Lucan.* & *Senec.* apud *Grot. cit. c.* 1. Vide *Zyp. loc. cit.*

42 *Grot. cit. l.* 2, *c.* 23. Ex còntrariis enim duobus, quorum alterũ ait, quod alterum negat, necesse est, alterum verũ esse, alterũ falsum. *Cic. de fat. Contraria causa nequeunt simul vera, nec simul justa esse.* Verba *Bald. in l.* 5, *de just. & jur.*

43 §. 17. *Instit. de rer. divis.*

44 *D.D. ad cit.* §. 17. Vide *Vacon. à Vacun. declarat. jur. civil.* 21.

ce-

cebamus,haberi: *Si constiterit*, inquit Pontifex [45], *quòd prædictus H injustè bellum moverit contra I; ipsum H studeatis inducere,ut universa,per hujusmodi violentiam occupata, restituat conquerenti. quòd si acquiescere noluerit; cogatis, per sententiam excommunicationis, terram ejus interdicti sententiæ supponentes.* Quîd plura? do vobis exemplum,quo tota controversia dirimatur. Fingite Valentii fori cives nuper à Gallo subactos venisse Neapolim; ejiciemúsne illos? capitísne animadversione plectemus? illorúmne bona publicabimus? non ita.cur? quia subditi Gallo non sunt,quòd injustè Gallus Valentiam invaserit: atqui sítne aliquid, ut de Lotharingis non sit idem judicium? det mihi differentiam adversarius,& ne mutire quidem me audiet.nulla sanè dari potest: eodem enim jure apud regem nostrum censendi subditi ipsius, & subditi sociorum: quippe veri fœderis natura ea est, ut diversa membra ita conjungat, atque in unum,ut ita dicam,conglutinet corpus (salvâ tamen in suos imperandi vetandi majestate) ut alterum alteri quàm libentissimè auxilium, operam,laborem impendat,útque discreta quanvis, distinctáque corpora uno spiritu conjungi regíque videantur [46]. *Quum Romani volebant bellum indicere*, inquit Servius [47], *Pater patratus, hoc-est princeps fecialium, proficiscebatur ad hostium fines, & præfatus quædam solennia, clarâ voce dicebat, se bel-*

[45] In c. sicut de jurejur.

[46] Vander. ad l. nō dubito, ff. de capt & postlim. reversf. c. 56.

[47] Serv. ad 9 Aeneid.

lum indicere propter certas cauſſas: aut quia SOCIOS LÆSERANT, aut quia nec abrepta animalia, nec obnoxios redderent. Propter ſocios, infit Cicero [48], *nullâ ipſi injuriâ laceſſiti, majores veſtri cum Antiocho, cum Philippo, cum Aetolis, cum Pœnis bella geſſerunt.* & aliàs [49]: *Nullum,* inquit, *bellum ſuſcipitur ab optimâ civitate, niſi pro ſalute, vel fide.* Salus ad nos pertinet, fides ad ſocios: fidéſque nos impellit, ut opitulemur iis, quibuſcum ſocietas nobis, & auxilii pacta [50]: Neceſſe eſt igitur, P.C. ſi fœderis dignitatem ſuſtinere volumus, non tantùm à nobis Leprios, amicos, ſociósque in calamitatem non trahi, ſed & omni calamitate; imo-verò metu calamitatis prohiberi, defendi, liberari. Quid exteri, quid Galli dicturi, ſi reſciverint, amicos, ſociósque ad nos confugientes, à nobis non modò non protegi, verùm etiam exturbari, ſpoliari, interimi? nomen noſtrum odio atque acerbitati, ſcitote, P.C. omnibus nationibus futurum, ſi adeò turpia, adeò indigna de nobis fama retulerit. Quid quòd, ni velimus injuſti haberi, Lotharingis auxilia debemus, non tantùm quâ ſocijs, verùm etiam quâ oppreſſis [51]? etenim *injuſtitiæ genera duo ſunt. unum eorum qui inferunt: alterum eorum, qui ab iis, quibus infertur, ſi poſſint, non propulſant injuriam. nam qui injuſtè impetum in quempiam facit, aut irâ, aut aliquâ perturbatione incitatus, is quaſi manus afferre videtur ſocio: qui autem non defendit, nec obſi-*

[48] *Cic. pro L. Manil.*

[49] *Cicer. 4 de Rep.*

[50] *Lipſ. 5 Pol. 4. Qui enim non repellit à ſocio injuriam, ſi poteſt, tam eſt in vitio, quàm ille, qui facit.* Verba c. 7, 23, q. 3.

[51] *Præbent ſaxa perfugiũ feris, Araq; famulis, urbibus preſsis malo tutamen urbes.* Verba *Eurip. in Supplicib.*

obsistit, si potest, injuriæ, tam est in vitio, quàm si parentes, aut amicos, aut patriam deserat [52]. homines hominum caussâ sunt generati, ut aliis alii prodesse possint [53]. hócve natura præscribit, ut homo homini, quicunque sit, ob eam ipsam caussam tantùm, quòd is homo sit, cõsultum velit [54]. nam, ut ait Cicero [55], *sic nos nati videmur, ut inter omnes esset societas quædam.* útque scribit Chrysostomus [56], *dexte-*

52 Verba Cicer. offic. 1. *Vt Symmachus Papa ait, non est grãdis differentia, an lethum inferas, an admittas. Mortẽ enim languentibus probatur infligere, qui hanc, cùm possit, non excludit.* Verba dist. 83, in prina.

53 *Cicer. lib. cit. Homo in adjutoriũ mutuũ generatus est.* Verba *Senec. 1 de Ira, c. 7.* 54 *Cicer. offic. 3.* 55 *Cic. in Lal.* 56 *B. Chrysost. in psal. 134. Dignũ etiã impẽdio sãguinis mei tuebor & in partẽ discriminis veniã: indignũ si eripere latronibus potero clamore sublato, salutarẽ vocẽ homini nõ pigebit emittere.* Verba *Senec. 1 de Benef.* 10. Chrysostomi, Senecæ, & Ciceronis hæc loca docuit me heluo ille librorũ, & literatorum omnium facilè coryphæus D. Petrus Valerus Diazius, hoc in regno Regiæ Cameræ Præsidens. Vir, qui non modò apud nos, verùm etiam apud exteros: imò (quod rarius) apud suos summo in honore habetur. de illo *D. Iosephus Fernandez de Retes* in epistola, qua Viro amplissimo D. Francisco Ramos sua *ad tit. de Interdictis, & Relegatis, & Deportatis* eruditissima *Commentaria* consecrat, sic habet: *Nullus tamen cultiùs, judiciosiùs, elegantiùs, quàm D. Petrus Valerus Diazius Aragonensis.* & paullò post: *Quòd tanti fecerit* (commentariolum meum) *D Petrus Valerus Diazius, jam in partes vocatus, ut notis, additionibusque illustrare illum voluerit.* & *D. Iosephus Argaiz & Breton* elegantissima cultissimaque in epistula iisdem D. Iosephi Fernandez cõmentariis præfixa: *Domini D. Laurentius Sanctos de San Pedro, & D. Petrus Valero Diazius carulea Ovetensis Collegii chlamyde insigniti, & hujus Salmanticensis Lycæi scitissimi professores.* Clarissimum Virum eum appellat ornatissimus Baluzius Tutelensis *epistola ad clarissimum & eruditissimum virum Samuelem Sorberium, de Vita, rebus gestis, moribus & scriptis illustrissimi Viri Petri de Marca Archiepiscopi Parisiensis:* quæ epistola præposita est ejusdem Archiepiscopi libris *de Concordia Sacerdotii & Imperii.* Clarissimum item Virum eum nuncupat idem de Marca, ut est videre in eadem epistola. Hæc, inquam, loca citatus Valerus me docuit, cùm inter nos dissereretur: an si qui, cùm prohibere vim posset, non prohibuit, propè ipse intulisse videatur. &, post recitata memoriter ea loca, in hæc ferè verba, si bene memini, locutus est: *Natura rerum, mi Dominice, inter omnes homines cognationem instituit, cujus vi ad opitulandum oppressis accurrimus, & irascimur opprimenti. Vt omnia inter se membra consentiunt, quia singula servari totius interest: ita singulos juvare debemus, quia ad cœtum geniti sumus; salva autem esse societas, nisi amore, & custodia partium non potest. Quòd si quicum est communis humanitas, etiam civitas nos junxerit; jam duplici vinculo ad opem ferendam adstringimur. Cives, ut ait Aristoteles, constituunt unum corpus, & ejus anima sunt. propterea civitatis sympathia quædam est, ita, ut uno cive, vel membro læso, reliqui etiam cives, & sic tota resp. lædi videatur, atque invicem condolescat. & ut natura monemur, defensioni quique sua intenti esse, ita quoque, si socialis vita hominem laborare compertum habeamus, incivile planè foret ipsum deserere, & non opem, quam ob condolescentiam illam debemus, præstare: cùm ad hoc mortalis mortali sit associatus, ut alter alterum juvet.* Alios offendunt, *inquit Valla ad Candid. Decembr. contra Bart. lib. de Insign & arm.* me quoque offendunt: omnibus enim civibus injũriam facit, qui civem aliquem violat, & omnes boni injuriam accipiunt, quæ fit unicuilibet bono. *Vide* Plaz. Epit. delict. c. 28, n. 29. Farin. q. 115, n. 300, & seqq. & Matth. de crimin. in proleg. c. 1.

dexteras habemus, ut & nobis ipsis, & aliis injuriâ affectis opem feramus, ut his, quibus violentia & detrimentum infertur, portus simus & refugium. Id quod Austriacis maximè familiare: non solùm enim pro sociis, pro amicis, sed, quod est speciosius, pro oppressis gesserunt bella sæpissime. Quid quòd nunquã Ioãnes in potestatẽ Gallorũ vênit? siquidẽ eum, Mircuriâ vix occupatâ, publica vulnera, desperatio rerũ suarum, Gallorũ metus, &, quod præcipuũ, in Gallos inexpiabile odiũ, Vesuntionem, olim Imperatoris, nunc nostri Regis [57] in urbẽ detulere. planè *antequam* aliquis *in præsidia perducatur hostium, manet civis* [58]. Fuerit captus, fuerítque intra hostium præsidia perductus; nónne *retro creditur in civitate* (nobiscum) *fuisse, qui ab hostibus advenit* [59]? naturali æquitate introductum est, P.C. ut qui per injuriam ab extraneis detinebatur, is, ubi ad suos, aut socios rediisset, pristinum jus suum reciperet [60]. *Postliminio*, inquit Paullus [61], *rediisse videtur, cùm fines nostros intraverit, sicuti amittitur, ubi fines nostros excessit. sed & si in civitatem sociam amicámve, aut ad regem socium, vel amicum venerit, statim postliminio rediisse*

[57] Vesuntio, aliis *Vesontio*, aliis *Vesuntium*, & *Bisuntina civitas*, urbs est Sequanorum Metropolis, à Trojanis Æneæ sociis condita. *Blas. Suing. Cosmograph. lib. 3. Bergomet. Herem. Supplemẽt. Cronic. Mund.* Chrysopolim etiam nũcupatam existimãt, *teste Gaspar. Ens. de Deliciis Aleman.* quòd hujus urbis portæ puro auro essent cõtectæ. Hæc civitas olim, inquam, Imperatoris, nunc autẽ imperialem per transactionem, habitam Ratisbonæ die 17 Maji 1654, nostri Regis in auctoritatẽ cõcessit.

[58] Verba *l.* 5, §. 1, *ff. de capt. & postlim.* Adde *l.* 1, *C. de postlim. revers.*

[59] Verba *l.* 16, *ff. eod.*

[60] *L.* 19, *ff. eod.* Adde l. 4, ff. eod. *Dictũ est postliminium à limine & post. Vnde eum, qui ab hostibus captus est, & in fines nostros postea pervenit, postliminio reversum rectè dicimus. nam limina sicut in domibus finem quẽdam faciunt: sic & imperii finem limen esse veteres voluerũt. hinc & limẽ dictum est, quasi finis quidam & terminus: ab eo Postliminium dictum, quia ad idem limen revertebatur, quod amiserat.* Verba Iustiniani §. 5, *I. Quib. mod. jus patr. potest. solvit.* De etymo altera etiam est sententia: quidam enim censent, *liminium* esse productionem vocis, ut in *finitimo*, *legitimo*, *aditimo*: sed verior illa Iustiniani. *Voss. Etymolog. v. Postlim.*

[61] *Cit. l.* 19, §. 3. *Tunc autem reversus intelligitur*, inquit Pomponius l. 5, eod. *si aut ad amicos nostros perveniat, aut intra præsidia nostra esse cœpit.*

rediisse videtur: quia ibi primùm nomine publico tutus esse incipiat. Quid quòd Ioannes non modò rediit sibi, sed tametsi desiisset esse Caroli subditus, tamen Carolo etiam rediisset? *sicut* enim *liberis captis ab hostibus, ac postliminio reversis status pristinus restituitur, sic servi domino* [62], sic subditi principi [63]. Quid quòd Gallus, eo tempore, quo pragmatica sanctio dicta est, non modò non subegerat Lotharingiam, verùm in eam ne moverat quidem? *Publicatis bonis*, inquit Paullus [64], *quicquid postea adquiritur, non sequitur fiscum.* id quod arridet Gajo dicenti [65]: *Si cui aquâ & igni interdictum sit, ejus nec illud testamentum valet, quod antè fecit, nec id, quod postea: bona quoque, quæ tunc habuit, cùm damnaretur, publicabuntur.* atque hinc est, P. C. quòd adduci non possum, ut credam, Lotharingis regni finibus interdictum [66]. cur ambigam? nónne ab illo complures huc Lotharingi venerunt? nónne venerunt impunè, impunéque nobiscum habitant? at nónne optima est legum interpres consuetudo [67]? Quid quòd Ioannes neque furtim ivit ad nos, neque hîc in latebris se occultavit, neque in cubiculis delituit? núm sibi nomen, aut vestis modum mutavit? num patrium sermonem, aut patriam mentitus est? nónne palàm nobiscum erat? nónne proregibus probè cognitus, præsertim

62 Verba *l.* 10, C. *eod.* Adde *l.* 12, *eod.*

63 Quòd enim hãc ad rem attinet, de servis ac subditis idem judicium. *Grot. tr. cit. lib.* 3, *c.* 9, § 7. Dicet aliquis: *Cur hæc allegas? non-ne nostris temporibus, teste Grotio* ibid. *apud plerosque, maximè Christianos, postliminiũ evanuit, ob restitutam scilicet vim ejus cognationis, quam inter omnes homines naturam esse voluit?* Ita profectò, sed antequam judices, delibera, & concoque.

64 In *l.* 22, §. 5, *ff. mandat. vel contr.*

65 In *l.* 8, §. 1, *ff. qui testam. facer. poss.*

66 Etenim hæc pragmatica sãctio bannum est: *Si verò bãnũ*, inquit Nellus tr. de Bannitis 1 part. 2 tempor. q. 66. *banniret aliquẽ à civitate, & comitatu; crederem non intelligi nisi de comitatu, qui tunc erat.* Vide apud cum jura, & rationes.

67 *L.* 37, *ff. de L. L.* Vide quæ dicebamus *Cert.* 7, *n.* 119. & *Cert.* 8, *n,* 35.

tim Ognatto, Caſtrilióque? ſanè proſcriptus ut civis habitus reſtitutus cenſetur [68]. Quid quòd non modò habitus ut civis Neapoli, ſed Veſuntione quoque, ubi ſedes, & domicilium collocaverat, & civitate donatus eſt [69]? an ſit, ut utriuſque loci Rex ibi diligat, eodémque temporis puncto, hîc eum odio proſequatur [70]? ibi foveat, hîc verò puniat [71]? Quid quòd vertendo ſolum & civitatem Veſuntionem adipiſcendo, Mircuriam civitatem recuſavit, ejúſque deſiit eſſe civis [72]? Sed inſurgit in me adverſarius, &: *Origine propriâ*, inquit, *nemo poteſt voluntate ſuâ ſe ſe eximere* [73], *atque alii civitati dicare: cùm enim cives ſint in ære patriæ ante omnia debita, quæ quocunque modo contrahere poſſunt; nemini mortalium quicquam debent ante patriam, ſive de collocando beneficio, quod debitis ſemper poſtponendum, ſive de aliis aliunde contractis debitis agatur*. Civis originarius, *inquit Baldus* [74], eſt

68 *Nell. tr. cit.* 3 *part.* 2 *temp. q.* 84. & apud eum jura & rationes. Adde, ſi videtur, quæ dicebamus *Cert.* 8. *n.* 86.

69 *Cives quidem origo, manumiſſio, allectio, vel adoptio: incolas verò (ſicut & Divus Hadrianus edicto ſuo manifeſtiſſimè declaravit) domicilium facit. Et in eodem loco ſingulos habere domiciliũ non ambigitur, ubi quis larem, rerũque ac fortunarum ſuarum ſummam conſtituit, unde rurſus non ſit diſceſſurus, ſi nihil avocet.* Verba *l.* 7, *C. de Incol. lib.* 10.

70 Odiſſe aliquem, & ſimul diligere fieri non poteſt. *Cicer.* 5 *de Finib.*

71 Odit, qui affligit, & punit: ut jùdex, licèt odio vacet, favere autem & odiſſe contraria. *Cicer. de clar. orat.*

72 Quanquam enim ex legibus quis ſibi patriã mutare non poteſt. *l.* 6, *ff. ad Munic. & de Incol. & l.* 7, *C. de adopt.* poteſt tamen ex moribus, ſi domicilium alibi conſtituat. *Afflict. deciſ.* 384. *Gaill.* 2, *obſer.* 36. *Zanger. de except. p.* 2, *c.* 1, *n.* 75. *& Amay. ad l.* 7, *C. de Incol. lib.* 10. maximè verò ſi hoc ſibi in ea civitate comparet, quæ diverſo principi ſubjecta ſit. *Amay. loc. cit.* etenim *impoſſibile eſt, aliquem duarum diſtinctarum civitatum communi capiti non ſubjectarum ſimul civem cenſeri.* Verba Arniſ. de Rep. c. 5, ſect. 7, n. 7. *Sunt cives membra reip. atqui duorum corporum ut idem membrum ſit per naturam fieri non poteſt: & in plurium officia diſtracti ſenſus, dum nullius imperium exaudiũt, nec in tot functionibus ſe ſe partiri, aut diſcerpere poſſunt; vel ſub ipſa operum multitudine ſuccumbunt, vel objectorum in contraria rapientium mutuis pugnis intermoriuntur.* Verba *Arniſ. Sect. cit. n.* 25.

73 *L.* 4, *C. de Municip. & originar. lib.* 10. Impium ſe demonſtrat, qui vitat patriam. l. un. C. ſi Cur. relict. civit. *Hi, qui impoſita munera civitatum fuga deſtituunt, vel ineundos furtim exiſtimant eſſe contractus, intelligant, ſibi nihil hæc profutura eſſe commenta, & pretio emptorem fugæ conſcium multandum eſſe, quod dederit.* Verba *l.* 17, *C. de reſc. vend.* ubi vide *Gothofr.* Vide quoque *Iacob. Gothofr. ad l.* 8, *C. Theod. de contrah. empt.*

74 *Bald. ad l.* 7, *C. de adopt.* quem ſequitur *Carleval. de Iudic. diſp.* 2, *q.* 2, *n.* 124.

eſt quodãmodò hypothecatus patriæ: *atqui* creditor, qui prior hypothecam accepit, ſive poſſideat, & alius vindicet hypothecariâ actione, exceptio priori utilis eſt, SI NON MIHI ANTE PIGNORI HYPOTECÆVE NOMINE SIT RES OBLIGATA, ſive, alio poſſidente, prior creditor vindicet hypothecariâ actione, & ille excipiat, SI NON CONVENIT, VT SIBI RES SIT OBLIGATA: hic in modum ſuprà relatum replicaVit [75]. *Non ſit patriæ ſuppoſitus hypothecæ,*

Tt

[75] Verba *l. 12, ff. qui potior. in pign. vel hypotheca habeantur.* ubi Gothofredus lit. Y, ſcribit: *Prior creditor vincit ſecundum, agẽdo, excipiendo, & replicando. Cùm de pignore utraq; pars cõtendit,* inquit Imp. Antoninus l. 2, C. qui pot. in pign. hab. *prævalet jure qui prævenit tempore.* Adde *l. 11. ff. eod. l. 4. & 8, C eod.* An id perpetuum? *Interdum poſterior potior eſt priori: utputà ſi in rem iſtam conſervandam impenſum eſt, quod ſequens credidit, veluti ſi navis fuit obligata, & ad armandam eam, vel reficiendam, ego credidero.* Verba l. 5, ff. eod. Adde l. 34, ff. de priv. cred. *Hujus enim pecunia ſalvam fecit totius pignoris cauſam: quod poterit quis admittere & ſi in ciVaria nautarum fuerit creditum, ſine quibus navis ſalva pervenire non poterat. Item ſi quis in merces ſibi obligatas crediderit, vel ut ſalvæ fiant, vel ut naulum exſolvatur, potentior erit, licèt poſterior ſit: nam & ipſum naulum potentius eſt. Tantundem dicetur, & ſi merces horreorum vel areæ vel vecturæ jumentorum debetur: nam & hic potentior erit.* Verba *l. 6.* & §. 1, & 2, *eod.* Cõplures alias exceptiones vide apud *Gallupp. in prax. p. 4, c. 3.* & *Merlin. de pignor. lib. 4* An temporis puncto prævenisse ſufficiat? *Simul dicitur fieri quod eodem die fit, licèt diverſis momentis.* Verba *Bart. in l 16, §. 8, ff. de pign. & hyp.* quod diſplicet *Bachov. de pign. lib. 1, c 1, & lib. 3, c. 3:* ubi: *Quod utique*, inquit, *in hac materia pignorum prorſus falſum eſt. Et tamen facilè ignoverit Bartolo, qui viderit, eundem errorem erraſſe doctiſſimos recentiorum* Hotomannum tract. de pign. c. 4. Cujac. ad lib. 29. Edict. Pauli, in l. aliena 20. de pign. act. *ubi*: Si mane, *inquit*, uni rem pignoravero, veſperi alteri, alter altero potior non eſt. *Nihil falſius & malè meriti ſunt de Cujacio, qui opera illa, contra quàm ipſe fieri vetuerat, poſt mortem ejus ediderunt.* Paullò poſt: *Et planè probo Accurſium, qui vidit veritatem, dum particulam* Si eodem (cit § 8) *interpretatus eſt per* quanvis (*& poſſit videri Græciſmus εἰ κἀτ, vel κἄν*) *quoniam ratio decidendi cur iſti in ſolidum ſinguli agere poſſint, iuxta hunc ipſum textum, eſt, quia* ſeparatim *pignus acceperunt: ut planè ſit contra mentem Triboniani, eos, qui eodem diverſo tempore pignus acceperunt: pro iis haberi, ac ſi ſimul pignus accepiſſent: Quæ rationes faciunt, ut ſivè de jure prioritatis, ſive agendi in ſolidum quæras, ſententia illa & explicatio Bartoli, & cæterorum non poſſit defendi: & præſtet, emẽdato leviter textu, pro* Si eodem *ſubſtituere* Etſi eodem, *quàm tam abſurdam ſententiam tueri.* Imò, pace Bachovii, nec oportet textum emendare: ſæpe enim ſæpius particula *Si* ab emendatiſſimi ſeculi Scriptoribus pro *Quanvis, Etſi, Etiamſi* uſurpatur. *Theſ. L. L.* in *Si.* Hæc verò cõtra Bartolum ſententia receptiſſima eſt. *D. D.* apud *Merlin. de pign. lib. 4, tit 1. q. 4.* adeò, ut dixerint quidam apud *Salgad. Labyrint. creditor. p. 2, c. 4,* eum vincere, qui horam probat certæ diei, contra eum, qui probat, ſe eadem die accepiſſe pignus, ſed horam probare neſcit. Quod etiam diſplicet Bachovio *cit. c. 1*: nec mihi arridet, ni ille hora prima diei ſe pignus accepiſſe probaverit. quid enim ſi probaverit accepiſſe poſtrema? Vide *de Franch, deciſ. 649.*

pothecæ, sitque Ioanni addita patria; nónne in comparationem extranei, & ejus, qui creditor, cognatúsve sit, potior habetur creditor cognatúsve [76]? *potior utique cognatus, quid igitur patria nâturæ; hoc-est locus ille, ubi nos natura ipsa plantavit? certè* non potest cognatio ulla propior esse, quàm patriæ [77]. *patria nos primùm natura conciliat* [78]: *& si contentio quædam, & comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum sit officii; principes sunt patria & parentes, quorum beneficiis maximè obligati sumus* [79]. *imò est patria antiquior parens, quàm is, qui, ut ajunt, creaverit, & major ei profectò, quàm parenti, debetur gratia* [80]. Patriæ majestati, *inquit Valer. Max.* [81] etiam illa, quæ Deorum numinibus æquatur, auctoritas parentum, vires suas subjecit [82]: fraterna quoque caritas æquo animo ac libenti cedit, summâ quidem cum ratione: quia eversâ domo, intentatus Reip. status manere potest: urbis ruina, penates omnium trahat secum necesse est. *propterea* minimè

---

76 Verba *l. 1, ff. de privil. cred.*

77 Verba *Cicer. 1 de Orat.*

78 *Cicer. de Arusp. respons.*

79 *Cicer. offic. 1.*

80 *Cicer. de Repub.* Adde *Plat. in Criton.* & 5 *de L. L.* ubi sic loquitur: *Quum ea regio sit patria, majori studio, & diligentia colenda est, quàm mater à liberis. hac enim quum sit dea, omniũ mortalium est regina.* eodemque loci: *Itane fueris sapiẽs, ut ignores, patriã & matre, & patre, & majoribus omnibus pretiosiorẽ, augustiorem, sanctiorẽ, & majoris cujusdam sortis pretio, atque reverentia, & apud Deos, & apud prudentes homines esse colendam, atque venerandam?*

81 *Valer. Max. lib. 5, c. 6.*

82 Atque hanc ob rem pater resistere, quò minùs patriæ obsequatur filius, & ad munera evocetur, non potest. *l. 14, § 4, ff. de Muner. & honor. l. 3, C. ne fil. pro patr.* & *l. 5, C. de Decur. lib.* 10. quippe major, & antiquior est patriæ potestas, quàm patris: *Arnis. de Rep. c. 4. Sect. 3.* imò, *quòd ad jus publicum attinet* (filius) *non sequitur jus potestatis.* Verba l. 14, ff. ad Trebell. *Filiusfamilias*, inquit Pomponius l. 9, ff de his, qui sunt sui, vel alien. jur. *in publicis causis loco patrisfamilias habetur: veluti ut magistratum gerat, ut tutor detur.* ideoque de patris negotio cognoscit. *l. 77. ff. de judic.* & reluctantem cogit. *l. 13, §. 5, ff. ad Trebell. Divisa est potestas patria à publica*, infit Arnis. loc. cit. *nam qui in potestate patris est, idem est in potestate avi propter patrem: qui jàm est in potestate civis, eundem oportet esse in potestate civitatis, & quidem magis in hujus, quàm illius, quia priùs nascitur fœtus Reip. quàm familia.*

nimè majores lugendum [83] putaverunt eum, qui ad patriam delendam, & parentes, & liberos interficiendos venerit. quem si filius patrem, aut pater filiũ occidisset, sine scelere, etiam præmio adficiendum omnes constituerunt [84]. Quid si tyrannidem occupare, si patriam prodere conabitur pater, *inquit Cicero* [85]; silebítne filius? imo-verò obsecrabit patrem, ne id faciat. si nihil proficiet, accusabit [86]: minabitur etiam. ad extremum, si ad perniciem patriæ spectabit; patriæ salutem anteponet saluti patris [87]. Hæc adversarius, sed ad

Tt 2 rem

83 Hoc ipsum docet Vlpianus *l.* 25, §. 3, *ff. de his, qui not. infam* dicens: *Nõ solẽt autem lugeri, ut Neratius ait, hostes, vel perduellionis dãnati.* Obiter hic nota, infletos quoque suspẽdiosos, & qui manus sibi intulissent, non tædio vitæ, sed mala conscientia. *cit.* § 3. Infleti etiam septemnio minores, & quinquagesimo ætatis anno majores, quòd illi rapti immaturo funere, vix primũ vitæ limen attigissẽt, isti autem satis diu vixissent. *Alex ab Alex. Dier. genial. lib.* 3, *c.* 7. Infleti & alii, de quibus *Alex. ibid.* Multa verò de necessario, deque voluntario luctu, & pleraque quòd hanc ad rem scitu dignissima, vide *in cc. pen. & ult. de secund. nupt. in l.* 1, 8, 9, 10, 11, 12, 13. 23, 24, & 25, ibique *Gothofr. ff. de his, qui not. infam.* Vide *l.* 15, ibique *Gothofr. C. ex quib. caus. infam. irrog.* Vide *titt ff. & C. de Relig. & Sumpt. funer.* & *Nov.* 115, *c.* 5. Vide *Fabr. ad citt. l. l. ff* & *Bachov. in Comment. ejusd. tit.* Nec pœnitenda tibi erit lectio *Alex. ab Alex. loc. cit* nec *Francisci de Petris Festivar lection. lib.* 1, *c.* 5. 84 Verba *Marcelli l.* 35, *ff. de Relig. & Sumpt. funer.* Quippe *de parentum salute frustra solicitus sit quispiam, qui non fuerit de patria incolumitate priùs. patrem perdendo nequaquam peris, sed patria ruina in omnium penates uno procumbit impetu* Verba Arnis. tr. cit. c. 4, Sect. 3. *Nullus est casus*, inquit Cicero Philip. 13, *pro dignitate, & libertate patria non ferendus.* & offic. 1: *Chari sunt liberi, propinqui familiares, sed omnes omnium charitates patria una cõplexa est.* imo verò *nemo est tam ingratus tam impius, tamque nullius humanitatis, qui si patria merita resumere voluerit, non eam magis, quàm seipsum diligat.* Verba *Cicer. in Vatin.* 85 *Cicer. offic.* 3. 86 Inter caussas, ex quibus patri licet exheredare filium, *Nov const.* 115, §. 3. sic habet: *Si eos* (parẽtes) *in criminalibus causis accusaverit, qua non sunt adversus principem, sive rempublicam.* 87 Roget aliquis: *An ulla-ne tanta injuria à parente inferri potest, ut sit parricidio vindicanda?* Patrem fateris occidisse te, *inquit Sophocl. in Elect.* quo quid potest sermone turpius exprimi, seu jure, sive injuria? & *Iustinus* lib. 16, *de Antipatro matricida scribens:* Id factum eò gravius visũ omnibus, quòd nullum maternæ fraudis vestigium fuit: quanquam in parricidio nulla satis justa causa ad sceleris patrocinium prætexi potest. *Aristoteles etiam* 3 *Nicomach* 1: Quædam autem fortasse sunt, ad quæ perpetranda nemo cogi, compelli-ve potest: sed potiùs extrema quæque pati, ac mori convenit. etenim ridicula ea sunt, quæ Alcmæonem ad matrem interficiendam compulerunt. *Scribitque Matth. de crimin tit.* 6. *c.* 7. Et sanè si Deorum simulachra parentes. Diis autem nemo nisi væcors & impius resistit; qui parentibus, salva pietate resistere poterimus? Hostes sunt? tamen parentes. vim faciunt? honestiùs vincemur, quàm vincemus. Nullo enim civitatis instituto reverentia parentibus jure naturæ debita deleri, atque extingui potest. Nec lex Divina, quæ parentes venerari jubet, exceptionem addit: *Extra quàm si hostes fiant.* Vindicandæ sunt injuriæ, *infit Orig. lib* 8. *contr. Cels* irascendum pro patria, sed quantum salva pietate licet. *Nihil enim honestum, nihil utile censeri potest, quod fundamentum Reip. scilicet pietatem ipsam convellit. Parricidium* scelestum, ac nefarium facinus, atque ejusmodi, quo uno maleficio scelera omnia complexa esse videantur. *Verba Cicer. pro Rosc. Amer.* atque omnia superet.

audiendíque commercium? ubi tandem arduus rerum omnium modus, libertas suspecta, silentium contumax? *planè cùm qui sibi, aut Titio dari stipulatus sit*, inquit Africanus [89], *magis est, ut ita demum rectè Titio solvi dicendum sit, si in eodem statu maneat, quo fuit cùm stipulatio interponeretur. cæterùm sive in adoptionem, sive in exilium ierit, vel aquâ & igni ei interdictum, vel servus factus sit, non rectè ei solvi dicendum. tacitè enim inesse hæc conventio stipulationi videtur:* SI IN EADEM CAVSA MANEAT. Eleganter Seneca [90]: *Sponsum descendam, quia promisi: sed non si spondere in incertum jubebis, si fisco obligabis. Subest, inquam, tacita exceptio:* SI POTERO, SI DEBEBO, SI HÆC ITA ERVNT. *Effice ut idem status sit cùm exigitur, qui fuit cùm promitterem. Destituere levitas non erit, si aliquid intervenit novi. Quîd miraris, cùm conditio promittentis mutata sit, mutatum esse consilium? eadem mihi omnia præsta, & idem sum.* Fuerit nefas Ioanni patriam destituere, atque ab Rege Galliæ fugere; nónne Caroli fide ad nos transfûgit? quid igitur? certè hostium numero Gallis est, & apud eos majestatis tenetur [91]: num autem hostis hostem malè habeamus, eúmque finibus exturbemus? utinam Lotharingi omnes regem illum desererent, ac populatim ad nos venirent! sanè, ut eum debilitemus,

[89] *L. 38, ff de solut.* ubi Gofredus sic habet: *De tacitis conditionibus, Oldendorp in Top. in loco ab authoritate, seu præjudiciis, n. 5, vel inter cæteras, sequêtes recenset: Si Deus voluerit, Si vixero, Si potuero, Si tempus concedetur, Si æquũ fueris arbitratus, Si non fueris injuriosus, aut damnosus, Si rem licitam mãdaveris, aut pactus fueris, Si fidem servaveris, Si lex aut superior id probaverit, Si necessitas me in contrarium non coëgerit.*

[90] *Senec. 4 de Benef. 39.*

[91] *L. 19, §. 4, ff de capt & postlim. reve. s. l. 2 ff. ad l. Iul. Majest.*

temus, ſunt ii nobis ad iſta invitandi, & beneficiis attrahendi. *Ad hoſtium vires paullatim infirmãdas*, inquit Thucydides [92], *maximè prodeſt ſocios ab iis abducere, vel eos cum ſociis ſuis cõmittere, vel alios aliis ſuſpectos reddere, vel denique meliorem eorum ſubditis, æquiorémque conditionem offerre.* Ejiciemúſne Lotharingos, ut redeant in patriam, illaturi Gallo tributa, quibus ille validior, & ſuperbior evadat? *Non ſolùm Barbaris*, inquiunt Impp. [93] *aurum minimè præbeatur, ſed etiam, ſi apud eos inventum fuerit, ſubtili auferatur ingenio.* Eſt-ne, P.C. éſtne ulla cauſſa, cur Lotharingi nobis ullum timorem incutiant, aut ſuſpicionem faciant? amant profectò nos, ad quos perfugiunt, quos verò fugiunt Gallos, oderunt. ii, non modò naturâ cum Gallis, ſed moribus etiam vehementiſſimè diſcrepant: occidionis eſt recens memoria, vivunt filiis orbi parentes, filii parentibus, vivunt maritis orbæ mulieres, vivit Carolus, Lotharingorum omnium deliciæ. ſolicitat Lotharingos præteritorum memoria, urgent mala præſentia, ſpes libertatis incendit. *Miles externus*, inquit ille [94], *cùm ſemper civitatibus eſſe gravis ſolet, tum recèns victis, tanquam fortunam ſuam è proximo reſpectantibus graviſsimus eſt.* Oſtendimus, P.C. à pragmaticâ ſanctione hinc Lotharingos non exturbari, pœnâ non affici: ſed quid quòd Ioannes, &, quod caput eſt, ante cœptum

[92] *Thucyd. Orat. Hermocrat. ad Camarin.* Princeps, aut dux hoſtium quiſpiam ad nos transfugiẽs, illis maximè nocet: nam morã paratis ab illis rebus affert, & eorum conatus interrumpit, & conſilia patefacit. itaque, ut tales in noſtras partes tranſeãt, nullis non conditionibus, & præmiis eſt nitendum. *Thucyd. de Alcib.* Summa prudẽtia eſt, ad vires hoſtium debilitandas, præcipuũ eorum ſocium, vel vi, vel beneficio, vel præmiis ab iis abducere. *Polyb. lib. 4.*

[93] *Gratian. Valentin & Theodoſ. in l.2, C. de cõmerc. & mercator.* Adde *l.2, quæ res exportar. non debeãt.*

[94] *Famian. Strad. de Bello Belgic. decad.2.*

ma, quibus nulla, nisi in armis, relinquitur spes [39]: qui verò in id veniunt, ut in nihil hostile cogitantes violentas inferant manus, hi non modò invitos cogunt ad arma semet tutatura confugere: non modò cædium, rapinarum, malorúmque omnium quæ bella pariũt, rei sunt [40]; verùm etiã prædones, latronésque jure merito appellantur [41]. Quæ cùm ita sint, P.C. velim, ipsemet adversarius nobis enarret, quâ de caussâ, quibúsve modis Lotharingiæ Duci fuerint à Gallis arma illata. Illatáne justè (modũ sciens prudénsque reticeo) an, inquam, illatáne justè, quòd Dux ille, salutis & periculi cum Austriacis societatem coiverat? Eò planè deductus est adversarius, ut fateri necesse habeat, aut Gallum Austriacis, eorúmque sociis, aut Austriacos Gallo injustum bellum agere: bellum enim utrinque justum esse non potest [42]. hoc secundum si dixerit; est sanè Austriacis nonnihil injurius: si primum; injustè Gallus Lotharingiam possidet. Quanquam enim ea, quæ ex hostibus capimus, jure gentium statim nostra fiunt [43]; hoc tamen tum obtinet modò, cùm justum est bellum: bellum enim injustum inter legitimos adquirendi modos nequaquam censetur [44]: gentésque in omnes pro vero receptum est, injustum victorem, per fas júsque detrudi, & non alio, quàm tyranni, quàm hostis, imo-verò prædonis latronísque loco, ut antea dice-

[39] *Liv. decad.* 1, *lib.* 9. *Nulli gẽti* (Augustus) *sine justis & necessariis caussis bellum intulit.* Verba *Suet. in August.*

[40] *Zyp. loc. cit.*

[41] *Lucan.* & *Senec.* apud *Grot. cit. c.* 1. Vide *Zyp. loc. cit.*

[42] *Grot. cit. l.* 2, *c.* 23. Ex còntrariis enim duobus, quorum alterũ ait, quod alterum negat, necesse est, alterum verũ esse, alterũ falsum. *Cic. de fat. Contraria causa nequeunt simul vera, nec simul justa esse.* Verba *Bald. in l.* 5, *de just. & jur.*

[43] §. 17. *Instit. de rer. divis.*

[44] *D.D. ad cit.* §. 17. Vide *Vacon. à Vacun. declarat. jur. civil.* 21.

cebamus,haberi: *Si constiterit*, inquit Pontifex [45], *quòd prædictus H injustè bellum moverit contra I; ipsum H studeatis inducere,ut universa,per hujusmodi violentiam occupata, restituat conquerenti. quòd si acquiescere noluerit; cogatis, per sententiam excommunicationis, terram ejus interdicti sententiæ supponentes*. Quîd plura? do vobis exemplum, quo tota controversia dirimatur. Fingite Valentii fori cives nuper à Gallo subactos venisse Neapolim; ejiciemúsne illos? capitísne animadversione plectemus? illorúmne bona publicabimus? non ita. cur? quia subditi Gallo non sunt,quòd injustè Gallus Valentiam invaserit: atqui sítne aliquid, ut de Lotharingis non sit idem judicium? det mihi differentiam adversarius,& ne mutire quidem me audiet. nulla sanè dari potest: eodem enim jure apud regem nostrum censendi subditi ipsius, & subditi sociorum: quippe veri fœderis natura ea est, ut diversa membra ita conjungat, atque in unum, ut ita dicam, conglutinet corpus (salvâ tamen in suos imperandi vetandi majestate) ut alterum alteri quàm libentissimè auxilium, operam, laborem impendat, útque discreta quanvis, distinctáque corpora uno spiritu conjungi regíque videantur [46]. *Quum Romani volebant bellum indicere*, inquit Servius [47], *Pater patratus, hoc-est princeps fecialium, proficiscebatur ad hostium fines, & præfatus quædam solennia, clarâ voce dicebat, se bel-*

[45] In c. sicut de jurejur.

[46] Vander. ad l. nõ dubito, ff. de capt. & postlim. reversi. c. 56.

[47] Serv. ad 9 Aeneid.

 lum

lum indicere propter certas cauſſas: aut quia SOCIOS LÆSERANT, *aut quia nec abrepta animalia, nec obnoxios redderent. Propter ſocios,* infit Cicero [48], *nullâ ipſi injuriâ laceſsiti, majores veſtri cum Antiocho, cum Philippo, cum Aetolis, cum Pœnis bella geſſerunt.* & aliàs [49]: *Nullum,* inquit, *bellum ſuſcipitur ab optimâ civitate, niſi pro ſalute, vel fide.* Salus ad nos pertinet, fides ad ſocios: fidéſque nos impellit, ut opitulemur iis, quibuſcum ſocietas nobis, & auxilii pacta [50]: Neceſſe eſt igitur, P.C. ſi fœderis dignitatem ſuſtinere volumus, non tantùm à nobis Leprios, amicos, ſociόſque in calamitatem non trahi, ſed & omni calamitate; imo-verò metu calamitatis prohiberi, defendi, liberari. Quid exteri, quid Galli dicturi, ſi reſciverint, amicos, ſociόſque ad nos confugientes, à nobis non modò non protegi, verùm etiam exturbari, ſpoliari, interimi? nomen noſtrum odio atque acerbitati, ſcitote, P.C. omnibus nationibus futurum, ſi adeò turpia, adeò indigna de nobis fama retulerit. Quid quòd, ni velimus injuſti haberi, Lotharingis auxilia debemus, non tantùm quâ ſocijs, verùm etiam quâ oppreſſis [51]? etenim *injuſtitiæ genera duo ſunt. unum eorum qui inferunt: alterum eorum, qui ab iis, quibus infertur, ſi poſsint, non propulſant injuriam. nam qui injuſtè impetum in quempiam facit, aut irâ, aut aliquâ perturbatione incitatus, is quaſi manus afferre videtur ſocio: qui autem non defendit, nec obſi-*

48 *Cic. pro L. Manil.*

49 *Cicer. 4 de Rep.*

50 *Lipſ. 5 Pol. 4. Qui enim non repellit à ſocio injuriam, ſi poteſt, tam eſt in vitio, quàm ille, qui facit.* Verba c. 7, 23, q. 3.

51 *Præbent ſaxa perfugiū feris, Aræq; famulis, urbibus preſsis malo tutamen urbes.* Verba *Eurip. in Supplicib.*

obsistit, si potest, injuriæ, tam est in vitio, quàm si parentes, aut amicos, aut patriam deserat [52]. homines hominum caussâ sunt generati, ut aliis alii prodesse possint [53]. hócve natura præscribit, ut homo homini, quicunque sit, ob eam ipsam caussam tantùm, quòd is homo sit, cōsultum velit [54]. nam, ut ait Cicero [55], *sic nos nati videmur, ut inter omnes esset societas quædam*. útque scribit Chrysostomus [56], dexte-

52 Verba Cicer. offic. 1. *Vt Symmachus Papa ait, non est grãdis differentia, an lethum inferas, an admittas. Mortẽ enim languentibus probatur infligere, qui hanc, cùm possit, non excludit.* Verba dist. 83, *in prin.*

53 *Cicer. lib. cit. Homo in adjutoriũ mutuũ generatus est.* Verba *Senec. 1 de Ira, c. 7.* 54 *Cicer. offic. 3.* 55 *Cic. in Lal.* 56 *B. Chrysost. in psal. 134. Dignũ etiã impẽdio sãguinis mei tuebor & in partẽ discriminis veniã: indignũ si eripere latronibus potero clamore sublato, salutarẽ vocẽ homini nō pigebit emittere.* Verba *Senec. 1 de Benef. 10.* Chrysostomi, Senecæ, & Ciceronis hæc loca docuit me heluo ille librorũ, & literatorum omnium facilè coryphæus D. Petrus Valerus Diazius, hoc in regno Regiæ Cameræ Præsidens. Vir, qui non modò apud nos, verùm etiam apud exteros: imò (quod rarius) apud suos summo in honore habetur. de illo *D. Iosephus Fernandez de Retes* in epistola, qua Viro amplissimo D. Francisco Ramos sua *ad tit. de Interdictis, & Relegatis, & Deportatis* eruditissima *Commentaria* consecrat, sic habet: *Nullus tamen cultiùs, judiciosiùs, elegantiùs, quàm D. Petrus Valerus Diazius Aragonensis.* & paullò post: *Quòd tanti fecerit* (commentariolum meum) *D Petrus Valerus Diazius, jam in partes vocatus, ut notis, additionibusque illustrare illum voluerit.* & *D. Iosephus Argaiz & Breton* elegantissima cultissimaque in epistula iisdem D. Iosephi Fernandez cōmentariis præfixa: *Domini D. Laurentius Sanctos de San Pedro, & D. Petrus Valero Diazius cærulea Ovetensis Collegii chlamyde insigniti, & hujus Salmanticensis Lycæi scitissimi professores.* Clarissimum Virum eum appellat ornatissimus Baluzius Tutelensis *epistola ad clarissimum & eruditissimum virum Samuelem Sorberium, de Vita, rebus gestis, moribus & scriptis illustrissimi Viri Petri de Marca Archiepiscopi Parisiensis:* quæ epistola præposita est ejusdem Archiepiscopi libris *de Concordia Sacerdotii & Imperii.* Clarissimum item Virum eum nuncupat idem de Marca, ut est videre in eadem epistola. Hæc, inquam, loca citatus Valerus me docuit, cùm inter nos dissereretur: an si qui, cùm prohibere vim posset, non prohibuit, propè ipse intulisse videatur. &, post recitata memoriter ea loca, in hæc ferè verba, si bene memini, locutus est: *Natura rerum, mi Dominice, inter omnes homines cognationem instituit, cujus vi ad opitulandum oppressis accurrimus, & irascimur opprimenti. Vt omnia inter se membra consentiunt, quia singula servari totius interest: ita singulos juvare debemus, quia ad cœtum geniti sumus; salva autem esse societas, nisi amore, & custodia partium non potest. Quòd si quicum est communis humanitas, etiam civitas nos junxerit; jam duplici vinculo ad opem ferendam adstringimur. Cives, ut ait Aristoteles, constituunt unum corpus, & ejus anima sunt. propterea civitatis sympathia quædam est, ita, ut uno cive, vel membro læso, reliqui etiam cives, & sic tota resp. lædi videatur, atque invicem condolescat. & ut natura monemur, defensioni quique sua intenti esse, ita quoque, si socialis vita hominem laborare compertum habeamus, incivile planè foret ipsum deserere, & non opem, quam ob condolescentiam illam debemus, præstare: cùm ad hoc mortalis mortali sit associatus, ut alter alterum juvet.* Alios offendunt, *inquit Valla ad Candid. Decembr. contra Bart. lib. de Insign. & arm.* me quoque offendunt: omnibus enim civibus injùriam facit, qui civem aliquem violat, & omnes boni injuriam accipiunt, quæ fit unicuilibet bono. *Vide* Plaz. Epit. delict. c. 28, n. 29. Farin. q. 115, n. 300, & seqq. & Matth. de crimin. in proleg. c. 1.

dexteras habemus, ut & nobis ipsis, & aliis injuriâ affectis opem feramus, ut his, quibus violentia & detrimentum infertur, portus simus & refugium. Id quod Austriacis maximè familiare: non solùm enim pro sociis, pro amicis, sed, quod est speciosius, pro oppressis gesserunt bella sæpissime. Quid quòd nunquã Ioãnes in potestatẽ Gallorũ vênit? siquidẽ eum, Mircuriâ vix occupatâ, publica vulnera, desperatio rerũ suarum, Gallorũ metus, &c, quod præcipuũ, in Gallos inexpiabile odiũ, Vesuntionem, olim Imperatoris, nunc nostri Regis [57] in urbẽ detulere. planè *antequam* aliquis *in præsidia perducatur hostium, manet civis* [58]. Fuerit captus, fuerítque intra hostium præsidia perductus; nónne *retro creditur in civitate* (nobiscum) *fuisse, qui ab hostibus advenit* [59]? naturali æquitate introductum est, P.C. ut qui per injuriam ab extraneis detinebatur, is, ubi ad suos, aut socios rediisset, pristinum jus suum reciperet [60]. *Postliminio*, inquit Paullus [61], *rediisse videtur, cùm fines nostros intraverit, sicuti amittitur, ubi fines nostros excessit. sed & si in civitatem sociam amicámve, aut ad regem socium, vel amicum venerit, statim postliminio rediisse*

57 Vesuntio, aliis *Vesontio*, aliis *Vesuntium*, & *Bisuntina civitas*, urbs est Sequanorum Metropolis, à Trojanis Æneæ sociis condita. *Blas. Suing. Cosmograph. lib. 3. Bergomet. Herem. Supplemẽt. Cronic. Mund.* Chrysopolim etiam nũcupatam existimãt, *teste Gaspar. Ens. de Deliciis Aleman.* quòd hujus urbis portæ puro auro essent cõtectæ. Hæc civitas olim, inquam, Imperatoris, nunc autẽ imperialem per transactionem, habitam Ratisbonæ die 17 Maji 1654, nostri Regis in auctoritatẽ cõcessit.

58 Verba *l. 5, §. 1, ff. de capt. & postlim.* Adde *l. 1, C. de postlim. revers.*

59 Verba *l. 16, ff. eod.* 60 *L. 19, ff. eod.* Adde l. 4, ff. eod. *Dictũ est postliminium à limine & post. Unde eum, qui ab hostibus captus est, & in fines nostros postea pervenit, postliminio reversum rectè dicimus. nam limina sicut in domibus finem quẽdam faciunt: sic & imperii finem limen esse veteres voluerũt. hinc & limẽ dictum est, quasi finis quidam & terminus: ab eo Postliminium dictum, quia ad idem limen revertebatur, quod amiserat.* Verba Iustiniani *§. 5, I. Quib. mod. jus patr. potest. solvit.* De etymo altera etiam est sententia: quidam enim censent, *liminium* esse productionem vocis, ut in *finitimo, legitimo, aditimo*: sed verior illa Iustiniani. *Voss. Etymolog. v. Postlim.* 61 *Cit. l. 19, §. 3. Tunc autem reversus intelligitur*, inquit Pomponius l. 5, eod. *si aut ad amicos nostros perveniat, aut intra præsidia nostra esse cœpit.*

rediisse videtur: quia ibi primùm nomine publico tutus esse incipiat. Quid quòd Ioannes non modò rediit sibi, sed tametsi desiisset esse Caroli subditus, tamen Carolo etiam rediisset? *sicut* enim *liberis captis ab hostibus, ac postliminio reversis status pristinus restituitur, sic servi domino* [62], sic subditi principi [63]. Quid quòd Gallus, eo tempore, quo pragmatica sanctio dicta est, non modò non subegerat Lotharingiam, verùm in eam ne moverat quidem? *Publicatis bonis*, inquit Paullus [64], *quicquid postea adquiritur, non sequitur fiscum.* id quod arridet Gajo dicenti [65]: *Si cui aquâ & igni interdictum sit, ejus nec illud testamentum valet, quod antè fecit, nec id, quod postea: bona quoque, quæ tunc habuit, cùm damnaretur, publicabuntur.* atque hinc est, P. C. quòd adduci non possum, ut credam, Lotharingis regni finibus interdictum [66]. cur ambigam? nónne ab illo complures huc Lotharingi venerunt? nónne venerunt impunè, impunéque nobiscum habitant? at nónne optima est legum interpres consuetudo [67]? Quid quòd Ioannes neque furtim ivit ad nos, neque hîc in latebris se occultavit, neque in cubiculis delituit? núm sibi nomen, aut vestis modum mutavit? num patrium sermonem, aut patriam mentitus est? nónne palàm nobiscum erat? nónne proregibus probè cognitus, præsertim

62 Verba *l.* 10, C. *eod.* Adde *l.* 12, *eod.*

63 Quòd enim hâc ad rem attinet, de servis ac subditis idem judicium. *Grot. tr. cit. lib.* 3, *c.* 9, § 7. Dicet aliquis: *Cur hæc allegas? non-ne nostris temporibus, teste Grotio* ibid. *apud plerosque, maximè Christianos, postliminium evanuit, ob restitutam scilicet vim ejus cognationis, quam inter omnes homines naturam esse voluit.* ? Ita profectò, sed antequam judices, delibera, & concoque.

64 In *l.* 22, §. 5, *ff. mandat. vel contr.*

65 In *l.* 8, §. 1, *ff. qui testam. facer. poss.*

66 Etenim hæc pragmatica sanctio bannum est: *Si verò bannum*, inquit Nellus tr. de Bannitis 1 part. 2 tempor. q. 66. *banniret aliquem à civitate, & comitatu; crederem non intelligi nisi de comitatu, qui tunc erat.* Vide apud eum jura, & rationes.

67 *L.* 37, *ff. de L. L.* Vide quæ dicebamus *Cert.* 7, *n.* 119. & *Cert.* 8, *n.* 35.

tim Ognatto, Caſtrilióque? ſanè proſcriptus ut civis habitus reſtitutus cenſetur [68]. Quid quòd non modò habitus ut civis Neapoli, ſed Veſuntione quoque, ubi ſedes, & domicilium collocaverat, & civitate donatus eſt [69]? an ſit, ut utriuſque loci Rex ibi diligat, eodémque temporis puncto, hîc eum odio proſequatur [70]? ibi foveat, hîc verò puniat [71]? Quid quòd vertendo ſolum & civitatem Veſuntionem adipiſcendo, Mircuriam civitatem recuſavit, ejúſque deſiit eſſe civis [72]? Sed inſurgit in me adverſarius, &: *Origine propriâ*, inquit, *nemo poteſt voluntate ſuâ ſe ſe eximere* [73], *atque alii civitati dicare: cùm enim cives ſint in ære patriæ ante omnia debita, quæ quocunque modo contrahere poſſunt; nemini mortalium quicquam debent ante patriam, ſive de collocando beneficio, quod debitis ſemper poſtponendum, ſive de aliis aliunde contractis debitis agatur*. Civis-originarius, *inquit Baldus* [74], eſt

68 *Nell. tr. cit.* 3 *part.* 2 *temp. q.* 84. & apud eum jura & rationes. Adde, ſi videtur, quæ dicebamus *Cert.* 8. *n.* 86.

69 *Cives quidem origo, manumiſſio, allectio, vel adoptio: incolas verò (ſicut & Divus Hadrianus edicto ſuo manifeſtiſſimè declaravit) domicilium facit. Et in eodem loco ſingulos habere domiciliũ non ambigitur, ubi quis larem, rerũque ac fortunarum ſuarum ſummam conſtituit, unde rurſus non ſit diſceſſurus, ſi nihil avocet.* Verba *l.* 7, *C. de Incol. lib.* 10.

70 Odiſſe aliquem, & ſimul diligere fieri non poteſt. *Cicer.* 5 *de Finib.*

71 Odit, qui affligit, & punit: ut judex, licèt odio vacet, favere autem & odiſſe contraria. *Cicer. de clar. orat.*

72 Quanquam enim ex legibus quis ſibi patriã mutare non poteſt. *l.* 6, *ff. ad Munic. & de Incol. & l.* 7, *C. de adopt.* poteſt tamen ex moribus, ſi domicilium alibi conſtituat. *Afflict. deciſ.* 384. *Gaill.* 2, *obſer.* 36. *Zanger. de except. p.* 2, *c.* 1, *n.* 75. *& Amay. ad l.* 7, *C. de Incol. lib.* 10. maximè verò ſi hoc ſibi in ea civitate comparet, quæ diverſo principi ſubjecta ſit. *Amay. loc. cit.* etenim *impoſſibile eſt, aliquem duarum diſtinctarum civitatum communi capiti non ſubjectarum ſimul civem cenſeri.* Verba Arniſ. de Rep. c. 5, ſect. 7, n. 7. *Sunt cives membra reip. atqui duorum corporum ut idem membrum ſit per naturam fieri non poteſt: & in plurium officia diſtracti ſenſus, dum nullius imperium exaudiũt, nec in tot functionibus ſe ſe partiri, aut diſcerpere poſſunt; vel ſub ipſa operum multitudine ſuccumbunt, vel objectorum in contraria rapientium mutuis pugnis intermoriuntur.* Verba *Arniſ. Sect. cit. n.* 25.

73 *L.* 4, *C. de Municip. & originar. lib.* 10. Impium ſe demonſtrat, qui vitat patriam. l. un. C. ſi Cur. relict. civit. *Hi, qui impoſita munera civitatum fuga deſtituunt, vel ineundos furtim exiſtimant eſſe contractus, intelligant, ſibi nihil hac profutura eſſe commenta, & pretio emptorem fuga conſcium multandum eſſe, quod dederit.* Verba *l.* 17, *C. de reſc. vend.* ubi vide *Gothofr.* Vide quoque *Iacob. Gothofr. ad l.* 8, *C. Theod. de contrah. empt.*

74 *Bald. ad l.* 7, *C. de adopt.* quem ſequitur *Carleval. de Iudic. diſp.* 2, *q.* 2, *n.* 124.

eſt quodãmodò hypothecatus patriæ : *atqui* creditor,qui prior hypothecam accepit , ſive poſſideat, & alius vindicet hypothecariâ actione , exceptio priori utilis eſt, SI NON MIHI ANTE PIGNORI HYPOTECÆVE NOMINE SIT RES OBLIGATA , ſive, alio poſſidente, prior creditor vindicet hypothecariâ actione, & ille excipiat , SI NON CONVENIT, VT SIBI RES SIT OBLIGATA : hic in modum ſuprà relatum replicaVit [75]. *Non ſit patriæ ſuppoſitus hypothecæ,*

Tt

[75] Verba *l.* 12, *ff. qui potior. in pign. vel hypotheca habeantur.* ubi Gothofredus lit. Y, ſcribit : *Prior creditor vincit ſecundum, agẽdo, excipiendo, & replicando. Cùm de pignore utraq; pars cõtendit* , inquit Imp. Antoninus l. 2, C. qui pot. in pign. hab. *prævalet jure qui prævenit tempore.* Adde *l.* 11. *ff. eod. l.* 4, *&* 8, *C eod.* An id perpetuum? *Interdum poſterior potior eſt priori: utputà ſi in rem iſtam conſervandam impenſum eſt, quod ſequens credidit, veluti ſi navis fuit obligata, & ad armandam eam, vel reficiendam, ego credidero.* Verba l. 5, ff. eod. Adde l. 34, ff. de priv. cred. *Hujus enim pecunia ſalvam fecit totius pignoris cauſam: quod poterit quis admittere & ſi in ciVaria nautarum fuerit creditum, ſine quibus navis ſalva pervenire non poterat . Item ſi quis in merces ſibi obligatas crediderit, vel ut ſalvæ fiant, vel ut naulum exſolvatur, potentior erit, licèt poſterior ſit: nam & ipſum naulum potentius eſt . Tantundem dicetur, & ſi merces horreorum vel areæ vel vecturæ jumentorum debetur : nam & hic potentior erit.* Verba *l.* 6. & §. 1, & 2, *eod.* Cõplures alias exceptiones vide apud *Gallupp. in prax. p.* 4, *c.* 3. & *Merlin. de pignor. lib* 4 An temporis puncto prævenisse ſufficiat? *Simul dicitur fieri quod eodem die fit , licèt diverſis momentis.* Verba *Bart. in l* 16, §. 8, *ff. de pign. & hyp.* quod diſplicet *Bachov. de pign. lib.* 1, *c* 1, & *lib.* 3, *c.* 3: ubi : *Quod utique* , inquit , *in hac materia pignorum prorſus falſum eſt . Et tamen facilè ignoverit Bartolo , qui viderit, eundem errorem erraſſe doctiſſimos recentiorum* Hotomannum tract. de pign. c. 4. Cujac. ad lib. 29. Edict. Pauli, in l. aliena 20. de pign. act. *ubi* : Si mane , *inquit*, uni rem pignoravero, veſperi alteri, alter altero potior non eſt . *Nihil falſius & malè meriti ſunt de Cujacio, qui opera illa, contra quàm ipſe fieri vetuerat, poſt mortem ejus ediderunt.* Paullò poſt: *Et planè probo Accurſium, qui vidit veritatem, dum particulam* Si eodem (cit § 8) *interpretatus eſt per* quanvis (*& poſſit videri Græciſmus* εἰ καὶ, *vel* κἂν) *quoniam ratio decidendi cur iſti in ſolidum ſinguli agere poſſint, juxta hunc ipſum textum, eſt, quia* ſeparatim *pignus acceperunt: ut planè ſit contra mentem Triboniani, eos, qui eodem diverſo tempore pignus acceperunt : pro iis haberi, ac ſi ſimul pignus accepiſſent : Quæ rationes faciunt, ut ſive de jure prioritatis , ſive agendi in ſolidum quæras, ſententia illa & explicatio Bartoli, & cæterorum non poſſit defendi: & præſtet, emẽdato leviter textu, pro* Si eodem *ſubſtituere* Etſi eodem , *quàm tam abſurdam ſententiam tueri* . Imò, pace Bachovii, nec oportet textum emendare : ſæpe enim ſæpius particula *Si* ab ennen latiſſimi ſeculi Scriptoribus pro *Quanvis, Etſi, Etiamſi* uſurpatur. *Theſ. L. L.* in *Si.* Hæc verò cõtra Bartolum ſententia receptiſſima eſt. *D. D.* apud *Merlin. de pign. lib.* 4, *tit* 1. *q.* 4. adeò, ut dixerint quid im apud *Salgad. Labyrint. creditor. p.* 2, *c.* 4, eum vincere, qui horam probat certæ diei, contra eum, qui probat, ſe eadem die accepiſſe pignus, ſed horam probare neſcit. Quod etiam diſplicet Bachovio *cit. c.* 1 : nec mihi arridet, ni ille hora prima diei ſe pignus accepiſſe probaverit . quid enim ſi probaverit accepiſſe poſtrema? Vide *de Franch, deciſ.* 649.

pothecæ, sitque Ioanni addita patria; nonne in comparationem extranei, & ejus, qui creditor, cognatúsve sit, potior habetur creditor cognatúsve [76]? *potior utique cognatus, quid igitur patria nâturæ; hoc-est locus ille, ubi nos natura ipsa plantavit? certè* non potest cognatio ulla propior esse, quàm patriæ [77]. *patria nos primùm natura conciliat* [78]*: & si contentio quædam, & comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum sit officii; principes sunt patria & parentes, quorum beneficiis maximè obligati sumus* [79]. *imò est patria antiquior parens, quàm is, qui, ut ajunt, creaverit, & major ei profectò, quàm parenti, debetur gratia* [80]. Patriæ majestati, *inquit Valer. Max.* [81] etiam illa, quæ Deorum numinibus æquatur, auctoritas parentum, vires suas subjecit [82]: fraterna quoque caritas æquo animo ac libenti cedit, summâ quidem cum ratione: quia eversâ domo, intentatus Reip. status manere potest: urbis ruina, penates omnium trahat secum necesse est. *propterea* minimè

76 Verba *l. 1, ff. de privil. cred.*

77 Verba *Cicer.* 1 *de Orat.*

78 *Cicer. de Arusp. respons.*

79 *Cicer. offic. 1.*

80 *Cicer. de Repub.* Adde *Plat. in Criton.* & 5 de *L. L.* ubi sic loquitur: *Quum ea regio sit patria, majori studio, & diligentia colenda est, quàm mater à liberis. hæc enim quum sit dea, omniũ mortalium est regina.* eodemque loci: *Itáne fueris sapiẽs, ut ignores, patriã & matre, & patre, & majoribus omnibus pretiosiorẽ, augustiorem, sanctiorẽ, & majoris cujusdam sortis pretio, atque reverentia, & apud Deos, & apud prudentes homines esse colendam, atque venerandam?*

81 *Valer. Max. lib. 5, c. 6.*

82 Atque hanc ob rem pater resistere, quò minùs patriæ obsequatur filius, & ad munera evocetur, non potest. *l. 14, §. 4, ff. de Muner. & honor. l. 3, C. ne fil. pro patr.* & *l. 5, C. de Decur. lib.* 10. quippe major, & antiquior est patriæ potestas, quàm patris: *Arnis. de Rep. c. 4. Sect. 3.* imò, *quòd ad jus publicum attinet* (filius) *non sequitur jus potestatis.* Verba l. 14, ff. ad Trebell. *Filiusfamilias,* inquit Pomponius l. 9, ff. de his, qui sunt sui, vel alien. jur. *in publicis causis loco patrisfamilias habetur: veluti ut magistratum gerat, ut tutor detur.* ideoque de patris negotio cognoscit. *l. 77. ff. de judic.* & reluctantem cogit. *l. 13, §. 5, ff. ad Trebell. Divisa est potestas patria à publica,* infit Arnis. loc. cit. *nam qui in potestate patris est, idem est in potestate avi propter patrem: qui jàm est in potestate civis, eundem oportet esse in potestate civitatis, & quidem magis in hujus, quàm illius, quia priùs nascitur fœtus Reip. quàm familia.*

nimè majores lugendum [83] putaverunt eum, qui ad patriam delendam, & parentes, & liberos interficiendos venerit. quem si filius patrem, aut pater filiū occidisset, sine scelere, etiam præmio adficiendum omnes constituerunt [84]. Quid si tyrannidem occupare, si patriam prodere conabitur pater, *inquit Cicero* [85]; silebítne filius? imo-verò obsecrabit patrem, ne id faciat. si nihil proficiet, accusabit [86]: minabitur etiam. ad extremum, si ad perniciem patriæ spectabit; patriæ salutem anteponet saluti patris [87]. Hæc adversarius, sed ad

Tt 2 rem

83 Hoc ipsum docet Vlpianus *l.* 21, §. 3, *ff. de his, qui not. infam* dicens: *Nō solēt autem lugeri, ut Neratius ait, hostes, vel perduellionis dānati*. Obiter hic nota, inflectos quoque suspēdiosos, & qui manus sibi intulissent, non tædio vitæ, sed mala conscientia. *cit.* § 3. Infleti etiam septemnio minores, & quinquagesimo ætatis anno majores, quòd illi rapti immaturo funere, vix primū vitæ limen attigissēt, isti autem satis diu vixissent. *Alex ab Alex. Dier. genial. lib.* 3, *c* 7. Infleti & alii, de quibus *Alex. ibid.* Multa verò de necessario, deque voluntario luctu, & pleraque quòd hanc ad rem scitu dignissima, vide *in cc. pen. & ult. de secund. nupt. in l.* 1, 8, 9, 10, 11, 12, 13. 23, 24, & 25, ibique *Gothofr. ff. de his, qui not. infam.* Vide *l.* 15, ibique *Gothofr. C. ex quib. caus. infam. irrog.* Vide *titt ff. & C. de Relig. & Sumpt. funer.* & *Nov.* 115, *c.* 5. Vide *Fabr. ad citt. l. l. ff* & *Bachov. in Comment. ejusd. tit.* Nec pœnitenda tibi erit lectio *Alex. ab Alex. loc. cit* nec *Francisci de Petris Festivar lection. lib.* 1, *c.* 5. 84 Verba *Marcelli l.* 35, *ff. de Relig. & Sumpt. funer.* *Quippe de parentum salute frustra solicitus sit quispiam, qui non fuerit de patriæ incolumitate priùs. pat rem perdendo nequaquam peris, sed patria ruina in omnium penates uno procumbit impetu* Verba Arnis. tr. cit. c. 4, Sect. 3. *Nullus est casus*, inquit Cicero Philip. 13, *pro dignitate, & libertate patria non ferendus*. & offic. 1: *Chari sunt liberi, propinqui familiares, sed omnes omnium charitates patria una cōplexa est.* imo verò *nemo est tam ingratus tam impius, tamque nullius humanitatis, qui si patriæ merita resumere voluerit, non eam magis, quàm seipsum diligat.* Verba *Cicer. in Vatin.* 85 *Cicer. offic.* 3. 86 Inter causas, ex quibus patri licet exheredare filium, *Nov. const.* 115, §. 3. sic habet: *Si eos* (parētes) *in criminalibus causis accusaverit, quæ non sunt adversus principem, sive rempublicam.* 87 Roget aliquis: *An ulla-ne tanta injuria à parente inferri potest, ut sit parricidio vindicanda?* Patrem fateris occidisse te, *inquit Sophocl. in Elect.* quo quid potest sermone turpius exprimi, seu jure, sive injuria? & *Iustinus* lib. 16, *de Antipatro matricida scribens:* Id factum eò gravius visu n omnibus, quòd nullum maternæ fraudis vestigium fuit: quanquam in parricidio nulla satis justa causa ad sceleris patrocinium prætexi potest. *Aristoteles etiam* 3 *Nicomach* 1: Quædam autem fortasse sunt, ad quæ perpetranda nemo cogi, compelli-ve potest: sed potiùs extrema quæque pati, ac mori convenit. etenim ridicula ea sunt, quæ Alcmæonem ad matrem interficiendam compulerunt. *Scribitque Matth. de crimin. tit.* n. *c.* 7. Et sanè si Deorum simulachra parentes. Diis autem nemo nisi væcors & impius resistit; qui parentibus, salva pietate resistere poterimus? Hostes sunt? tamen parentes. vim faciunt? honestiùs vincemur, quàm vincemus. Nullo enim civitatis instituto reverentia parentibus jure naturæ debita deleri, atque extingui potest. Nec lex Divina, quæ parentes venerari jubet, exceptionem addit: *Extra quàm si hostes fiant.* Vindicandæ sunt injuriæ, *infit Orig. lib* 8. *contr. Cels* irascendum pro patria, sed quantum salva pietate licet. *Nibil enim honestum, nihil utile censeri potest, quod fundamentum Reip. scilicet pietatem ipsam convellit. Parricidium* scelestum, ac nefarium facinus, atque ejusmodi, quo uno maleficio scelera omnia complexa esse videantur. *Verba Cicer. pro Rosc. Amer.* atque omnia superet.

rem ſuam infirma, & minùs appoſita : quid enim ſi patria aut terræ-motu, aut chaſmate, aut incendio perierit? quid ſi fuerit ab hoſtibus deſtructa, vel

---

ret. *Verba Valer. Max. lib.9, c. 7.* Eſt majus aliud, *inquit Seneca in* Oedip. *Act.* 1. patre mactato nefas? Impuriſſimum *illud appellat Cicero de Haruſp. reſponſ.* fœdiſſimum *verò & tæterrimum offic.* 3. Aſperrimum *nuncupat Imperator § 6. de publ. judic.* Impium *Vlpian. l.1, §.2, de obſeq. liber.* Impiumque *Cicero Philip. 2, & Horat. Epod. od* 3. Facinus ignotum, efferum, inuſitatum, quod populi horreant, quod eſſe factum nulla non ætas neget *Verba* Senec. in Theb. Act. 1. *Vſqueadeò ſanè ignotum, ut Solon interrogatus, cur nullum ſupplicium conſtituiſſet in eum, qui parentem necaſſet, reſponderit, ſe id neminem facturum putaſſe.* Cicer. loc. cit. *& Romulus, eandem ob cauſſam, ut putat* Plutarch. in Romul. *nunquam ſcripſerit, quo parricida cruciatu periret. Perſæ nunquam in animum inducere potuerunt, non eſſe ſanguine adulterino natum, ſuppoſititiumque, qui ad hoc ſceleris fuiſſet progreſſus.* Herod. in Clio. *Alii fato, ac Deorum ira:* Senec. in Oed. Chor. Act. 3, *item* Act. 5. *&* Manil. lib. 4. *alii verò dementia tam atrox flagitium tribuerunt.* Horat. lib. 2, Satyr. 3. *Profectò* portẽtum, atque monſtrũ certiſſimum eſt, eſſe aliquem humana ſpecie, & figura, qui tantum immanitate beſtias vicerit, ut propter quos hanc ſuaviſſimam lucem adſpexerit, eos indigniſſimè luce privarit, cùm etiam feras inter ſe partus atque educatio, & natura ipſa cõciliet. *Verba* Cicer. ibid. *Tempore procedente*, pœna parricidii hæc inſtituta eſt, ut parricida virgis ſanguineis verberatus, deinde culleo inſuatur cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & ſimia, deinde in mare profundum culleus jactetur. hoc ita, ſi mare proximum ſit: alioquin beſtiis objiciatur. *Verba l.9, ff. ad L. Pomp. de parric.* ut *ſcilicet* omni elemẽtorum uſu vivus carere incipiat, & ei cœlum ſuperſtiti, terra mortuo auferatur. *Verba l.1, C. de his qui parent. occid.* (Vide Cicer. loc. cit. Arniſ. de Rep. c. 4, Sect. 6. Aerod. rer. judic. lib. 9. c. 8. & Harpprecht. cit. §. 6. *Cullei pœna tacitis moribus abrogata eſt; ſicut & paſſim in Belgio, Gallia, Germania, Italia: ac ſola ferè Hiſpania culleo utitur, in quem tamen, Gomeſio teſte, nonniſi necatus ante parricida inſuitur. Reliquis gentibus ultimum ſupplicium. ſed plerunque gravius, quàm ſicariis irrogatur: adeò ut nonnulla rota reorum membra comminuant, aut candente forcipe dilacerent.* Verba *Matth loc. cit.* Vide *Clar §. Parricidium, & Farin. q.* 120. Apud nos, pro perſonis, pœna laquei, aut ſecuris. *Muſcat. in pract. crim. de pœn. parric.* ubi ait, per Magnam Curiam aliquando conſtitutum, ut reus poſt mortem culleo inſueretur cũ gallo, &c. ſed proregem à parricidæ affinibus exoratum, ne fieret: Adde, Vaſallum parricidam feudo privari. qua de re vide *Rovit. ad pragm.* 1 *de bon. proditor.*) *Vt ab atrocitate quoque pœnarum intelligas, quàm atrox facinus parricidium ſit. Imò,* ſi (id quod præclarè à ſapientibus dicitur) vultu ſæpe læditur pietas, *inquit Cicero loc. cit.* quod ſupplicium ſatis acre reperietur in eum, qui mortem obtulerit parenti, pro quo mori ipſum, ſi res poſtularet, jura divina, atque humana cogebant? *utique* ſemper citerior eſt pœna quàm ſcelus, &, ſi fieri poſſet, mori eum ſæpius conveniret, quia & cædis & impietatis, & ſacrilegii reus eſt uno facto. *Verba* Aerod. loc. cit. *Adde* Plat. 9. de L. L. *Qua cum ita ſint; nonne* ita judicio contendere, quaſi in parentes aliquid nonnunquam liceat impunè, ſit Gigantum more iterum bellare cum Diis? quomodò id liceat unquam, quod ſemper, ac natura ſua contra naturam eſt? *Verba Aerod lib. cit. c.* 1. Hæc, inquam, roget aliquis: aliquis verò cum *Arniſ. cit. c. 4, 6 ſect.* dicet: *Ego ſic ſtatuo: Excepta cauſa perduellionis, contra patriam, & contra Deum.* Matth. 10 (contra Deum. Adde *Decian. tr. crim. lib. 9, c. 15*) *quibus tanquam primis, & communibus ipſorum parentum parentibus plus debemus, nec accuſari, nec caſtigari, nedum interfici parentes à liberis fas eſt : in defendenda autem patria ita verſandum eſt, ne pietas, divino, & humano jure munita, niſi propter extremam neceſſitatem, offendatur. Neceſſitas enim ſervandæ patriæ factum quidem per ſe impium quadantenus excuſat, & ut ait Seneca;* quicquid coëgit, defendit. contr. 27: *ſed in laude non ponit, nec præmio dignum facit. Alia tolerantur in Rep. ſed non probantur, ut cædes tyrannorum. Alia tolerantur non*

tan-

vel capta [88]? Nunquis eo in loco manere cogatur, ubi hostes obruunt, quatiunt, convellunt, disperdunt omnia? ubi modò quid sibi utile sit, à ratione alienum non est? ubi quicquid subditis fiat, súsque déque ferunt, dum cupiditati, voluptatíque inserviant suæ? ubi omnia sibi in omnes licere putant, locupletissimum quemque in prædam corripiunt, & quoniam conscientiâ sceleris tantum metuunt, quantum nocent, plena omnia suspicionum, & vix secreta domuum sine formidine? ubi adimunt, per inquisitionem, loquendi, au-

---

tantùm, sed & probantur, ut si jus suum cuiquam sine culpa abjudicet Majestas pro cõmodis Reip. Alia verò, quia honesta sunt, etiã præcipiũtur, & præmia sibi habent annexa. parricidia autem, extremo Reipub. periculo perpetrata, quia impietate nunquam vacant, ad primã classem pertinent, & ad ea præmiis invitari liberi non debent propter periculum, quod parentum cervicibus hinc attrahi videtur. Proscriptionibus Syllæ nihil tam odiosè exprobrat pater, quàm quòd parentes, & versa vice liberos in parentes armarit Plut. in Syll. *& Lucanus exaggerans injustitiam belli civilis* lib. 7, *hoc cum primis annumerat:* Vidisse parentes frontibus adversis, fraternaque cominus arma, cognatasque acies. Citabit etiam *Matth. cit. c. 7,* dicentem: *Mihi itaque pleniùs distinguendum videtur, inter eũ, qui verè hostis est, exitio patriæ vi armata imminens, & proscriptum, cui nullæ militum manus, nullæ vires, ac fortè ne animus quidem patriam delendi. Proscriptum si occiderit filius, probo quod interpretibus juris plerisque placuisse video, nempe non solùm non præmio honorandum, sed & capite plectendum esse. Sin eum occiderit, qui ad patriam opprimendam hostili animo veniebat, pœnæ quidem gratiam faciendam, non etiam præmio honorandum dixerim. Tametsi enim publicæ utilitati consuluit, qui hostem sustulit, tamen, cùm idem pater fuerit, qui hostis, non potuit id sine aliqua impiatione fieri. Itaque judici quidem causam non difficulter probabit, ut ne capitali feriatur sententia; morsum tamen conscientiæ non omnem effugiet.* Sic, inquam, roget aliquis, & aliquis dicet: alius verò quispiam hunc in modum ad illos responderet: *Nihil homini, aut virtuti, aut vitio verti potest, quod idem voluntarium non sit: filius autem præter intentionem, nostra in re, patrem occidit: etenim haud parentis internicionem, sed patriæ salutem intendit.* In justo bello, *inquit Caramuel Theolog. moral præter intent. ad 5 præcept. Decal. cas.* 13. justè occiduntur adversarii, sed præter intentionem. *Quod autem ad præmium attinet, nimis perperam dicitis, id esse invitare filios ad neces parentum: non enim ad parricidium, sed ad patriæ defensionem alliciuntur: & non tam illud proponitur, quàm non negatur. Vt ut se res habeat; num liceat privatis hominibus leges condemnare, aut in leges insurgere?* Plat. in Crit. 88 *Carleval. de Iudic. disput* 2, *q.* 2, *n.* 136. Civitas ab hostibus capta, propter amissam libertatem, capite minuta videtur, & quasi mortua. Hotman. 5 illustr. *Ratio autem hujus limitationis philosophica est, quoniam jus originis est relatio originarii ad patriam: omnis autem relatio duo extrema requirit: quolibet autem pereunte perit. atque ita, quemadmodum perit originis jus pereunte originario, ita amittitur pereunte patria.* Verba Carleval. ibid. *Regulare est in jure,* inquit ChoKier de jurisdict. p. 3, q. 19, *quòd perempta re, pereant quoque illius jura tam activa, quàm passiva.*

audiendíque commercium? ubi tandem arduus rerum omnium modus, libertas suspecta, silentium contumax? *planè cùm qui sibi, aut Titio dari stipulatus sit*, inquit Africanus [89], *magis est, ut ita demum rectè Titio solvi dicendum sit, si in eodem statu maneat, quo fuit cùm stipulatio interponeretur. cæterùm sive in adoptionem, sive in exilium ierit, vel aquâ & igni ei interdictum, vel servus factus sit, non rectè ei solvi dicendum. tacitè enim inesse hæc conventio stipulationi videtur:* SI IN EADEM CAVSA MANEAT. Eleganter Seneca [90]: *Sponsum descendam, quia promisi: sed non si spondere in incertum jubebis, si fisco obligabis. Subest, inquam, tacita exceptio:* SI POTERO, SI DEBEBO, SI HÆC ITA ERVNT. *Effice ut idem status sit cùm exigitur, qui fuit cùm promitterem. Destituere levitas non erit, si aliquid intervenit novi. Quîd miraris, cùm conditio promittentis mutata sit, mutatum esse consilium? eadem mihi omnia præsta, & idem sum.* Fuerit nefas Ioanni patriam destituere, atque ab Rege Galliæ fugere; nónne Caroli fide ad nos transfûgit? quid igitur? certè hostium numero Gallis est, & apud eos majestatis tenetur [91]: num autem hostis hostem malè habeamus, eúmque finibus exturbemus? utinam Lotharingi omnes regem illum desererent, ac populatim ad nos venirent! sanè, ut eum debili-

temus,

[89] *L. 38, ff de solut.* ubi Gothofredus sic habet: *De tacitis conditionibus*, Oldendorp *in Top. in loco ab authoritate. seu prajudiciis, n. 5, vel inter cæteras, sequẽtes recenset: Si Deus voluerit, Si vixero, Si potuero, Si tempus concedetur, Si æquũ fueris arbitratus, Si non fueris injuriosus, aut damnosus, Si rem licitam mãdaveris, aut pactus fueris, Si fidem servaveris, Si lex aut superior id probaverit, Si necessitas me in contrarium non coëgerit.*

[90] *Senec. 4 de Benef. 39.*

[91] *L. 19, §. 4, ff de capt. & postlim. reve. f. l. 2 ff. ad l. Iul. Majest.*

temus, ſunt ii nobis ad iſta invitandi, & beneficiis attrahendi. *Ad hoſtium vires paullatim infirmãdas*, inquit Thucydides [92], *maximè prodeſt ſocios ab iis abducere, vel eos cum ſociis ſuis cõmittere, vel alios aliis ſuſpectos reddere, vel denique meliorem eorum ſubditis, æquiorémque conditionem offerre.* Ejiciemúſne Lotharingos, ut redeant in patriam, illaturi Gallo tributa, quibus ille validior, & ſuperbior evadat? *Non ſolùm Barbaris*, inquiunt Impp. [93] *aurum minimè præbeatur, ſed etiam, ſi apud eos inventum fuerit, ſubtili auferatur ingenio.* Eſt-ne, P.C. éſtne ulla cauſſa, cur Lotharingi nobis ullum timorem incutiant, aut ſuſpicionem faciant? amant profectò nos, ad quos perfugiunt, quos verò fugiunt Gallos, oderunt. ii, non modò naturâ cum Gallis, ſed moribus etiam vehementiſſimè diſcrepant: occidionis eſt recens memoria, vivunt filiis orbi parentes, filii parentibus, vivunt maritis orbæ mulieres, vivit Carolus, Lotharingorum omnium deliciæ. ſolicitat Lotharingos præteritorum memoria, urgent mala præſentia, ſpes libertatis incendit. *Miles externus*, inquit ille [94], *cùm ſemper civitatibus eſſe gravis ſolet, tum recèns victis, tanquam fortunam ſuam è proximo reſpectantibus graviſsimus eſt.* Oſtendimus, P.C. à pragmaticâ ſanctione hinc Lotharingos non exturbari, pœnâ non affici: ſed quid quòd Ioannes, &, quod caput eſt, ante cœptum

[92] *Thucyd. Orat. Hermocrat. ad Camarin.* Princeps, aut dux hoſtium quiſpiam ad nos transfugiẽs, illis maximè nocet: nam morã paratis ab illis rebus affert, & eorum conatus interrumpit, & conſilia patefacit. itaque, ut tales in noſtras partes tranſeãt, nullis non conditionibus, & præmiis eſt nitendum. *Thucyd. de Alcib.* Summa prudẽtia eſt, ad vires hoſtium debilitandas, præcipuũ eorum ſocium, vel vi, vel beneficio, vel præmiis ab iis abducere. *Polyb. lib.* 4.

[93] *Gratian. Valentin & Theodoſ. in l.2, C. de cõmerc. & mercator.* Adde *l.2, quæ res exportar. non debeãt.*

[94] *Famian. Strad. de Bello Belgic. decad.2.*

ptum judicium [95] in fata concesserat? *si quis morte pœnas sceleris effugerit, expetantúrne pœnæ à liberis, à nepotibus, à posteris? ferrétne ulla civitas latorem istiusmodi legis, ut condemnaretur filius, aut nepos, si pater, aut avus deliquisset* [96] ? nulla quidem. *Si pœna alicui irrogatur, receptum est commenticio* [97] *jure, ne ad hæredes transeat: cujus rei illa ratio videtur, quòd pœna constituitur in emendationem hominum, quæ mortuo eo, in quem constitui videtur, desinit* [98]. *Sancimus*, inquiunt Imperatores [99], *ibi esse pœnam, ubi & noxia est. Propinquos, notos, familiares procul à calumnia submovebimus: quos reos sceleris societas non facit. Nec enim adfinitas vel amicitia nefarium crimen admittunt. Peccata igitur suos teneant auctores. nec ulteriùs progrediatur metus, quàm reperiatur delictum.* Præcla-

---

95 *Ex judiciorum publicorum admissis, non aliàs transeunt adversus hæredes pœna bonorum adeptionis quã si lis contestata, & condemnatio fuerit secuta, excepto repetũdarum, & majestatis judicio, quæ etiam mortuis reis, cum quibus nihil actum est, adhuc exerceri placuit, ut bona eorum fisco vindicentur adeò, ut Divus Severus, & Antoninus rescripserint, ex quo quis aliquod ex his causis crimen contraxit, nihil ex bonis suis alienare, aut manumittere eum posse. Ex cæteris verò delictis* (privatis & civilibus, ut Gothofredus exponit) *pœna incipere ab hærede ita demum potest, si vivo reo accusatio mota est. licèt non fuit condemnatio secuta.* Verba *l.10.ff.de Accus.* Vide *titt. C. si reus vel accusator.* & *Ex delict. defunct.* Actio pœnalis in heredem dari non solet *l.23, § 8, ff ad l Aquil. l 1.1, de reg. jur.* ni fuerit lis cum defuncto contestata. *cit. l.20, & l.164, de reg jur.* Vide *Peregr. de jur fisc. lib.4, tit 4.* & *Gothofr. ad cit. l.111.* aut pœna ipso jure imposita. *Peregr. tr. cit tit 5.* Intelligitur autem ipso jure imposita si lex utatur his verbis: *Mox, Incontinenti, Ilicò, Protinus, Ipso jure, Ipso facto*, aut similibus. item si utatur verbis indicantibus tempus præteritum. *Peregr. cit. tit.* . Quid si imposita sit ipso jure, sed sentẽtia declarãs desideretur? an hæc post delinquẽtis obitũ ferri possit? ajũt alii, alii negãt, quod minùs placet. Vide *Peregr. ibid.* De actionibus, quæ ad heredes & in heredes trãseũt, vide *Donell Cõment. jur. lib.15, c.51. Hartprecht.* & *Bachov. ad §.1, Inst de perp. et tẽp act.* 96 Verba *Cicer. 3, de Nat Deor.* 97 *Commentitium jus Paulus* in l.1i pœn., ff. de pœn. *vocat, quod figmento non re ipsa subsistit, idest novum & recèns excogitatum, hoc est non translatum, non aliunde sumptum, nulloque exemplo institutum sed veluti fictitium. Accursius à Commentariis Iurisprudentũ esse dixit, ignorans significationem ejus vocis, teste Bud. in poster Annot.* Verba *Lex. jur. v. Commentitium.* quod tamen Gothofredo *cit l. si pœna*, minimè probatur. *Commentitium*, inquit ille, *est, usitatum etiam apud exteros, antiquum.* affertque locum Suetonii *in Claud* dicentis: *Spectacula edidit non usitata, sed cõmenticia, et ex antiquitate repetita.* 98 *L.20, ff. de pœn.* 99 *Arcad. et Honor. in l.22, C. de pœn. Crimen, vel pœna paterna nullam maculam filio infligere potest, nãque unusquisque ex suo admisso sorti subjicitur, nec alieni criminis successor cõstituitur.* Verba *l 26, ff. de*

clarissimum sanè monitum illud: *Ne irascamur inimicorum & hostium liberis.inter Syllanæ crudelita-*
V u *tis*

ff.de pœn.excipe crimẽ majestatis.l.4,§ 1.C.ad l. Iul. Majest. quo loci eorũdem Imperatorum *Harcad.& Honor.* Verba

sunt hæc : *Filii verò ejus, quibus vitam imperatoria specialiter lenitate concedimus(paterno enim deberent perire supplicio, in quibus paterni, hoc est, hereditarii criminis exẽpla metuũtur) à materna, vel avita, omnium etiam proximorum hereditate, ac successione habeantur alieni, testamentis extraneorum nihil capiant, sint perpetuò egentes & pauperes, infamia eos paterna semper comitetur, ad nullos prorsus honores, ad nulla sacramenta perveniãt: sint postremò tales, ut his, perpetua egestate sordentibus, sit & mors solatium, & vita supplicium*. Sed abhorret usqueadeò à naturali ratione ibi esse pœnam, ubi nullum peccatum est, ut Antonius Matth. *tr. de crim. tit. de læsa Majest.* nimiæ duritiei hac in re Legislatores incuset. Budæus autem (nec caret sectatoribus) ne macula aliqua libros nostros deturpare videretur, scripserit, *in Annot. ad h. tit.* hanc constitutionis partem antiquati per aliam eorundem Imperatorum constitutionem, hoc est, per cit. l.22, biennio post promulgatam. quod tamen negat Duarenus *disput. anniverf. lib. 2, c. 24.* cui se subscribit Decianus *tr. crim. lib. 7, c. 41*. Vtcunque sit, laudandi mores hodierni, qui ab rigore isto recesserunt: ut ex nostratibus testantur *Angel. in l. fallaciter, C. de abolit. Alciat. conf. 467 Clar. §. Læs. Majest. Farin. q. 116 p. 3. Decian. loc. cit.* Ex Hispanis *Caval. pract. qq. c. 653*. Ex Gallis *Boër. tr. de Sedit. q. 6. Rebuff. in proëm. ad const. reg. gl. 5*. Ex Belgis *Gudel. de jur. noviss. lib. 5. c. 16*. Ex Germanis *Schneid. in §. publica, Inst. de public. judic.* An valeant statuta, quibus cavetur, ut pœnas quasdam pecuniarias (pœnis enim corporalibus alium pro alio subjici non posse omnes fatentur. *Farin. q. 24. n. 189*) Putant plerique omnes *apud Farin. q. cit.* & *Clar. § fin. q. 86*. Verùm non ita simpliciter sunt probanda, sed ita demum, si caussa aliqua justa sit, si culpæ pars penes eum inveniatur, qui pro altero multatur. Ita valent statuta, quibus cautum est, ut pater multam solvat, quam filius solvere nequit: seu quòd, cùm prohibere filium posset, ne delinqueret, nõ prohibuerit; seu quòd prava educatione, nimiaque indulgentia mores ejus corruperit, seu quòd filio quandoque judicio familiæ erciscundæ reputari possit ea summa, quam pater pro eo solvere coactus est. At contrà, ut liberi teneantur pro parentibus, durius esse videtur, nec ferendum: nam nec prohiberi parentes à liberis possunt; nec ut parentes liberorum, ita parentum mores liberi fingunt; nec eodem jure liberis parentes, quo parentibus liberi succedunt. Parentes liberis omnia ex voto parant. *l. 15. ff. de inoffic. test.* unde nec iniquum videri debet, ex eo, quod universum liberis destinatur, præcipere aliquid Remp. vindicãdi delicti caussa: at non contrà liberi omnia parant parentibus, sed, turbato mortalitatis ordine, ratio commiserationis parentes vocat ad bona liberorum. *cit. l. 15*. Eadem ferè ratione defenditur statutum, quo cautum est, ut dominus teneatur ex admisso famuli: nam & prohibere dominus famulum potest; & ad mores atque ferociam dominorum famuli plerumque se componunt: & si quid pro famulo solverit, id reputare, atque deducere de mercede poterit. ut autem famulus teneatur ex admisso domini, id nulla æquitate defendi potest: cùm in famulo, ea, quæ modò diximus, contrario modo se habeant. Quapropter nec illud statutum, quod Farinacius *cit. q.* probat, probare possum; quo videlicet cavetur ut, agnato delinquente, teneantur ii, qui sunt ejusdẽ agnationis & familiæ: qui enim ego id prohibere possim? qui fingere agnati mores? cur autem solvere pro agnato cogar, cùm non paraverim mea eo voto, ut agnatum habeam heredem? Sanè si tutelæ meæ curæve concreditus agnatus fuerit, arguaturque nimia mea negligentia; aut & exemplis à me corruptus; hoc solo casu statutum habere locum posset. Ita rem hanc exponit *Anton. Matth. de crimin. ad tit. de pœn. c. 4*. Illud etiam quæri solet: An valeat statutum, ut teneatur maritus ex delicto uxoris (conjux ex conjugis delicto regulariter non tenetur. *l. 2. C. ne ux. pro marit.* uno enim casu nominatim id cautum legimus, nempe, ut qui provincias regũt, si cum uxoribus profecti fuerint, ex eorum delictis teneantur. ut diximus *Certam. 7, à n. 55. ad 60 usque* Ad quod

tis exempla est, quòd à rep. liberos proscriptorum summovit. nihil est iniquius, quàm aliquem hæredem paterni odii fieri [100]. Iã partes meas peregi, credo, P.C. tantummodò superesse videtur, ut vobis ob oculos ponerem Ioannis infantem pupillum Georgium-Petrum, qui Vesuntione intrans in vitam, nostri Regis in potestatem, auctoritatem, tutelam intravit, nunquam illam egressus, egressurus nunquam. sed quorsum ista? misericordia vestra sponte se se offert supplicibus, nullis verborum lenociniis evocata, & apud bonos in bonâ causâ supervacua est commendatio, cùm ipsa res impetret, quod precibus exoratur.

quod cũ speciali Senatus-consulto opus fuerit, utiq; in contrarium regula fuerit, necesse est) ego quidẽ valere nõ dubito. habet enim maritus in uxorẽ imperiũ πολιτικὸν, idest civile, mitius quidem illud & minus, quàm patris in liberos, sed tamen imperium. Scio improbari hoc statutum ab Argentreo ad Cõsuetud. Brit. art. 612. *Nam quæ se*, inquit, *dominas vocari volunt à maritis, castigationem passuræ non sunt, aut domus, & familia tota, fulguribus, & tonitruis personabunt, indomita pervicacia. Itaque non est maritis imponendum, si non faciunt, quæ nec ferrum, nec ignes, nec tonans quidem faceret Iupiter*. Verùm *frustra nostram ignaviam ad alia vocabula transferri*, Messalinus in Senatu, apud Tacit. Annal. 3 respondit: addiditque: *Nam viri in eo culpam, si femina modum excedat*. & M. Porcius Cato *apud Liv. lib.* 34, pro lege Oppia queritur, *Virorum culpa victam ab impotente sexu domesticam libertatem, quòd in sua quisque matrefamilias jus & majestatem viri retinere non instituisset, cùm tamen majores licentiam mulierum multis juribus alligavissent, voluissentque in manu parẽtum, fratrum, virorum esse*. Est sanè difficile præstare alios, eosque qui circa nos sunt, similes nostri efficere; posse tamen plurimùm curam, Trajani exemplum docet, de cujus uxore Plinius *in paneg.* ita: *Eadem quàm modica cultu! quàm parca comitatu! quàm civilis incessu! Mariti hoc opus, qui ita imbuit, ita instituit*. Vide *Matth. tr. cit. in proleg. c.* 1. Vide quoque doctissimum, ornatissimumque Virum illum, de jurisprudentia, utilissimis voluminibus suis, optimè meritum, Advocatorum olim hic nemini secundum, deinde Iudicem Magnæ Curiæ, nunc Regium Consiliarium, D. Franciscum-Mariam Pratum, in libro, cujus epigraphe *Nicander, à n.* 611, *ad* 626.

100 Verba *Senec.* 2 *de Ira, c.* 34. *Est acerbũ, parentũ scelera filiorũ pœnis lui*. Verba *Cicer. Brut.*

PRO

PRO GEORGIO PETRO LEPRIO CERTAMEN XI.

ARGVMENTVM.

Ioannis Leprii bona non esse vacantia: eundem illicita cum Gallis commercia nunquam habuisse declarat.

ECquid est, P.C. quòd peragendis hodie judiciis litigantium ætas non sufficit? quid est, quòd lites hodie, non solùm vitæ hominum modum excedunt, sed fiunt etiam penè immortales? quid autem (malum!) est, P.C. quòd in immensum trahuntur finita quoque litigia? Ecquæ unquam dabitur discordantibus pax, si legitimis etiam inclament, reclaméntque sententiis? Quæ unquam, P.C. quæ unquam controversia, aut apertior, aut expeditior Georgii-Petri Leprii controversiâ? non hæc injusta, non obscura, non anceps, sed facilis, atque explicata; imo-verò æquissima, clarissimáque,

que, & tamen, longiùs per adverſarium repetitis ambagibus, ſinuoſa redditur, tricíſque involvitur. Multos annos eſt litigatum, tenuimus jamolim cauſam; ſed judicatum patrare adverſarius recuſat, renuit, reſpuítque. Exerçet nos ille, atque exagitat, ut metu debilitati, longo, aſſiduóque labore confecti, & gravi pugnâ defatigati, ſecum optimam atque certiſſimam litem tranſigamus; ſed maximo quidem errore ducitur, & ſpe tenetur omnino vaniſſimâ: nos enim eo animo ſumus, ut totam litem, aut (id quod de veſtrâ æquitate confido) obtineamus, aut (id quod certè non metuo) amittamus. Nunquam enim-verò id faciam, & nunquam ſanè conquieſcam, neque defatigabor antequam illum diloricatum altiùs hoc etiã in repetito certamine ſauciavero, atque confodero. ſe ita res habet. Morte abſumpto Neapoli Ioanne Leprio, ejus nomen delatum eſt de ruptâ, violatáque lege illâ, quâ Gallis, Regi Galliæ ſubditis, regni finibus interdicitur. hâc de cauſsâ ejus res omnes apud officium depoſitæ ſunt: captáque rei cognitione, compertum eſt, eum fuiſſe non Gallum, ſed Lotharingũm, è civitate Mircuriâ, cujus civitatis Rege Galliæ vi potito, Ioannes cum totâ familiâ Veſuntionem aufugerat, ſéque in eam civitatem dicaverat. Vbi Lepriis nuntiata eſt ſequeſtratio, ſexcentis huc periculis è Burgundiâ venerũt. poſtulavere patris bona ſibi

restitui, & re per judices diligenter examinatâ, causa ipsis adjudicatur. Æquissimo hoc judicio tristis & conturbatus adversarius proregem adivit, ínque judices querimonias jaciens, quòd causam à fisco abjudicârant, ab eodem prorege rescriptum impetravit, quo judicium illud antiquabatur: eo enim rescripto imperatum judicibus, ut ne facerent ex decreto, sed implendæ delationi procuratori fiscali spatium indulgerent. deinde cùm judices illi magistratu abiissent; vobis (quod mihi, Lepriísque jucundissimum accidit) judicandi munus demandatum est. Iverunt Leprii quoque ad eundem proregem, eíque rem totam, implorantes auxilium, exposuere. Ille (quâ est æquitate, atque clementiâ) vobis imperavit, ut hac de re vestram ad ipsum sententiam diceretis. Retulistis esse judicium merè civile, ac provocationi obnoxium: illéque vobis rescripsit, ut æquâ lance jus partibus redderetis. Mihi, P.C. primâ facie videbar, iterum cõgressurus cum adversario, iterúmque disputaturus, an Ioannes in legem commiserit: & quanquam neque causæ, neque vestræ æquitati diffidebam, tamen, quòd mihi nec par est ingenium, nec par eloquentia atque in illo est; animum penè desponderam, atque hastam abjeceram. ut autem vestram relationem penitiùs, ac diligentiùs consideravi, mihi visus sum ociùs de adversario triumphâsse: victo-

riæ

riæ meæ confeſſionem ipſius ſilentio exprimente. Retuliſtis vos, P.C. hoc judicium eſſe merè civile; non eſtis itaque locuti de primâ illâ actione, quam de violatâ lege adverſarius intenderat: *communiter* enim *eò itum eſt, ut judicium civile ſit, in quo ad privatũ cõmodũ agitur, ſive propter crimẽ admiſſũ, ſive propter aliã causã: criminale verò, quod ad pœnã corporis, vel pecuniariã fiſco applicandã intenditur* [1]. Enim-verò locuti eſtis de novâ quâdam actione nuper è tenebris ab adverſario in lucem erutâ; hoc-eſt bona Ioannis eſſe vacantia. ſumus igitur extra primum illud negotium; in quo nec fiſco provocandi jus eſt: in actionibus enim pœnariis ille nunquam appellat [2]. Sed reddatur iterum fiſco judicium; quid tum? éſtne quamobrem judicatum non ſit? judicatum fieri non debeat? ego ne dubitare quidem fas puto de quo pronuntiatum eſt: ut enim ſcripto vos docui, ex lege, ex æquo, & bono ſententia dicta eſt. an verò eſt, ut fiſco petita temporis dilatio concedatur? novum profectò inſolénſque apud nos, temporis interjectum, per decreta, fiſco impertiri ad confirmandã nominis delationem [3], tametſi ad pleniùs probandũ fiſcus illum expoſceret [4]. Quòd ſi ad novam actionem implendam tempus efflagitat; rẽ haud dubiè iniquã expoſtulat. nónne per ejus

1 Verba *Ilicon. Umm. disput.* 1, *theſ.* 2, *n.* 8. Adde *Clar.* §. *fin. q.* 1.

2 *Rit. Magnæ Curiæ* 258, & 261, vbi *Carav. Foller. in pract. crimin. v. Panis debitis feriantur, n.* 82. Adde *D. Carol. Petr. in* doctiſſimis *Cõmẽt ad Ritt. citt.* Non, inquam, appellat; licèt habeat (ut loquuntur noſtrates) recursũ ad ſuperiores judices: intra tamen dies ad appellandum conſtitutos, & dũ nodò injuſtitia ſit notoria: alioquin ei recarſus etiam denegatur. *de Frãch. dec.* 148. & *Petr. locc. citatis*, An reſtituatur in integrum? nequaquam. *Odd. de reſtit. in integr. p.* 1, *q.* 3, *art.* 13. *Petr. ad Ritum* 249, *n.* 21. An de nullitate dicat? etiam. *Petr. cit. rit.* 258. ſi ſit manifeſta, & ex iiſdẽ actis, ac ſentẽtiæ inſpectione appareat. *Foller. v. cit. n.* 83.

3 *Foller. in pract. crim. v. Detur terminus, n.* 11. *Caravit. Rit.* 90. *Petr. cit. rit.* 258.

4 *Caravit. & Petr. cit. Rit.* 258.

ejus testes est affatim patefactum, Ioannis bona non esse fisco quæsita? nónne per illos certo certius est, Ioanni superstites liberos, cõsanguineos, uxorem? nónne publica id monumenta testantur? nónne verum, compertúmque id faciũt Dux Lotharingiæ Carolus, universa Mircuria, universa Vesontio? est quidem profectò, P.C. est id perspicuũ usque-adeò, usque-adeò manifestum, ut nihil suprà. non ita sit; númne inter privilegia fisci censeatur, ut defunctorum bona in ærarium referantur, nî heres, cõfestim vocato in judicium ejus procuratore, se heredẽ ostenderit? éstne lex ulla usque-adeò iniqua, perniciosa usque-adeò, ut subditorum salute posthabitâ, gravissimum iis, maximúmque, præ fisci commodis, hoc onus imponat? fisci utique procurator, nî ante constiterit, locum fisco esse factum, neminem potest inquietare. si aliter fiat; ô quæ solicitudines, ô quæ perturbationes populo inferuntur! nemini sanè oportet eũ esse molestum: nemo enim adeò propinquorum inops existimatur, ut possit ejus hereditas, aut ærarii nomine occupari, aut sequestrò deponi. Vellẽ mihi adversarius fateretur ingenuè, quot res delatæ sint ad ærariũ ex familiis, nuper insigni, tæterrimáque contagione, ad unũ usque Neapoli, totóque regno deletis. nullæ quidem, aut paucissimæ. quîd ita? quia plerunque supersunt, ad quos defunctorum bona pertineant.

neant. nimirum *potest excludi fiscus, non solùm à conjunctis, sed etiam ab infinitis aliis* [5]. *Vacantia mortuorum bona*, inquiunt Imperatores [6], *tunc ad fiscum jubemus transferri, si nullum ex quâlibet sanguinis lineâ* [7], *vel juris titulo* [8] *legitimum reliquerit intestatus*

[5] Verba *Bossii de bon. vacantib. n.12.*

[6] *Honor. & Theodos. & Constât. in l.4, C. de bon. vac.*

[7] *Sanguinis linea nihil aliud est, quàm cognationis jus.* Verba *Gothofr. cit. l.* 4.

[8] Iuris titulo legitimi sunt heredes, conjux *l. unic ff. unde vir & uxor. l. unic. C. eod.* consors: puta, Decuriones, navicularii, cohortales, milites, fabricenses, liberalitatis imperialis socii, clerici, monachi, moniales: quorum omnium bona si sine legitimo herede moriantur; non ad fiscum, sed Curialis ad ordinem patriæ, *l.4, C. de heredit. Decur.* navicularii ad corpus naviculariorum, *l. 1, eod.* cohortalis ad ceteros cohortales ejusdem provinciæ, *l. 3, eod.* militis ad vexillationem, in qua militaverit, *l. 2, eod.* fabricensis ad ceteros fabricenses, *l. 5, eod.* liberalitatis imperialis socii ad socios, *l. unic. C. si liberal. imper. soc. sin hered. decesserint* clerici ad ecclesiam, *l. 20, C. de sacros. Eccles.* si illam habeat; aliàs ad Episcopum. *Abb. in c. in præsentia de prob. & in c. excommunicamus, 2. de hæret. Addition. in Const. Dohana de offic. Secret.* Monachi, & monialis ad monasterium, cui fuerint destinati, *l. 20, C. de Episc. & cleric.* deferuntur. Adde *c. 1, & 2, de success. ab intest.* quibus cc. correctæ sunt principum constitutiones, quæ aliter disponebãt. *Isern. & Affl. ad Cõst. cit.* Iuris titulo legitimus etiã heres patronus. §. 3, *I. de success. libert.* An tutor? ajũt alii, alii negant, quod verius videtur *Harpprechto ad princ. tit. I. de hered. quæ ab intest. defer. n. 504. ad 510.* An spõsa, quam vocant *de præsenti*? quid ni? profectò *nuptias non concubitus, sed consensus facit.* Verba *l. 30, de reg. jur.* Vide *Harpprecht. ibid. n. 492, ad 496.* An socer? an nurus, ceteriq; affines? putant quidã apud Harpprecht. sed dissentientẽ ibid. n. 488. & reverà *adfinitatis jure nulla successio permittitur.* Verba *l. 7, C. cõmun. de success.* An qui juris titulo sunt heredes, apud nos fiscũ excludant? Dubitat *Gloss. in cit. constit.* his verbis: *Constitutio ista nihil dicit de hoc: sed cùm hìc enumeret certas personas, fortè uxorem omittendo, prohibuisse videtur.* Verùm hoc displicet Isern. *ibid.* & *in c. 1, quæ sint regal.* displicetque *Afflicto const. cit.* quòd mutatio, & correctio legum non præsumitur. *l. 32, §. 6. C. de appell. Menoch. 6, præs. 38.* Teneturne fiscus, cùm bona vacantia sunt, æs alienum dissolvere? *Non possunt ulla bona ad fiscum pertinere, nisi quæ creditoribus superfutura sunt. id enim bonorum cujusque esse intelligitur, quod æri alieno superest.* Verba *l. 11, ff. de jur. fisc.* Quid si solvendo non sint? *Labeo scribit, etiam ea, quæ solvendo non sint, ipso jure ad fiscum pertinere. Sed contra sententiam ejus edictum perpetuum scriptum est, quòd ita bona veneunt, si ex his fisco adquiri nihil potest.* Verba *l. 1, ff. de jur. fisc.* An aliquid præbeat in eleemosinam pro anima defuncti? ita apud nos: tertiam enim bonorum partem hoc nomine pauperibus erogabit. *Const. cit.* Quanto tempore bonorum vacantium nuntiatio finitur? quadriennio. *l. 1, §. 2. ff. de jur. fisc. l. 1, C. de quadr. præscr. l. 6. §. 7, ff. si quis omiss. caus.* idq; tempus ex die, quo certũ esse cœpit, neque heredem, neque bonorum possessorem extare, imputari oportet. *cit. §. 2.* Non erit fortasse ab re quærere: utrũ fiscus, cui, ob vasalli mortem, apertum est feudum, teneatur vasalli creditoribus satisfacere. Moriente vasallo, actiones omnes, ex legibus, moriuntur: sed ex moribus, & regum nostrorum benignitate, superstites vasallo vivunt hypothecariæ cunctæ, assensu Domini confirmatæ. Docet id in cedro digna oratione Vir ille cœlestis, Diani Dux, D. Carolus Calà, olim fisci patronus, nunc regiæ Cameræ Præsidens. docet, inquam, in oratione pro fisco adversus D. Emmanuelẽ Carafam. Si ad te non pervenit (majorem quippe nobis rerum suarum, quàm vellemus, expectationem facit) vide quos ipse citat: nempe *Rovit. cons. 53. Cyriac. 3 contr. 446. Çarleval. de judic. disput. 23. Koppen decis. 39. Mastr. decis. 154. Fontanell. decis. 474. Sess decis. Arag. p. 2, decis. 149. Cancer. var. 1, c. 11. Cacher. decis. 156. Barbat. in pragm. de assistent. gl. 5. & R. Const. in l. 1, C pœn. fiscal. cred. præfer. lib. 10.*

tus heredem. Vlpianus [9] autem: *Si nemo sit, ad quem bonorum possessio pertinere possit, aut sit quidem, sed jus suum omiserit.* Quæ cùm ita sint, P.C. quibus, quæso vos, testibus confirmatum est, neminem esse, qui Ioannis in hereditatem vocetur? Númne aliquis dixerit, jus suum Leprios omisisse? Ego quidem, P.C. nihil omnino dicam: vos enim ipsi, biennio diutiùs, Ioannis filiolos, queribundos, lacrimísque confectos, assiduè vidistis. è Burgundiâ, miseri, in vestrâ æquitate sibi præsidium statuentes, huc advolârunt, innumeris objecti periculis, ad bona repetenda, quæ pater, terrâ maríque, incredibili labore comparaverat. non sunt, P.C. non sunt Ioannis bona fisci rationibus vindicanda. Ecquid verò fuit, nullâ captâ cognitione, Ioannis bona sequestrò dare? an-non est formula de incorporandis bonis vacantibus constituta? *Si vacantia*, inquiunt AA. [10] *vel alio modo bona delata legibus ad ærarium perhibeantur; certi palatini electi, & jurejurando obstricti mittantur, ut eorum instantiâ, præses provinciæ, præsente fisci patrono, diligenter inquirat, cujus vacans, cadénsque fuerit patrimonium, quantúmque vel quale videatur: ut cùm data reclamandi copia, NVLLVM ID VEL IVRE POSSIDERE, VEL VINDICARE CONSTITERIT, LOCVMQVE ÆRARIO FACTVM ESSE, tam ipsius relatione, quàm publicorum monumentorum fide constiterit, rerum nobis no-*

[9] Vlpian. fragm. tit. 28.

[10] Theod. & Valent. in l. ult. C. de bon. vac. lib. 10.

titia intimetur, ut, jussu nostro, vacantia, vel aliæ res nomine occupentur ærarii. Enim-verò *vim facit, qui non sinit, possidentem, eo, quod possidebat, uti arbitrio suo, sive in serendo, sive fodiendo, sive arando, sive quid ædificando, sive quid omnino faciendo, per quod liberam possessionem adversarii non reliquerit* [11]. Imò *nec imperiale rescriptum, quod supplicatio litigatoris obtinuit, nec interlocutio cognitoris ex quacunque parte innovare possessionis statum, eo, qui rem tenet, absente, permittit* [12]. neque enim debet inde injuriarum nasci occasio, unde jura nascuntur [13]. Quid igitur? *Iudices, absentium, qui cujuslibet rei possessione privati sunt, suscipiant in jure personas, & auctoritatis suæ formidabile ministerium objiciant: atque ita tueantur absentes, ut id solùm diligenter inquirant, an ejus, qui quolibet modo peregrinatur, possessio ablata sit, quam propinquus vel parens vel proximus vel amicus vel colonus vel libertus seu servus quolibet titulo retinebat* [14]. Vestrum est sanè quidem, P.C. vestrum est, Lepriorum personas suscipere, auctoritate vestrâ tueri, tanta incommoda, tantas ærumnas ab iis avertere, propulsare. Iacent Leprii squalore obsiti, sordidíque: inopes, faméque confecti ad pedes vestros, supplices, lacrimantésque procumbunt. satis supérque patens, evidénsque est, adversarium lege non agere; ut quîd ergo ferendũ, eos, & ultra quàm credibile sit, torqueri, vexari, in ærumnis marcescere, & vitã in luctu, lacrimís-

que

[11] Verba *l. 11, ff. de vi, & vi arm.* Si quis re mea uti me nõ permittat, injuriarum conveniri poteſt. *l. 13, §. 7. ff. de injur.*

[12] Verba *l. ult. C. si per vim, vel alio mod. absẽt. perturb. sit possess.*

[13] *L. 6. C. unde vi.*

[14] *L. 1, cit. tit. C. si per vim.*

que transigere? Sed videor videre adversarium nullis lacrimis emolliri, nullâ Lepriorum calamitate de susceptâ voluntate depelli: quod enim tenere constituit, tueri fortissimè perseverat. Ait publicanda bona Ioannis, quòd sint delata ex Galliâ, unde vetitum huc bona deferri. Addit verò, quòd tametsi incolis, atque habitatoribus regni commercio Gallorum interdicitur; in arcâ tamen Ioannis inventæ sint quædam ad eum epistulæ & Gallicâ linguâ conscriptæ, & subsignatæ Parisiis. Vnum atque alterum quàm brevissimè discutiamus. & ad primum quidem quod attinet, vellem, mihi adversarius conjecturæ suæ rationem exponeret. Ait vestiarias illas, non sine magno artificio, pinnas nonnisi in Galliâ laborari. sed videat, ne aliis aliquot non modò exteris nationibus, verùm-etiam Italis injurias imponat: commune enim judicium semper fuit, omnia nostros aut invenisse per se sapientiùs, quàm exteros, aut accepta ab illis fecisse meliora [15]. profectò hæ pinnatæ laciniæ plerísque aliis in locis æquali cum laude texuntur. sint sanè Gallæ; nónne Vesuntione ter quoque anno celeberrimæ nũdinæ instituuntur; quas in nundinas Helvetii, Belgæ, Gallíque ipsi hujuscemodi res distrahendas important? jam verò quis sanâ mente sibi suadeat, Ioannem, cui domi suæ commoditas, in Galliam usque illas emendi caussâ ivisse? Dicet

[15] Vide Cicer. Tusc. I.

fortaſſe adverſarius, nefas Ioanni fuiſſe eas ad nos apportare. quaſi verò Gallicâ lue pollutæ vim illam tabificam huc advectæ retinuiſſent. enim-verò probè decipitur, atq; à veritate quàm longiſſimè abducitur: neque enim nos in Gallicas merces, ſed tantùm in Gallos hoſtile odium habemus. nónne nobis quoque jus eſt, Gallicas merces Romæ (verbi cauſsâ) mercari, & in regnum advehere? ſcitis profectò, P.C. ſcitis, legem nefas habere, Gallicas merces à Gallis, non ab aliis ad nos deferri. ſi aliter ſe res habet; cùm lex vetet, Gallicas res emi, jubeat conſcium quemque rem ad magiſtratus deferre, capitíſque in peccantes animadvertat; quis, rogo, ſit innocens? quis pœnam illam effugiat? commiſerunt in legem publicani, & portitores omnes: etenim, nullâ datâ ad magiſtratus delatione, Gallicis de rebus nullo non die vectigal accipiunt. commiſit in legem univerſa civitas; quandò mercium Gallicarum refertæ ſunt pleræque tabernæ, ac ſibi plerique omnes comparaverunt. commiſit in legem ipſemet adverſarius, commiſi ego, nec diſſimulo, & vos etiam, P.C. & vos etiam commiſiſtis: noſtrûm enim cuique ſunt multa volumina, quæ nuper è Galliâ venerunt. non eſt, P. C. non eſt ad mentem adverſarii lex illa torquenda. Sed de his hactenus, & alteram actionem adoriamur. Nego Ioannem unquam literas accepiſſe: poteſt enim

eſſe,

esse, ut ad ejus invidiam, in arcam illam injectæ sint. hoc sanè, ut mihi videtur, atque adeò certa res est, non majus fuerit indicium, quàm si furtivæ res apud unum aliquem deprehendãtur: quo solo argumento non modò quem condemnare non licet, verùm-etiam ne tormentis quidem subjicere fas est [16]. Acceperit: abs quibusnam rescitum, eas fuisse datas Parisiis, & Gallicâ linguâ cõscriptas? an ab iis, qui nostram in linguam verterunt? erant ejus linguæ periti nécne? ego quidem adduci nõ possum, ut credam [17]: cur vocati non sunt quorum res agebatur [18]? sint datæ Lutetiæ, sint Gallicâ linguâ conscriptæ; quâ ratione doceat adversarius, ab homine Gallo missas? nónne Gallicè quoque loquuntur pleræque aliæ nationes? num credendum à Gallo missas, quòd sint missæ Parisiis? confluunt quot diebus in eam urbem Transalpini, tum mercaturæ, tum animi ergô, ibíque diutissimè commorantur. Verùm quîd negẽ quod nullâ criminis labe respergitur? certè nullum est crimen accipere hostium literas, quòd signatæ redduntur, & antequam resignentur, qui dederit ignoratur. Sint à Ioanne perlectæ; quid habent hæ literæ, quod culpâ non vacet? habéntne aliquid, quod privatum non sit? númne animadvertatur in aliquem, quòd rei privatæ

16 *Alciat. 3, præs. 29. Clar. §. fin. q. 21. Mascard. concl.* 833. Idẽque dicendum in eo, apud quẽ falsa moneta reperta fuerit. *de Mars. ad l. qui falsam, ff. de fals. Gothófr. ad l. 1, C. de furt.*

17 *In omni dubio, in pari virtute, in pari delicto*, inquit Caramuel Theolog. fundam. mor. fundamẽto 37, Clav. 2. *standũ est pro possessione; & qui prior est tempore, potior jure est dicendus. Hinc est quòd præsumatur ignorantia ubi scientia nõ probatur; quoniam ignorantia est magis antiqua possessio.*

18 *Exẽpla instrumentorum, non probant, nisi citata parte, & judicis commissione petita sint.* Verba *Gothofr. ad l. 3, C. de divers. rescript.* Adde *Mascard. conclus.* 711.

vatæ literas ab hostibus acceperit ? scio, nos non modò à crimine, sed etiam à suspicione criminis

19 Non modò accipere hostium literas, sed etiā ad eos dare fas est, si nihil in principem, aut remp. moliantur.

principem, aut re p. moliantur. *Foller pract. crim. in fragm. n. 62, & seqq. Farin. q. 113, n. 27, & 30.* Quid si tibi redditæ sint literæ ab hostibus, in Principem, aut remp. te provocantibus? putant quidā, te Majestatis teneri, ni continuò (temporis spatio ad judicis arbitrium: qua de re vide *Menoch. de arbitr. cas. 21. & Gothofr. ad l. 16, ff. ad S.C. Maced.*) patefacias. Vide *Farin. q. cit. n. 31.* sed quo jure, non video. nunquam enim lex de accipiente literas ab hostibus, sed solùm de mittente ad hostes locuta est. *l. 1, §. 1, ff. ad l. Iul. Majest.* ejus verba sunt hæc: *Quive hostibus populi Romani nuntium, literasve miserit, signumve dederit, feceritve dolo malo, quo hostes populi Romani consilio juventur.* enimverò rescribas ad hostes oportet, ut tenearis. *Afflict. in cap. 1, Quæ sint reg.* quicum sentiunt *Dec. tr. crim. lib. 7, c. 49, n. 37. & Bajard. ad Clar. §. Læsæ Majest. modo 9.* Majestatis profectò non teneris, licèt rem non aperias: verùm aperi, ut abs te suspicionem avertas. etenim suspicionem non minimam mihi facis, si te circunstantiæ non excusant. spectabo cum Modest. *in l. 7, §. 3, ff. ad l. Iul. Majest.* spectabo, inquam, an sis potens, & factiosus, an antè quid feceris, an cogitaveris, & pleraque omnia. Quid si quas accepisti literas, nec indicasti, hunc in modum loquantur? *Peto abs te, ut quod in principis perniciem negocium promisisti, quamprimùm conficias.* Dices, innocentiam quandoque non sufficere, teque veritum, ne in immeritam suspicionem venires. non videris aliena loqui, sed si conveniant, quæ antè spectabā; vix evades. Vide tamen *Cert. 9, n. 131* quamvis autem non conveniant, tormenta vix effugies. quanquam enim nulla lege probari existimo, solum silentium recipientis epistulam, ubi flagitium aliquod commisisse dicitur, parere indicium ad habendam quæstionem sufficiens: quod & placet *Menochio cit. cas. 21.* tamen vereor ne res aliter judicetur. Quid si literas ad hostes conscripseris, sed non dederis perferendas? *Afflict. & Bajard. locc. citt.* quibus subscribit *Farin. q. cit. n. 28,* te absolvunt. An jure? *eadem severitate voluntatem sceleris, qua effectum puniri, jura voluerunt.* Verba l. 5, C. ad l. Iul. Majest. *Ex quo sceleratissimum quis consilium cepit, exinde quodammodo sua mente punitus est.* Verba l. 8. eod. *Primum speciale criminis læsæ majestatis, nuda voluntas hic punitur.* Verba *Gothofr. cit. l. 5.* Adde *Clar. §. læs. Majest. n. 15.* Vide tamē *Anton. Matth. de crim. tit. de læs. Majest. c. 3.* Dices te literas dare noluisse, & pœna eripiendum, non secus ac ii, *qui falsam monetam percusserint, si id totum formare noluerūt, suffragio justæ pœnitentiæ absolvuntur.* Verba *l. 19, ff. ad l. Cornel. de fals.* Deprehensæ sunt literæ, an ipse te detulisti? si hoc; absolutione, ac venia dignus haberis. *cit. l. 5, §. 6.* Vide *Cert. 2, à n. 90 ad 101*: si verò illud, literæque nō multùm antiquæ sint, non-ne magis credendum, tabellarii te profectionem, aut opportunum aliquod tempus morari? Quid si doceas, te pœnitentia non dedisse? *Ego autem,* inquit Bajard. ad Clar. §. cit. post speciale 31. *addo aliud specialissimum, omnibus tamen notum, quod est sola Principis voluntas, qui facit quicquid vult, & sibi placet: & væ homini illi, qui de tali crimine nedum imputatus, sed adumbratus fuerit.* Quid si proditio tibi innotuerit, nec indicaveris? Legis verba §. 6, cit. l. 5. sunt hæc: *Id quod de prædictis eorumque filiis cavimus, etiam de satellitibus, consciis, ac ministris filiisque eorum simili severitate censemus.* Scio, hunc §. nobilitatum contentione duorum summæ auctoritatis interpretum, Bartoli, & Baldi, contendentium, utrùm per conscios eos dumtaxat intelligere debeamus, quorum conscientia sceleris quadam societate innexa, atque illigata est, an & illos, quibus factio innotuit, licèt ipsis nihil cum machinatoribus fuerit commune (etenim *Conscius* utrunque significare potest. *Thes. L.L. in conscius*) Bartolus enim *in l. utrum ff. ad l. Pomp. de parric.* scripsit, solam scientiam sufficere ad pœnam hujus criminis: Baldus verò *cons. 34, lib. 1,* ob hanc doctrinam, animam Bartoli apud inferos cruciari dixit. Utra verior sit opinio non disputo. stant à Bartolo *Clar. §. fin. q. 87. Decian. cit. lib. 7, c. 34. Bocer. de crim. læs majest. c. 2.* & alii apud eos. A Baldo autem, post alios, stant *Hunn. ad Treutl. disput. 32, thes. 1. Harpprecht. ad §. 2, Inst. de publ. judic. & Anton. Matth. cit. c. 3.* ubi tandem concludit, admittere

minis abesse oportere: ideóque à Xenophonte laudari Agesilaum, quòd literas à Rege Persarum allatas, quia privatim missæ erant, repudiârit; reprehendi verò ab Aeschine Demosthenem, quòd à Principibus Asiæ, & Europæ literas crebrò, legationésque privatim receperit [20]: sed certè impunis ista receptio, imo-verò & missio literarum, si per eas de fide, de rep. non deliberetur [21]. Vt hinc intelligatis, P. C. quàm vana, futilísque sit actio de ingressu in Lotharingiam ab adversario in Ioannem intẽta. præter enim quàm quòd nec id ullo testè probatur, nec fuimus unquam Lotharingiâ interdicti, nec unquam illa fecit

mittere quidem crimen eũ, qui indicium scelestæ factionis nõ defert, non tamen pœna perduellionis, sed mitiùs extra ordinẽ puniendum esse. Quid si probare crimen, & convincere factiosos non possis? Putant non teneri te neque ad accusãdum, neque ad indicãdum *Bald.* & *Harpprecht. locis citt.* ac plerique alii, quos videre est apud *Fachin. contr. jur. lib. 9, c. 86.* & *Campan. in q. vn. post tract. de forjudic.* verùm dissentiunt, & jure merito *Decian. Matth. Fachin.* & *Hunn. locc. citt.* quibus adde *Bachov. ad cit. Treutl. thes.* probantes, te ad indicandum teneri. Iure, inquam, merito: quid enim si dum expectas probationes, indicium possit esse serum? Videor videre te cupidũ sciendi, quod sit judicis munus in hoc majestatis judicio. Respondet Modestinus *cit.* §. 3, dicens: *Hoc tamen crimen non in occasionem, ob principalis majestatis venerationem habendum est.* quo in §. *Gothofr. lit. b* sic habet: *Non in occasione* Vulg. Haloand. *idest non obtentu adulationis alicujus.* v. Paul. 5. sentent. 29. §. 2. *Sic cuidam Falanium deferenti, quòd inter cultores Augusti quendam infamem adscivisset, Tiberius respondit, non ideò decretum patri suo cœlum, ut in perniciem civilis honor verteretur. Et proinde hujus loci sententia hæc fuerit: Iudices non quodcunque factum alicujus adversus principem ipsum, factum esse temerè interpretari debent, nec ea ex re occasionem captare debent diligentiæ, quasi in factis adversus principem vindicandis diligentes & curiosi fuerint. non enim in istiusmodi occasione, vel diligentia studere debent placere principi, vel reip.* facit l. 33. ff. de usur. *Non omne dictum, factumve adversus principis commodum, majestatis est crimen.* Verba verò *l. 33*, à Gothofredo citatæ, sunt hæc: *Si bene collocata sunt pecuniæ publicæ, in sorte inquietari debitores non debent, & maximè si parient usuras: si non parient, prospicere reip. securitati debet præses provinciæ, dummodò non acerbum se exactorem, nec contumeliosum præbeat, sed moderatum, & cum efficacia benignum, & cum instantia humanum. nam inter insolentiam incuriosam, & diligentiam non ambitiosam multùm interest.* 20 *Aerod. rer. judic. lib. 7. c. 20.* 21 Vt diximus *n* 19. imò *si vassallus*, inquit Isernia in c. si Capitanei, quib. mod. feud. amitt. *rem licitam facit, ut si copularet amicitiam cum inimico Domini: hoc de se non est malum, & tunc Dominus debet probare quòd in suum damnum.* Afflict. autem *decis.* 307. sic ait: *Duo requiruntur copulativè ad hoc ut ex amicitia cum inimicis Domini vasallus privetur; videlicet quòd copulaverit amicitiam, secundum, quòd in damnum Domini; aliàs primum solum non sufficeret.* Hoc idem docent *Clar.* ibique *Harppr* §. *feudum, Rosental de feud. c. 10, concl. 12.* & *Scrader. de feud p. 9, c. 5.* ubi etiã docet, fas esse sub hoste Domini militare, dummodò non contra Dominum: sed hoc apud nos capital. *prag.* 8 *de milit.*

fecit nobis hoſtilia, nec unquam injuriâ laceſſivit ullâ: quinimò ſanctiſſimam armorum ſocietatem nobiſcum inivit; ſi quis in eam provinciam, vel urbem ingrediatur, quam ingredi nefas habetur, eum perduellionis judicabimus, ſi hoſtili animo, & rerum novandarum gratiâ fecerit, non ſi cognoſcendi ſtudio, & famâ loci accenſus, aut alio quopiam negotio fuerit illectus [22]. hácve de cauſsâ, teſte Tacito [23], increpitus tantùm à Tiberio Germanicus, quòd contra inſtituta Auguſti, non ſponte principis Alexandriam introîſſet. ſed lubet humanè cum adverſario tranſigere. do illi, Ioannem & literas ab hoſtibus accepiſſe, & iviſſe ad hoſtes: do etiam, eum in pragmaticam ſanctionem peccâſſe; num eo, nondum intentâ lite, defuncto, peccatum ſuperſit? porrò *is, qui in reatu decedit, integri ſtatus decedit: extinguitur enim crimen mortalitate* [24]. Peccaverit non modò in regni legem, verùm etiam in legem Iuliam Majeſtatis, num eſt in Principem ipſum aliquid machinatus? *Planè non quiſquis legis Iuliæ majeſtatis* [25] *reus eſt, in eâdem conditione eſt, ſed qui perduellio-*

nis

[22] *Farin. q.* 113, *inſpect.* 1, *n.*17. *Matth. de crim. tit. de laeſ. Majeſt. c.*2, *n.*12.

[23] *Tacit. Annal.* 2.

[24] Verba *l. ult. ff. ad l. Iul. Majeſt.* Vide *Certam.* 10, *à n.*95.

[25] Majeſtas à magnitudine dicta, auctore Feſto, cui adſtipulatur *Voſſ. Etymolog. L.L.* in *magnus*: dicēs, eā eſſe ab antiquo *majus* pro *magnus*. eſt autem decus, amplitudo & dignitas, vel populi, vel ſenatus, vel magiſtratus, vel principis, aut imperatoris, aut privati cujuſpiam magni viri, aut alterius etiam inanimatæ rei: puta, loci, orationis. *Lex. jur.* & *Theſaur. L.L.* in *majeſtas*. (Non loquimur de divina, illa enim poſſit appellari *Majeſtas majeſtatum*. In eam delinquunt blaſphemi, hæretici, ſchiſmatici, apoſtatæ, ſortilegi, incantatores, malefici, &c. de quibus, eorumque pœna ſunt *titt. C. de heret. de apoſt. de Iudæis, de malef. & Mathemat.* & *Nov.*77. & de iiſdē agunt latiſsimè *Clar. Farin. Muſcat.* & alii. A qua Majeſtate, quicquid blaterent Hæretici, maxima omnium Pontificia: omneſque leges de majeſtatis crimine loquentes, ad hanc etiam jure optimo referuntur. *Farin. q.*112. *inſpect.* 1, *n.*18.) Hoc in loco eſt ſumma in Rep. poteſtas, quam qui minuunt, majeſtatis crimen admiſiſſe dicuntur. Hæc porrò majeſtas, non ſolùm principis, ſed & optimatium, & populi, ſi penes hunc, aut illos reipub. ſumma. nec eorum duntaxat, quibus ampla, ſed & quibus anguſta imperia ſunt. non enim terrarum ſpatiis, ſed imperii vi majeſtatem metimur. abſit hanc exinde æſtime-

mus,

nis [26] *reus est, hostili animo adversus Rempublicã vel Principem animatus. cæterùm si quis ex aliâ causâ* [27] *legis Iuliæ majestatis reus sit, morte crimine liberatur.* Quîd plura, P.C? éstne, ut de justissimâ, de certissimâ causâ vos pluribus faciam certiores? éstne, ut Lepriorum incommoda, calamitates, ærumnas iterum iterúmque vestros ante oculos ponam? absit verò, P.C. ut à vobis unquam aut timeamus, aut diffidamus. Satis supérque novimus, quantum

Y y æqui-

---

mus, quã multis quis imperet, sed quàm liberè. Licèt unius scopuli terminis regnũ finiatur, ut de illo Vlyssis dixit Horatius; modò superiorem Rex nõ agnoscat, æqualẽ potestatẽ habet (si scholasticè loqui fas est) *intensivè*, quanquam non *extensivè*, atq; olim magnus Rex Persarum Darius, qui ad Alex. scribens, se appellat Regem Regum, & consanguineum Deorum: cumque imitatus Sapor, qui ad Constantinum Imperatorem sic inchoat: *Rex Regum Sapor, frater Solis & Lunæ.* Idemque de Rebuspublicis judicium esto: neque enim Luca, neque Ragusia, neque illa S. Marini, de qua Boccalinus *ne' Ragguagli di Parnaso, ragguaglio 8, centur. 2,* minus libertatis & potestatis habent, quàm Venetiæ, aut Genua, licèt his potentia nullo pacto sint comparandæ: nec pauperes olim Græciæ civitates, Romanæ potentiæ, quòd ad libertatem, & potestatem, ullo modo cedebant. Cùm, secundum Politicos, tres familiæ ad Remp. constituendam sufficiant: hæc autem absque summo imperio consistere non possit; consequens est, & in parvam ejusmodi civitatem crimen majestatis admitti posse. Contrà, civitates, & provinciæ quantumcũque ampiæ, ceterique, licèt amplissimi principes, si superiorem habent, majestatem non habent. ideoque non majestatis imminutæ, sed tantùm violatæ dignitatis judicium exercere possunt. qui enim vindicent majestatẽ, quibus majestas, hoc-est summa illa potestas non est? Vide *Arnis. de jur. Majest. c.* 1, & 2. *Anton. Matth. de crimin. tit. de læs. Majest. c.* 1. & *Clar. in §. læs. majest.* qui tamen dicit, aliter (quod ad ipsum scilicet reum, secùs quod ad filios) in Italia servari. sed morem hunc reprehendit *Matth. ibid.* tanquam à jure, atque à ratione alienum. 26 A *duello* dicti *duelles* pro hostibus. ab eo *perduelles.* Voss. Etymolog. L.L. in bellum. *Quos nos* hostes *appellamus,* inquit Gajus in l. 234, ff. de verb. sign. *eos veteres* perduelles *appellabant.* hinc quoque ortum capit vox *perduellio.* Priscianus *lib.* 12: Duellum *dicebant antiqui pro* bellum, *ex quo* perduellio. *Per* hic notat *perquam,* seu *valde,* teste Charisio, cui *perduellis* significat *valde duellem,* sive *hostem.* Vide *Voss. ibid.* De hoc etymo vide quoque *Lex. jur. in perduellis. Thes. L.L. in perduellio,* & *Arnis. tr. cit. lib.* 3, *c.* 6. Hic perduellio, sub majestatis crimine, tanquam species sub genere ita comprehenditur, ut crimen sit imminutæ majestatis & gravissimum & atrocissimum, quippequod ad patriæ, vel principis statum labefactandum pertineat. *Arnis. tr. cit. c.* 6. *Matth. tit. cit. c.* 2. 27 Porrò sunt aliæ violatæ majestatis species, sed leviores, quæ ad dignitatẽ magis, quàm ad labefactationem reip. pertinent, ut *hoc ff. tit.* & *C. eod.* & apud *Bajard. ad Clar. §. cit.* ac levius puniuntur. *Matth. cit. c.* 2. & *Arnis. cit. c.* 6. nec post mortem rei bona fisco vindicantur: ut hac in lege, quæ tantùm de perduellione loquitur. & quanquam *l.* 5, *C. eod.* & *l.* 10, *C. de bon. proscript.* generaliter de crimine majestatis loquantur; tamen restringi eas ad perduellionem oportet: est enim pœna ab humanitate alienior, qua liberi ob admissum patris ad egestatem perducuntur, ut diximus *Cert.* 10, *n.* 99. ideoque quantum fieri potest restringendæ: & puto huc respexisse Iustinianum, quum *nov.* 134. *c. ult.* ait: *In majestatis verò crimine condemnatis, veteres leges servari sancimus.* Vide *Matth. tit. cit. c.* 3.

æquitati, quantum clementiæ, quantum miserorum calamitati, & controversiarum fini [28] studeatis. Vos ex iis profectò non estis, quibus vitium est, ambitione pravâ differendi promissa, ne minor sit rogantium turba: quos delectat superbiæ suæ longum spectaculum, minúsque se judicant posse, nisi diu, multúmque singulis, quid possint, ostentent [29]. Scitis, nihil æquè amarum, quàm diu pẽdêre, æquiore quosdam animo ferre præcidi spem suam, quàm trahi: quanquam neque præcidendam spem nostram, neque victoriam nobis eripiendam, aut differendam speramus.

28 *Rursus mortales Oraculorũ societatẽ dedere Chiloni Lacedæmonio, tria præcepta ejus Delphis consecrando aureis literis quæ sunt hæc: Nosse se quẽque: & Nihil nimium cupere: Comitemque æris alieni, atque litis, esse miseriam.* Verba *Plin lib. 7, c.* 32. Deliciũ malis vide *Tholos. Syntag. jur. lib. 47, cap. 1. Harpprecht. I. de pœn. temer. litig. Herman. de cens. lib. 2, c. 5.* & *Nath. Iust. vulner. p. 2, tit. 2, c. 1.* Porrò tam multæ sunt litigantium calamitates, ut satis lucrari dicatur, qui à lite discesserit. *Et quidem*, inquit Paull. l. 65, §. 1, ff. de cõdict. indeb. *quod transactionis nomine datur, licèt res* (idest lis. hinc apparet verbũ *transactionis* hìc impropriè sumi: est enim transactio rei litigiosæ, l. 1. supr. de transact. *Gothofr* hìc) *nulla media fuerit; non repetitur. nam si lis fuit, hoc ipsum, quòd à lite disceditur, causa videtur esse.* & adeò caussa, ut vi *l. 2. C. de resc. vend.* hoc-est ex caussa læsionis immodicæ, transactio minimè rescindatur. *Faber de Errorib pragm. decad. 8. er. 10. Hunn. de transact. c. 5, exercit. 8. Donell.* & *Gothofr. ad cit. l. 2.* His litium malis occurrere nullo non tempore Nomotheus cordi fuit. temerè litigantes, religione, multa, infamia cohibuerũt. *Inst. de pœn. tem. litig.* Criminales causas omnimodò intra duos annos, à contestatione litis connumerandos, finiri cẽsuetunt: nec ulla occasione ad ampliora produci tempora: sed post biennii excessum, minimè ulteriùs lite durante, accusatum absolvi: pœna judicibus, qui secùs fecerint, irrogata. *l. 3. C. ut intr. cert. temp. crim. quæst. termin.* pecuniarias autem (exceptis tantummodò causis, quæ ad jus fiscale pertinent, vel quæ ad publicas respiciunt functiones) non ultra triennii metas, post litem contestatam, esse protrahendas constituerunt. *l. 13, C de judic.* Verùm quo reip. bono? *Vbique gentium, inveterato ab omnibus seculis morbo, lites diutius vivunt.* Verba *Gothofr. ad cit. l. 13.* Cur ita? Causidicos quidã nescio quo cũ poëta insimulãt; quòd *ære patrocinium vendunt, producere causas, & lites pendere diu vindemia quædam est.* sed longè aliter Iustinianus: cujus verba, *cit. l. 13.* sunt hæc: *Nam si ipsi* (judices) *noluerint, nullus tam audax invenitur, qui possit invito judice litem protelare.* 29 Vide *Senec. 2 de Benef. 4, & 5.*

PRO

PRO BARONE POMPILIO GALLIANO CERTAMEN XII.

ARGVMENTVM.

Inauditi [1] *hominis torquendi arbitrium non habere locum in causâ Pompilii Galliani enudat.*

SI quæstionum [2] acerbitatem, atrocitatem; si fragilitatem earum atque pericula considerabitis, P. C. facilè intelligetis, cur ab antiquis, solùm in servos, non in homines liberos eæ fuerint constitutæ. *Ignotum fuit antiquitati,*

1 Inauditum hic accipe, cujus auditæ priùs defensiones nõ sint. Vtitur hoc vocabulo hanc in rem Suetonius *in Galb.* Tacitus *Ann.* 4. & Vlpianus *in l. 2, ff. ad l. Corn. de Sicar.* dicens: *Inauditum filium pater occidere non potest, sed accusare eũ apud præfectum, præsidemve provinciæ debet.* Vide *Cujac.* 6, *obser.* 17. & *Gothofr. ad cit. l.* 2.

2 *Quæstiones* hic *intelligere debemus tormenta, & corporis dolorem ad eruendam veritatem* Verba *Gaji in l.* 15, §. 41 *ff de injur.* Ad hunc significatum utitur non modò Gajus; sed etiam Vlpianus *tit. ff. de quæst. & l.* 1, §. 25, *ad S.C. Silan.* cujus est: *Quæstionem autem sic accipimus, non tormenta tantùm, sed omnem inquisitionem, & defensionem mortis.* Vtuntur & Plautus *Mostell sc.* 1, *act.* 5. Suetonius *in Calig.* Sallustius *Iugurt.* imò Cicero ipse *pro Cluent.* & *pro Rosc. Amer.* Dicuntur etiam *Quæstiones criminales, Tormenta, Strictior inquisitio, Severa indagatio, Cruciatus, Cruciatus & tormenta, Cruenta conditio, & Injuriæ corporales.* de quibus omnibus vide *Iacob. Gothofr. Paratit. C. Theodos. de quæst.*

tati, inquit Cruquius [3], *liberos homines ad tormenta postulare, præterquam apud eos, qui nihil ex lege, ſed ex arbitrio faciebant*. Quin Opt. Max. Legislator ille, idémque criminum acerrimus vindex, atque indagator, tametſi plurimas judiciales Iſraëlitæ gēti leges conſtituit; modum tamen hunc indagandi flagitia prætermiſit [4]. Ea ſiquidem eſt quæſtionum acerbitas, dolor, cruciatus, atrocitas, ut nihil homini poſſit unquam in vitâ calamitoſius accidere, horribilius nihil. Pallens, treménſque reus, ac mæſto, ſqualidóque carcere tabidus ad quæſtionis locum raptatur. Ibi miſero ſtatim oculos feriunt colaſtici funes, fidiculæ, flagella, equuleus, & cetera id genus. Vultus judicis acerbè ſeverus, regii patroni auſtera caperatáque frons, rancidus & ſcaber aſpectus carnificis, durus ingénſque timor impendentium dolorum, ante ipſa tormentorum initia, eum mirificè torquent, & penè interimunt [5]. Exuitur veſtibus reus, homo videlicet, qui ſolus natus eſt verecundiæ, & pudoris particeps [6]. Mox (mitto cetera) funi

[3] *Cruq. ad Cicer. pro Mil.*

[4] *Beſold. 2 Polit. 2. Grev. tribun. refor. lib. 2, c. 6. Matth. de crim. tit. de quæſt. c. 5.*

[5] *Plus ĩ metuẽdo eſt mali, quàm in eo ipſo, quod timetur.* Verba Cicer. A. Torq. fam. 6. *Non dubium; quin major adhibita vis ei ſit, cujus animus ſit perterritus, quàm illi, cujus corpus vulneratũ ſit.* Verba *ejuſdem pro Cæcin.*

[6] Id ſanè uſqueadeò, ut verecundiam ipſis hominum cadaveribus natura indiderit: etenim virorũ cadavera ſupina fluctuare ferunt, prona feminarũ. *Lanc. v. verecundia, & Nath. Inſt. vuln. p. 1, tit. 3, c. 6.* A Tyrãnis olim Chriſtianæ fidei cultrices nudari juſſæ, ut pudore victæ ab ea deſciſcerent. *Niceph. hiſt. trip. lib. 7.* Mileſiæ virgines, ferè quotquot in ea civitate erant, repentè, ſine ulla evidenti cauſa, voluntatem ceperant obeundæ mortis, ac deinde plurimæ vitam ſuſpendio amiſerant. id quum accideret in dies crebriùs, neque animis earum mori perſeverantium medicina adhiberi quiret, decrevere Mileſii, ut virgines, quæ corporibus ſuſpenſis demortuæ forent, eæ omnes nudæ, cum eodem laqueo, quo eſſent prævinctæ, efferrentur: poſt id decretum virgines voluntariam mortem non petierunt: pudore ſolo deterritæ, ut ſcribit Plutarchus, tam inhoneſti funeris. *Gell. 5 Noct. 10.* Quippe *ſæpe videmus fractos pudore, qui nulla ratione vincerentur.* Verba *Cicer. 2 Tuſc.*

ni [7] alligatur, atq; in altũ attollitur. Pendet infelix devinctis post terga manibus, suo se se põdere divellit, brachia loco movẽtur, eluxantur, distorquentúrque: *tum toto corpore sudor liquitur, & piceum (nec respirare potestas) flumen agit; fessos quatit æger anhelitus artus* [8]. Hæc est, P.C. hæc, inquam, est, non utique tormentorum acerbitas, sed acerbitatis particula: eorum autem futilitas, levitas, pericula sunt sanè longè longéque majora. *Quæstio*, inquit Vlpianus [9], *res est fragilis, & periculosa, & quæ veritatem fallat: nam plerique patientiâ, sive duritiâ tormentorum, ita tormenta contemnunt, ut exprimi eis veritas nullo modo possit; alii tantâ sunt impatientiâ, ut quævis mentiri, quàm pati tormenta velint. Mentitur*, inquit Fabius [10], *in tormentis, qui pati potest, & qui pati non potest; quia aliis patientia facile mẽdacium facit, aliis infirmitas necessarium. Dolorem fugientes*, infit Cicero [11], *multi in tormentis ementiti persæpe sunt, morique maluerunt falsum dicendo, quàm verè inficiando dolere*. Enim-verò *tormenta illa gubernat dolor, moderatur natura cujusque, tum animi, tum*

[7] Nudum funis tormentum apud nos frequentiùs: quãquam, teste Farinac. *q.* 38, solent judices, quum facinus atrocissimũ est, & reus in tormenta animũ, corpusque duraverit, solent, inquam, ejus humeris frigidam infundere, aut pedibus gravia suspendere, aut aliquid interponere, ut crura, levando dolori, decussare non valeat. solent & flagris tergus cædere. Coclearũ, quæ nostro idiomate vocãtur *flãghette*, & fidicularum, quæ eodem appellantur *funicellate*, perquam rara. illud equulei, nobis *Polledro*, nonnisi semel, q sciam, intra vicennium adhibitum. cetera omnia, ni fallor, exsoleverunt. [8] *Mar. Aeneid.* 9. [9] *L.* 1. § 23, *ff de quæst.*

[10] *Fab. Quint.* 5 *Inst. orat.* 4. *Gratius est spem cita mortis expetere, quàm tormentorum crudelia sustinere. inter supremas anhelantis angustias votum est potiùs perire, quàm vivere: quia detestabilis sensus pœnarum excludit dulcissima salutis affectum.* Verba *Cassiod.* 3 *var.* 46 [11] *Cicer. Part. Orator.* & *Arist. Rhetor. ad Alex. c.* 16, loquitur ita: *Quæstionibus cruciati, quærentibus plerunque non vera confitentur, quò maturiùs doloribus se se eximant. Erit etiam demonstrandum nonnullos liberos homines, quò celeriùs supplicium effugerent, adversum semetipsos tormentis affectos, ementitos. Ah quantus eorum numerus*, inquit Grevius tr. cit. lib. 2, c. 4. *quàm ingens eorum hominum turba, quorum innocentiam crudelissimè oppressit tortura!* Exempla hujus rei est videre apud Iust. Odelsop. *appendic. ad caut. criminal.* & Grevium *loc. cit.*

tum corporis, regit Quæsitor, flectit libido, corrumpit spes, infirmat metus, ut in tot rerum angustiis nihil veritati loci relinquatur [12], & reo deinde furcis affecto, tametsi crimen fuerit confessus, judex tamen ignoret, nocentíne, an autem innocenti vitam ademerit [13]. id quod sūmus ille vir Augustinus [14] queritur ita: *Quîd cùm quisque in suâ causâ torquetur, & cùm quæritur, utrùm sit nocens, cruciatur, & innocens luit pro incerto scelere certissimas pænas; non quia illud commisisse detegitur, sed quia commisisse nescitur, ac per hoc ignorantia judicis plerunque est calamitas innocentis? Et quid intolerabilius, magísque plangendum, rigandúmque, si fieri posset, fontibus lachrymarum; cùm propterea torqueat judex accusatum, ne occîdat, nesciens, innocentem, fit per ignorantiæ miseriam, ut & tortum, & innocentem occîdat, quem, ne innocentem occideret, torserat* [15]? Præclarus sanè mos veterum, qui fuerat, ut si causa non esset idonea ad damnationem, àbsolvi tamen reus non posset, *Amplius* pronuncia-

---

12 Verba *Cicer. pro Syll.*

13 *Philotas*, inquit Curtius in Alex. lib. 6. *verone, an mendacio liberare se à cruciatu voluerit, anceps conjectura est: quoniã & vera confessis, & falsa dicentibus, idem doloris finis ostenditur.* Auctor ad Heren. ita: *Qui in equuleo est positus, scire, aut suspicari facilè potest, quid audire quæsitor velit, quod cùm dixerit, intelligat, sibi doloris finẽ futurum.*

14 *B. August.* 19 *de Civit.* 6. quẽ in locum Ludovicus Vives dum commentatur, sic ait: *Ajunt, necessitate humanæ societatis tormenta adhiberi; sed quænam est ista necessitas, si nec utilia sunt, & sine damno Rerumpublicarum tolli possunt? Quomodò vivunt tam multæ gentes, & quidem barbaræ, quæ ferum, & immane arbitrantur, torqueri hominem, de cujus facinore adhuc dubitatur? Nos homines, omni videlicet humanitate præditi, sic torquemus homines, ne insontes moriantur, ut nos magis eorum misereat, quàm si morerentur (usqueadeò graviora sunt sæpe tormenta quàm mors) An non frequentes quotidie videmus, qui mortem perpeti malint quàm tormenta, & fateantur fictum crimen, ne torqueantur? Profectò carnifices animos habemus, qui sustinere possumus gemitus, & lachrymas, tanto cum dolore expressas homini, quem nescimus sitne nocens.*

15 Si pleraque multa contra tormenta scire cupis; adi *Grev.* & *Matth. locc. citt.* si pro, & contra; *vide Rhetores*, & præcipuè *Palat. Regin. Eloquent. exerc.* 3, *lect.* 7. Sed ea, quæ pro tormentis, nihili ducit Vives *loc. cit.* dicens: *Locus est apud Rhetores pro tormentis, & contra tormenta: fortissima sunt quæcunque contra tormenta dicunt, quæ verò pro tormentis futilia, & imbecilla.*

ciaretur [16]. *Homines sapientes*, inquit Cicero [17], *qui neque absolvere hominem nocentissimum possent, neque re incognitâ primo condemnare vellent, NON LIQVERE dixerunt*. & Asconius [18]: *Ante legem Glauciæ de comperendinatione* [19], *in repetundarum judicio, aut statim sententia dicebatur, aut AMPLIVS pronunciabatur, cùm dixissent judices: NON LIQVET; hoc est OBSCVRA CAVSA EST*. Mos, inquam, præclarus: æquè verò, aut magis præclara vox illa Constantii [20], qui, strepentibus multis, & intueri lucem ulteriùs Amphilochium non debere clamantibus, ut perduellem, & obstinatum: *Desinite*, ait, *urgere hominem, ut existimo, sontem, sed nondũ apertè convictum* [21]. Sed quîd angimur diu?

16 *Ampliatio verò in quibus causis adhibebatur erat quoties judices significabant, rem sibi non liquere, & secũdam actionem instituendã esse. & prætor ex consilii sententia pronũciabat*, Ampliùs cognoscendum esse. *Itaque, ut nota Absolutionis in tabula fuit* A, *Cõdemnationis* C, *sic Ampliationis* N.L. idest NON LIQVERE. Verba *Sigon.* 2 *de judic.* 22. Vide *Quintil. decl.* 365. & *Gell.* 14. *c.* 2. Formulæ hujus reliquiæ sunt apud Vlpianum, *l.* 13, §. 4. *ff de recept. arbitr.* dicentem: *Proinde si fortè urgeatur* (arbiter) *à prætore ad sententiam, æquissimum erit, si juret*, sibi de causa nondum liquere, *spacium ei ad pronunciandum dari.* 17 *Cicer. pro Cluent.* Vide eundem *pro Cæcin.* 18 *Ascon. Ver.* 3. Vide eundem *in Divin.* 19 Comperendinatio est mutata denunciatio in perendinum diem: videlicet, ne alter litigatorum, fugitator fortasse, caussari possit, quum in rem præsentem ventum est, se imparatum venisse. *Ascon. in Ver. cit.* In quibus differrent ampliatio, & comperendinatio, vide Hotmannum *in Ver. cit. Sigon. loc. cit.* & *Matth. tr. cit. tit. de accusat. cap.* 9. 20 *Constant. apud Marcell. lib.* 21. 21 Enimverò quæstio potiùs est experimentum patientiæ, quàm veritatis: etenim & ille, qui dolorem ferre poterit, & qui minùs, veritatem mendacio contaminabunt. Estne caussa, cur potiùs confessionem eorum, quæ sunt, quàm quæ non sunt, dolor extorqueat? Obtendunt, cruciatibus infirmari noxios, innoxios confirmari: sed hæc excusatio probari non potest; neque enim tormenta sapiunt, & sæpissime innocentes (quod & accidit nostra ætate apud nos) in seipsos mentiti sunt, immeritisque pœnis affecti. Ajunt, quæstionum pericula excusari cautione illa, quòd scilicet reus non condemnetur, ni extra locum tormentorum, denuo interrogatus, ratam habeat eam confessionem, quam tormenta expresserant. *Clar. q.* 64. *Farin. q.* 83, *c.* 3. Verùm, cùm ipsimet dicant, se revocantem, cruciatibus iterum subjici, & si iterum confiteatur, iterũque, remotis fidiculis, orationem retexat, tertiùm torqueri. *Boër. decis.* 163. *Farinac. q.* 38: dicantque, primam illam interrogationem adhiberi, aut perendino, aut crastino à quæstionibus die: imò & eodẽ, si judici videatur. *Far. & Clar. locc. citt.* quis credat, re ista satis innocentiæ cautũ? nonne tormentum est tormentorum metus? profectò usqueadeo, ut ipsimet asserant, confessionem eo extortam, ni rata fiat, futilem esse, vanamque. *Farin. & apud eum DD. cit. c.* 3. at nonne vehementiùs percellit animum dolorum denuo ferendorum formido? secundis quippe tormentis non mem-

diu? quîd diu torquemur? parendum, cedendum est tempori [22]: nam eò tandem pervenimus, ut non modò liberi homines subjiciantur quæstionibus, verùm-etiam, pro arbitrio Magnæ Curiæ, reo inaudito, ineditóque judicio, à tormentis incipiatur [23]. Id quod adversarius, ut vos faciatis in causâ Pompilii Galliani, cujus patrocinium, paucis ab hinc diebus, eâ scilicet vulneratâ, suscepi, omnibus nervis contendit, elaborátque. sed casso, ut spero, irritóque consilio: quanquam enim haud me præterit, vobis etiam hoc arbitrium esse permissum, tamen haud me fugit, viros bonos [24] decere æquitatem [25], summum jus dedecere,

---

mẽbra, sed vulnera cædũtur: & difficile omnino est, contra dolorem ægris durare corporib⁹. torquet tortum æquè recordatio præteritorũ, ac futurorũ expectatio: etenim recẽs passi tormenta, eorum metu assiduè conflictãtur. hæc itaque secũda confessio, eodem cum priore, quæ violenta dicitur, habenda est loco. id, quod ipsi tormentorum patroni vel inviti fatentur, quum ajunt, Notarium veritatem corrumpere, si scribat, reum sponte sua confessionem ratam fecisse, & sola consuetudinis excusatione à pœna defendi. *Clar. & Farin. locc. citt.* Roget hic me aliquis, funditusne repudiem quæstiones. Minime verò. quomodò improbem, quod tot prudentissimæ Respublicæ retinent, retinentque tot Principes cordatissimi? hæc ea mente dicebam, ut intelligant judices, hoc in negotio prudentissimè, cautissimeque agendum: habeantque ante oculos aureum illud Tullii: *Si in alterutro peccandum sit, malim videri nimis timidus, quàm parum prudens.* ceterùm subscribo Vlpiano, dicenti, *quæstioni fidem non semper, nec tamen nunquam habendam.* Verba *l. 1, §. 23, ff. de quæst.* 22 Tempori cedere, idest necessitati parere, semper sapiẽtis est habitum. *Cicer. Fam. 4.* Temporibus parere omnes politici præcipiunt. *Idem 12.* 23 Regula est, à tormentis incipi non posse. *l. 1, & 20, ff. de quæst.* Vide *Rovit. ad pragm. 1 de bon prodit.* & *Merlin. 2. contr. 33.* Sed à Rege Roberto permissum est Magnæ Curiæ arbitrium, quod *praeminentiam* vocant, utrùm velit, ex nuda inquisitione, hoc-est *ex processu*, ut appellant *informativo*, tormenta reo adhibere. *c. Si cum sceleratis de praem. Magnæ Curiæ Vicariæ.* Verùm quomodò id sit intelligendum, postea dicemus. An soli Magnæ Curiæ? soli. *cit. c.* ibi: *Tu solus.* Quòd si utuntur eo & alii, non hujus capituli vigore, sed alia ratione id faciunt. Vide *Ant. de Nigr. ad c. cit. Carav. ad rit. Magn. Cur. 259. Merlin. loc. cit.* & *Petr. rit. 54.* 24 Non modò cùm nudum, verùm etiam cùm liberum arbitrium conceditur, oportet id, præsertim in judiciis capitalibus, oportet, inquam, id æquo bono concinere: quoniam iis in rebus illud solùm permissum videtur, quod bono viro non sit indecorum. *Menoch. de arbitr q. 7, 8, & 9. Escob. de ratioc. c. 18. Nath. just. vulner. p. 1, tit. 5, cap. 8.*

25 *Aequitatem ante oculos habere debet judex, qui huic actioni* (arbitrariæ) *addictus est.* Verba *Vlp. in l. 4, ff de eo quod cert. loc.* & *Omnes viri boni,* inquit Cicero 1 de L.L. *æquitatem amant.* Porrò summa laus est æquitatis, eamque gloria necessariò tanquam umbra sequitur. est proprium æquitatis conciliare sibi animos hominum, & ejus pulcritudo, etiam in hoste posita delectat. *Vehementer amor multitudinis,* inquit Cicer. offic. 2, *commovetur ipsa fama, & opinione liberalitatis, beneficentiæ, justitiæ, fidei, omniumque earum virtutum, quæ pertinent ad mansuetudinem, ac*

faci-

re [26], & nunquam ea facere, quæ facienda non sint [27]. At númne committendum, ut quis inauditus, cruciatu, dolore, tormentis afficiatur? *Nec nos*, inquit Pontifex [28], *contra inauditam partem* ali-

Zz

facilitatē, eosque, in quibus eas virtutes inesse videmus, à natura ipsa diligere cogimur. Hæc omnia, & verbis, & re me docuit Vir æquè moribus ac genere nobilis, Antistes justitiæ fortis, incorruptus, inadulabilis, & ad miraculum usque doctus, regius à Latere Consiliarius, & Cancellariæ Regens, D. Franciscus Ortizius, Cortesius: etenim omnibus in muneribus (multa sanè obivit: fuit regius Cōsiliarius in Consilio S. Claræ, præfuit Magnæ Curiæ, Capuæ gubernacula tractavit, regitque nunc regiæ Cameræ tribunal) omnibus, inquam, in muneribus ita se gessit, geritque, ut jure optimo de illo prædicem, quæ de Seleuco Locrensi Valerius 6, c. 5: *Aequitatis admirabili temperamēto se inter misericordem patrem, & justum legislatorem partitus.* Quantum deceat judicem æquitas vide *in Damhouder. rer. crim. c. ult. & Nath. tit. cit. c. 9.* 26 *Omnino jam bene agis*, inquit Cicero pro Cæcin. *à verbis enim recedis, & æquitate uteris. Scriptum sequi calumniatoris est; boni verò judicis, voluntatem scriptoris, auctoritatemque defendere.* 27 *Homo frugi omnia rectè facit.* Verba Cicer. Tusc. 4. *Vir bonus non modò facere, sed ne cogitare quidem audebit quod non audeat prædicare.* Verba ejusd. offic. 3. *Fas nec est, nec unquam fuit quicquam, nisi pulcherrimum facere eum, qui esset optimus.* Verba ejusdem lib. cit. *Viro bono hoc convenit*, inquit Alex. ab Alex. 6 dier. genial. 1, *ut ubique sanctus, pius, & integer sit; cujus ne erratum quidem minimum fuerit, ne dicam vitium: qui nihil expetat, nihil dicat, nihil faciat in vita, nisi summa cum laude, & dignitate; in nulla re delinquat, nullus rei pœniteat.*

28 *c. 1, de caus. possess. & propriet.* Et *Clem. Pastoralis de sent. & re jud.* habet ita: *Nec prædicta suppletio* (solennitatis juris) *circa subditum etiam, ad ea potuisset de ratione referri, per quæ de crimine præsertim sic gravi delato defensionis* (*quæ à jure provenit naturali*) *facultas adimi valuisset, cùm illa imperatori tollere non licuerit, quæ juris naturalis existunt.* Ut mirer, gravissimo viro D. Francisco Merlino, *cit. c. 33*, excidisse, Pōtificem hic, & Paullum, *l. 18, §. 9. ff de quæst.* intelligendos de extrajudiciali tantùm defensione; ut scilicet hæc adimi nequeat, queat verò judicialis: adeò enim ii apertè loquuntur, ut nihil supra. Adhibet sibi testem D. Franciscum de Amaya *in l. 7, C. de jur. fisc. lib. 10, n. 2*; sed illius hæc sunt: *Hic tractatur de defensione judiciali, de qua est elegans locus Pauli* in l. 18, §. 19, ff. de quæst. Clem. Pastoralis de sent. & re jud. *Hæc semper est concedenda reis, etsi cōveniantur à persona privilegiata, qualis est fiscus.* Adhibet etiā Albericum *in l. 45, §. 4, ff. ad l. Aquil.* sed esto idē judiciū. Dixerit Alberic. cuinā, ipso Merlino teste, putat ille posse adimi defensionē? *Bannito.* Ecquid custodiis, & proscriptis? profectò defensionē reis adimere est ipsius naturæ leges convellere, abrogare, destruere. *Dd. apud Afflict. dec. 381. Anton. de Nigr. ad regn. c. Subditorū, de violent. Far. q. 39. Rovit. loc. cit.* & videsis *Cert. 8. n. 71.* Dicet idem Merlinus *c. cit.* non auferri defensionem, sed solùm proferri in tempus, post scilicet quæstiones. sed licèt verba inter se differant, res tamen eadem est. quid est hac in re defensionem proferre, nisi auferre? Abscinderetne ipse manū indefenso cuiquā? exsilio, flagris, verberibus mulctaret? ne pecunia quidem. atqui *membrorum dissolutio* (id quod in tormentis accidit) *gravior est utriusq; manus abscissione.* Verba *Nov. 134, c. ult.* & ipsa ferè morte durior. *Theodor. Colleg. crim. disp. 9. thes. 9. Carpz. q. 119.* Si reus igitur est innocens, quo pacto pensamus illi hæc tormenta, quæ injustè perpessus est? Vide Rovitū *loc. cit.* cui satisfacere conatur Merlinus: sed sua responsione adeò se se cogit, ut fateri necesse habeat, indefensum hominem torqueri non posse, nisi si calumniari velit, ut dicam n. 61.

aliquid possumus diffinire. idémque [29]: *Eorum, qui accusantur, causas discutere non licet priusquam canonicè vocati ad synodum veniant, & præsens per præsentem agnoscat veritatem, & intelligat, quæ ei objiciuntur.* Paulli autem hæc sunt [30]: *Cogniturum de criminibus præsidem oportet ante diem palàm facere, custodias se auditurum, ne hi, qui defendendi sunt, subitis accusatorum criminibus opprimantur.* Lex XII [31] erat: *Ante meridiem causam conjiciunto, cùm perorant ambo præsentes.* Et aureum profectò illud sapientissimi viri [32]: *Antequam scruteris, ne reprehendas: intellige priùs, & tunc increpa.* Enim-verò *si fieri posset, ut quod justum est, ex priori oratione cognosceretur, nihil opus esset, reos causam suam dicere, sed causâ indictâ mori: verùm quia fieri potest, ut accusatores, ut testes mendacia dicant, sanè convenit, ut auditâ utrâque parte, ita demum justitiæ feramus suffragium: nam id propriè decretum dicitur, quod, causâ utrinque cognitâ, pronuntiatur à judice* [33]. *Nec visum hominem, nec auditum damnare, nefas ultimum est* [34]: & *qui statuit aliquid, parte inauditâ alterâ, æquum licèt statuerit, haud æquus fuit* [35]. Hisce jactis fundamentis, disquiramus, juréne, an injuriâ Pompilius torqueretur: & nullo negotio, nullóque labore ostendemus, æquum bonum, legésque convelli, si tormẽtis admoveatur. Vt indefensus cruciari possit, P. C. tria minimùm [36] conveniant necesse est: summa criminis atrocitas: pondus indiciorum per

[29] *c. eorum, 11, q. 3.*

[30] *L. 18. §. 9. ff de quæst.* cõsonat *Clem. sæpe de verb. signif.* cujus verba sunt hæc: *Nõ sic tamen judex litẽ abbreviet, quin probationes necessariæ, & defensiones legitimæ admittantur.*

[31] *Gell. 17 Noct. 2.*

[32] *Eccles. 11.*

[33] Verba *Lysiæ.*

[34] Verba *Marcellin.*

[35] Verba *Menãdr.*

[36] Dico *minimũ:* etenim Anton. de Nigr. *loc. cit.* & Constantin. Pap. *in tract. de praemin. Magn. Cur.* nec sine ratione, multa desiderant: sed nescio, cur plerique Scribentium ea semper amplectantur, quæ deteriora sunt: & plus apud eos vulgi opinio valeat, quàm vera ratio.

permagnum: vita rei ſcelerata & reproba, flagitiíſque multis inſigniter infamata [37]: quæ omnia hoc in judicio deſiderantur, deficiúntque. Et ad primum quidem quod attinet, id uſqueadeò leve, ac ſine pondere ullo eſt, ut etiamſi Pompilius admiſiſſet ea, quorum inſimulatur; vix tamen pecuniâ multaretur [38]. Quid eſt, cujus rei apud vos accuſatus eſt? Dati conſilii ad occidendos Faracios. Quibuſnam? Marianellæ Baroni Scipioni Vitaliano, illius germano fratri Antonio, & Ioſepho Sodano. Erántne iſtis inimicitiæ cum Faraciis? Graves, apertæ, & capitales. Erant abſque iſto conſilio facturi, nécne? Facturi. Deliberaverant de nece iſtâ, præparaverant ſe antequam Pompilium alloquerētur? Deliberaverāt, præparaverant: etenim ipſemet accuſator ait, Scipionē multò antè Marianellâ digreſſum, ut à conſcientiæ ſuſpicione abeſſet. Si ita, P.C. extra ordinem mitiùs; quinetiam ſolâ multâ Pompilius multaretur [39]: *Non feciſſent*, adverſarius infit, *nî Pōpilius conſilio ſuo conſiliis eorū incremēta dediſſet.* At quî dedit? quibus verbis perſuaſit? quâ viâ ſolicitavit? quo pacto perpulit? monſtravítne quemadmodum

[37] Hæc tria requiri apparet ex *cit. c. ſi cum ſceleratis*, ex *c. Proviſa juris ſanctio*, & *cap. Creſcit culpa*. Id quod etiam in more poſitū teſtantur *Tapia deciſ. 22.* & *Merlin. loc. cit.* Addeſis, id tēporis Advocatorum nulli ſecundum, nunc regium Conſiliariū, D. Franciſcum-Mariā Pratum: cui in hujus cauſę patrocinio ſucceſſi. Adde, inquā, *in c. 45, & 46 diſc. for. t. 3.* ubi, quæ pro Pompilio, more ſuo, doctiſſimè ſcripſerat, evulgavit.

[38] Atqui eſt qui dubitet nemo, quæſtionem haud haberi, ſi pœna criminis, quo de agitur, coërcitionem corporis non contineat. *Farin. q. 42. Carpzov. rer. crimin. q. 119. Foller. in pract. crim. rubr. Rei indurati torqueantur. Anton. de Nigr. ad. regn. c. Tormenta, tit. de torment.* cujus c. verba ſunt hæc, *Tormenta iuxta proviſionem juris communis, præcedentibus legitimis indiciis, argumentis, & ſuſpicionibus, volumus adhiberi: qualitate & conditione perſonæ quæſtionibus exponendæ diligenter inſpecta: in criminibus omnibus pœnam ultra relegationem infligentibus in convictos.* Cur ita? ne modus probandi crimen ſit ipſa criminis pœna durior. *Clar. q. 64.*

[39] Qui convincitur malum dediſſe conſilium, poteſt excipere, conſultorem abſque conſilio fuiſſe facturum: id enim ſi probet, mitiùs extra ordinem, &, ut placet aliquibus apud Farinacium

dum facerent, quem in modum delinquerent? explicavítne locum, tempus, occasionem cædis [40]? Nihil ad hæc adversarius: sed *Erant*, inquit, *homines argillacei, & pené mastigei*. Mastigei! imo-verò summorum spirituum, & injuriarum persecutores. Fuerint nullo numero homines; nónne & formicæ, ut est in proverbio, sua inest bilis? Nullum siquidem tam pusillum est animal, cui non sit ira, non sit animus injuriæ impatiens, quódque lacessitum, se se nō cupiat ulcisci. unde Propertius [41]: *Non solùm taurus ferit uncis cornibus hostem; Verùm & instanti læsa repugnat ovis*. Enim-verò *nemo est tam timidus, ut malit diu pendêre, quàm semel cadere*.

ciumt, multa solùm multabitur. *Farin. q. 129. Petrus à Plaz. epit. delict. c.17. Clar. q.88. Muscat. de cognit. delict. tit. de homicid. med. mandat. Matth. de crim. tit. de pœn. c.4.* imò etiam flagitii mandator hac utitur exceptione. *Menoch. de arbitrar. cas 351. Decian. rer. crimin. lib.9, c.36. Farinac. q. cit. Theodoric. colleg crim. disp.7. Carpz. rer. crimin. q.4. Mager. de Advocat. armat. c.17.* Nec mihi arridet ejusdem Deciani distinctio, quam & probat Carpzovius: mandatorem scilicet mitiùs puniri, si sciverit, mandatarium fuisse facturum, secùs si ignoraverit: neque enim alia ratione mitiùs in mandatorem animadvertimus, quum mandatarius erat alioqui facturus, nisi quia non fuit flagitii fons & origo: atqui sciverit, nesciveritque, non fuit. Adde, si videtur, quæ dicebamus *Cert. 4, à n.53, ad 57.* Hæc sanè quidem est caussa, cur leniùs in re hujuscemodi cum mandatore, & consiliario agamus: ut leniùs quoque hac eadem ratione agimus cum ipso (maximè subitario) auxiliatore: puta si consciorum non auxerit vires, potueritque scelus eo sine auxilio perfici. *Dd. apud Clar. q. 90.* & *Farin. q. cit.* propterea que debet ante omnia constare, sine ope illa facinus admitti non potuisse, aut non ita facilè. *Farin. ibid.* Sed, ut ad rem revertamur, mitiùs, inquam, punitur consiliarius, si probet, consultorem nihilominus fuisse facturum. Quì verò probabit? argumenta-ne satis? satis superque. *Decian. Farin. & Carpzov. locc citt.* Quænam? si cædis effector ad cædem antè se se præparaverat, aut cum alio quopiam de cæde consultaverat, aut cum interempto inimicitias gerebat. *Dd. prox. cit. Theodoric. loc. cit.* Cur ita? quia donec à proposito quis egressus ostendatur, semper in eo permansisse creditur: quique voluntatem mutatam dicit, probare hoc debet. *l. 3, & 22. ubi Gothofr. ff. de probat. Mascard. concl. 1083, & 1423.* Adde *Theodoric. loc. cit.* Inimicitia est ira ulciscendi tempus observās. *Cicer. Tusc. 4.* & propriū est irati cupere à quo læsus videatur, ei quàm maximum dolorem inurere, *Cicer. offic. 3.* An id, quod diximus de pœna mitiganda, locum habeat in criminibus atrocissimis; negant alii, alii asseverant: quod verius. *Menoch. cas. 351. Farin. q. cit.* & *cons. 104.* quanvis non negaverim, eā aliquanto acerbiorē exigi. *Farin. q. cit.* 40 Qua in re darem, eum ordinaria legis pœna dignum. quanquam enim qui facit ista, non corrumpit hominem frugi, possitque videri non æquè improbus, atque ille, qui depravat animum maleficii abstinētem, tamen eo ipso quòd viam monstrat, caussam delicto præbet. Vide *Farin. q. cit.* 41 *Propert. eleg. 2.*

re [42]. *An nescis quanta rabies oriatur ubi supra modum odia creverunt* [43]? *Inclusum illud odium omne repentè apparet* [44]. *Captatur occasio*, inquit Cicero [45], *& qui non tantum opibus valent, nescio quam tamen fortunam, ac tempus expectant*. Præsertim autē si plurimos læseris. *Cinge te, stipa, muni*, ait Lipsius [46], *senties, multorum odiis nullas opes posse resistere: tam multis enim periculis peteris, quàm multis ipse periculum es.* Quæ cùm ita sint, P.C. cùm Geometricâ [47] ratione debeat pœna respondere delicto, hujúsque magnitudinem illius magnitudine metiamur [48]; quis est, qui non videat, Pompilium, non modò non atrocissimo, verùm-etiam ne atroci quidem de crimine accusari [49]? Non acquiescit adversarius; sed *Hodie*, inquit, *licet ei, qui extra ordinem de crimine cognoscit, quam vult sententiam ferre, vel graviorem, vel leviorem* [50]. verùm non reticenda erant illa [51]: *ita tamen, ut in utroque modo rationem non excedat*. enim-verò *perspiciendum est judicanti, ne quid aut durius, aut remissius constituatur, quàm causa deposcit. nec enim aut severitatis, aut clementiæ gloria*

42 Verba *Senec.*
43 Verba *Senec.* 1 *de Clem. Et omnes læsi dolēt, irati efferũtur.* Verba *Cicer. pro Cæl.*
44 Verba *Cicer.* 1 *Epist.* 19.
45 *Cicer. de Arusp. respons.*
46 *Lips.* 4 *Polit.* 11.
47 Communi Doctorũ virorum calculo probata est Aristotelis doctrina 5 *Eth.* 6, qui, in commutationibus quidē, proportionē arithmeticā, in pœnis præmiisque distribuendis, geometricā jussit observari. A qua Aristotelis doctrina licèt recedat Bodinus 6 *de Repub. ult.* tamen eum optimè refellit Anton. Matth. *cit. c.* 4. reprehenditque Grotius *de jur. bell lib.* 2, *c.* 20. Et profectò Bodinus nullam validiorem rationem affert, quæ nos à Philosophorum principe, atque ab antiquitatis consensu discedere cogat.

48 *Ex qualitate namque pœna, qua pro delicto imponitur, qualitas, & quantitas delicti cognoscitur. & ideo tantò gravius delictum judicari debet, quantò gravior pœna pro eo imposita reperitur.* Bart. in l. levia, ff. de accusat. *Commensuranda siquidem sunt pœna delictis.* Verba *Carpz. q.* 102. *n.* 61. Vide eundē *n.* 1. Adde *Clar. lib.* 5. §. 1. & *Steph. Nath. just. vulner p.* 1, *t.* 2, *c.* 1. 49 Quænam atrocia delicta, quæque atrocissima? (non dico *atrociora*: haud enim distingui solet inter atrocia & atrociora; sed atrox delictum etiam atrocius dicitur. *Bocer. de quæst. c.* 2. *Carpz. q. cit. n.* 60.) Atrocia sunt, quorum pœna caput, sive naturale, sive civile: atrocissima verò, quorum, præter animæ ademptionem, aliud aliquid, sive præcedat; puta, si reus ad locum supplicii per humum trahatur; sive sequatur; puta, si filii quoque (ut in crimine majestatis) nō sint immunes, aut rei cadaver in frustà scindatur, sive in ipsa vitæ ademptione; puta, si reo graviore supplicii genere moriēdum. *Clar.* & *Carpz. locc. citt.* 50 Verba *Vlp. in l.* 13, *ff. de pœn.* 51 Verba ejusd. *Vlp. ibid.*

gloria affectanda est:sed perpenso judicio, prout quæque res expostulat, statuendum est [52]. *Cùm sit ubique virtutis modus*, inquit Seneca [53], *æquè peccat quod excedit, quàm quod deficit.* & si quid unquã plus æquo futurum est; in partem humaniorem præponderare debet [54]. Sed jam me vocat secundum; hoc-est

[52] Verba *l.* 11, *ff. de pœn.* Vbi certa est ex legibus pœna, judex eam neque minuere, neque augere potest. *nam (ut Papinianus respondit) facti quidem quæstio in arbitrio est judicantis: pœna verò executio non ejus voluntati mandatur, sed legis auctoritati reservatur.* Verba l.1,§.4.ff.ad S.C.Turpill. *In legislatoris voluntate est, pœnam criminibus certam statuere: judicis non est statuere sed statutam legibus facto accõmodare.* Verba *Gothofr. ad §.cit.* Si verò certa non est; in judicis arbitrium refertur. *Nath.cit.p.*1,*tit.*3, *c.*14. *Fachin.* 7 *contr.*68. An id ex usu Reipublicæ? Respondet Plato *lib.*9 *de LL.* dicens: *Vbi verò judicia rectè pro viribus constituta sunt, judicesque bene educati, & omni diligentia approbati, rectissimè multa judicibus de punitione conditioneque condemnatorum committi possunt. Nemo igitur nos incuset, si ipsis nunc maxima, multaque legibus non ordinamus, quæ vel minus eruditi judices possent conspicere, dignamque singulis delictis multam pœnamque accõmodare. Quoniam verò eos, quibus nos leges describimus, non ineptos harum rerum judices futuros speramus, multa eis committenda censemus.* Vide *Ant. Matth. tr.cit.in prolegom.c.*4. Nunquamne potest qui judicat, quum certa est ex legibus pœna, minorem, aut majorem, ex caussa, exigere? Dubitant alii, alii negant, alii affirmant: quod verius, si major sit magistratus. nec tenetur caussam exprimere, sed satis est, si dicat se ex caussa id facere. verùm (ut mihi videtur) major exigenda rarissimè, & non nisi quum exemplo opus est. Si verò minor sit magistratus, & caussa extrinseca sit, ad principem referat: nonnullis enim non acriùs modò, verùm etiam dulciùs egisse crimini datum. Vide *Clar.* §.*fin. q.*85. *Gaill.* 2 *de pac.public.*9. *Farin.q.*17. *Nath.cit. c.*14. Caussa extrinseca est aut ex merito aliquo, aut alia re commendanre, aut etiam spe magna in posterum: quod caussæ genus tunc maximè sufficiet, si ratio legis, saltem particulariter cesset in facto, de quo agitur. Intrinseca verò est, quum, si non injusta, dura tamen est pœna ad factum comparata. *Grot.* 1 *de jur. bell.* 20. Quid quum pœna incerta est? potestne judex ultimum de reo supplicium sumere? Placet mihi summopere Fachineus 9 *contr.*45, qui sic habet: *Ausim affirmare, hanc disputationem de pœna judici arbitraria, an extendi ad mortem possit, aut in controversia positam non esse, aut siqua controversia est, eam facilè componi posse. Etenim Autores quidem commorantur, qui ajunt pœnam extendi posse usque ad mortem, & qui negant; tum à Maranta* disp.5. *tum à Gomesio* de injur.c.6. n.8, *& ab aliis sexcentis, quos novissimè Farinacius refert* tit. de delict.& pœn.q.17,n.34, & seq. *Sed omnes in hanc sententiam conveniunt, tunc pœnam mortis decerni posse, cùm delicti atrocitas, & gravitas id postulaverit: aliàs secùs. Quis autem dubitaverit, hanc omnium mentem fuisse? ergo nulla controversia est. Si tamen quis aliter existimaverit, is facilè intelliget, hac adhibita distinctione, omnem sedari contentionem posse: nec aliter accipiendas esse leges, quæ vel in hãc, vel in illã sententiã adferri solẽt.* Enim-verò judicis hoc arbitriũ nõ ejusmodi est, ut pro libitu arcum intendere, aut remittere possit. Bonus, prudensque judex curare debet, ut peccatis pœnæ æquæ sint; nec scutica dignum horribili sectetur flagello. Ni velit errare, consideret rem septem modis; caussa, persona, loco, tempore, qualitate, quantitate, & eventu. *l.* 16,§.1, *ff. de pœn.*

[53] *Senec.* 2 *de Benef.*10.

[54] *Senec.* 1 *de Clem.*2. Adde, judicem, in quem collatum est arbitrium torquendi reum indefensum, non posse hoc facere quum pœna arbitraria est, *Rovit. ad pragm.*1, *de immunit. Neapolit. Danz. de pugn. Dd. tit. de praem. Magn. Cur.* & *Scialoy. prax. torq. reos, c.*6. His adjice, Capitulum *si cum sceleratis*, utpotequod municipale jus est, nõ comprehendere cædis consiliarium; imò ne mandatorem quidem. conceptum est illud non in crimina, sed in

cri-

est pondus indiciorum. verùm quod pondus, si ne leviter quidem Pompilius oneratur? argumenta, & signa, quæ afferuntur in eum, non modò minimé persuadent, sed ne ullam suspicionem movent. itaut quæstionibus admoveri non posset, quanvis ei fuisset facta copia defensionis, & nihil eorũ refellendi gratiâ attulisset. Antequam ad rei totius examen accedam, duo mihi præfanda sunt, quæ reor ad universam rem ipsam maximè pertinere. Primum, quodlibet indicium, ut multa est opinio, eáque jam pro vero recepta, duobus testibus confirmandum [55]. Secundum, debere illa esse verisimilia, omni luce clariora, atque talia, ut sola rei confessio deesse videatur [56]. Ne-

crimina facientes: atqui communibus animis receptum est, hujuscemodi statuto, quos diximus nõ teneri. multum næ refert, statutum à jure cõmuni exorbitans, dicat: *Vulneris pœna mors esto*; aut: *Qui vulneraverit, morte plectitor.* Primum & facientem, & cõsiliarium, mandatorẽque punit; secundum autem tantummodò facientem. *Clar.q.89. Menochius cas. 351. Merlin. 1 contr. 47.* Quid ita? Quia consiliarius, & mandator verè, ac propriè non faciunt, sed eos fecisse interpretamur. *Clar. ibid.* in statuto autẽ, præsertim pœnali, aut ab juris cõmunis orbita recedẽte, proprietatẽ verborum non egredimur. *Gaill.2 obs.124. Grammat.decis.28. Affl.decis.104.* & alii apud Merlinum *loc.cit.* dicentem, id obtinere in pœnis à regni constitutionibus impositis. & non tantùm in pœnis, sed in modo pœnarum, ordineque judiciorum: ita ut pragmaticæ sanctiones 2, *&* 3, *de ictu scopicta*, quæ anni spacium à Constitutione *Pœnam eorum, de forban. & forjud.* datum ad contumacem à contumaciæ die morti addicendum (ad *forjudicandum*, ut loquimur) adversus eum, qui sclopum in alium disploserit, ad quindecim dies imminuunt, contra displosionis mandatorem haud obtineãt. *Merlin.loc.cit.*

55 *Clar.q.22. Mascard.concl.895. Farin.q.37. Carpz.tr.cit. q. 123.* Quid si crimẽ, quo de agitur, se habeat, ut genus, veluti hæresis? Ajũt singularia de speciebus testimonia ad quæstionem habendam conjungi *Zanger.de quæst.c.3. Mascard.concl.894. Carpz.q cit.* Quid si non sit hujusmodi, sed argumenta multa conveniant, licèt singularibus testibus indicata? Negãt cruciatibus agi *Bocer de quæst.c.3.* & *Zang.c.cit.* Affirmant *Farin.q.37,* & *Carpzov.q.cit.* dummodò tamen tria concurrant: primum, quòd testes sint omni exceptione superiores: secundum, quòd indicia sint proxima delicto: tertium, quod sint plura, & ita unum alteri adhæreat, ut rem faciant penè manifestam. *Quorum alterum si deficiat*, inquit Carpzovius loc.cit. *Zangeri, & Boceri opinionem à veritate non alienam esse, facilimè cõcesserim.* Quid si de singulis criminibus, nihil inter se commune habentibus, testes singulares deponant? Nulla ratione effici potest, ut plures imperfectæ probationes, ad diversa tendentes, ita reducantur in concordiam, ut ex iis ad quæstionem sufficiens indicium sumi queat. *Zanger. loc.cit.*

56 Imò talia, ut verisimile sit, rem aliter se habere non posse *Odelsop.caut.crim.9, tit.4.* An unicum ad tormenta satis? Communis schola apud Clar. *§ fin.q.64.* distinguit inter indicia maleficio propinqua, atque remota, putatque, illorum unum sufficere, horum autem plura requiri. *Tam probabile esse poterit unicum etiam indicium*, inquit Carpzovius q. cit.

Neque hoc ſatis quum agitur de torquendo reo inaudito: ſed futura ejuſcemodi, ut probabile ſit, nullâ propugnatione, nullíſque tormentis ea divelli, abſtergíque poſſe. Audite Merlinum [57], qui agnoſcens, nullo pacto arbitrium hoc poſſe defendi ab iis, quæ validiſſimè objicit Rovitus [58]; conatur illud excuſare in hæc verba: *Supponenda neceſſariò eſt, antequam ad hujuſmodi torturã deveniatur, exquiſitiſsima indiciorum indagatio; an ſcilicet ſint probata, & taliter urgeant, ut facilè ſit credendum, nec per torturam [59], nec per defenſiones [60] evacuari poſſe.*

---

q.cit. *ut abſque omnibus aliis adminiculis, illud ad torturã infligendã ſufficere videatur: puta ſi quis ex quadam domo prodierit cum gladio ſanguine madefacto, in qua domo repertus ſit aliquis enſe interfectus.* Sed negat omnino Antonius Matthæi *tr. cit. tit. de quæſt. c. 3*, dicens: *Videntur leges haud temerè plurativo numero uſa fuiſſe; ſed, ut docerent, unicum indicium vel argumentum ad torturam non ſufficere. Quippe indicia ejuſmodi eſſe debent, quæ veriſimile faciant crimen, ut penè nihil aliud, quã rei cõfeſſio deeſſe videatur.* l. 1, §. 1, ff. de quæſt. l. 8, §. 1, C. eod. *At fieri vix poteſt, ut unicum indicium tam veriſimile crimen faciat, ut nihil præter rei confeſſionem deeſſe videatur.* Et paullò poſt: *Iam quod de eo adfertur, qui viſus eſt profugere ex domo cum gladio cruento: fateor quidem ad torquendum id ſatis eſſe, ſed unicum id eſſe indicium pernego. Fuga enim, gladius, & cruentus quidem, jam trepidatio, pallor, quæ ferè ſemper ſicarium comitantur, plura indicia ſunt, ac penè neceſſariò eadem arguentia.*

57 *Merlin. cit. contr. 33.* 58 *Rovit. ad cit. pragm. 1, de bon. prod.* 59 Si ad quæſtionem habendã indicia debent eſſe ejuſcemodi, ut ſola rei confeſsio deeſſe videatur, & nihilominus tormentis tota omnia intereunt, non in ſuas partes, ſed in nihilum. *Farin. q. 40. Zanger. tr. cit. c. 5.* profectò, quæ Merlinus ipſe requirit, his majora ſint oportet. Quæ verò majora? indubitatane? ita reor: neque enim inventu facilia (quanquam putant, qui putant, quæſtionem eſſe rem ſaccharo conditam, & de ſuſpicionibus etiam fas eſse reũ tormentis affici) neque enim, inquam, inventu facilia, quæ ſint media inter hæc, & illa id genus. Roget aliquis: *Nonne indubitata quoque per tormenta vaneſcũt?* Hoc ſanè verius: *Dd. apud Farin. q. cit.* ſed aliter apud nos in moribus: etenim poſt cruciatus, & (id quod ſatis durum videri poſſit) repetitos quandoque, pœna ſed mitior decernitur. *Grammat. deciſ. 8.* 60 Cõteſtata jã lite, priuſquam judex pronunciet, videri ſibi reum equuleo imponendum, debet ei tempus & ſpatium dare ad ſe defendendum: quo in ſpatio ut defenſionẽ parare, & argumenta contrariis argumentis refellere poſsit, dandum eſt ei (non jure quidem Romano, quo teſtes palàm atque præſente reo ſunt audiendi; ſed moribus, quibus, eo abſente audiũtur; nec antequam teſtes, aut fuerint legitimè repetiti: hoc eſt corã reo juraverint, & iterum, eo licèt abſente, depoſuerint; aut reus declaraverit, illos pro repetitis habere) dandũ, inquã, eſt ei tabularũ exemplum, licèt illud non petat. *Foller in pract. crim. 1 p. 2. p. Farin. q. 39 Rovit. ad cit. pragm. 1 de bon. prodit. Zanger. cit. c. 3. Matth. cit. tit. de quæſt. c. 4.* Vide *Cert. 2, à n. 114 ad 126 uſque*, nec refert ſit juriſperitus nec ne. *Farin. & Zanger. locc. citt.* Iſthoc exemplo dato, rei defenſiones recipiuntur, omnia ponuntur in medium, atque diligentiſsimè examinantur. *Foller. p. cit.* Quod quanquam totidem verbis in jure non legitur, ratione tamen juris colligitur: quippe ita adhibenda tormenta ſunt, ſi veritas aliter inveniri non poſsit. *l. 9, ff. de quæſt. l. 12, C. eod. Farin. q. 40. Zanger. tr. cit.*

se [61]. His ita libatis, P.C. videamus, hujusmodíne argumentis nitatur adversarius, an autem palpet in tenebris. Vt id accuratiùs faciamus; universa hæc machina est dividenda in signa, quæ cædem illam antecessisse, quæque subsecuta, dicuntur. Exordiar prima, & oro vos, P. C. atque obtestor, ut totam rem, quàm maximè intentis oculis, ut ajunt, acerrimè contemplemini. nihil sanè religione testatum, nihil veritate fundatum, contráque omnia corrupta libidine, iracundiâ, studio reperientur. Néve admiremini, ineditorum meorum testium cōditionem excutere, occultásque tabulas examinare. profectò quidem testimonia neque legi, neque vidi. ô utinam, iterum utinam ea intueri, quanvis altero oculo tantùm, & properè mihi licuisset! sanè planiùs, & apertiùs ostenderem, infamiam hanc futilissimum esse mēdacium, vanissimum, infirmissimúmque commentum. porrò è solâ ipsâ interrogatione Pompilii nonnihil

cit. c. 2: id ipsū autem, inventa videlicet sit veritas nec ne, constare non potest, nisi tabulis, testibusque productis, audito reo, ac trutinata jam causa.

61 Res itaque aut ita se habeat necesse est, aut erit iniquum arbitrium. At quando credēdum, defensiones reo nō profuturas? Scio dixisse Fatinacium *q. 39*, posse reū torqueri, denegato tabularum exēplo, nulloque dato ei spatio ad se defendendum, si certū est, nullam eum habere defensionē: hac scilicet ratione, quòd per calumniam ea petere videatur: at scio, Fatinacium ipsum, post deinde scripsisse in hæc verba *Sublimitando hanc tertiam limitationem, adverte, quòd illa est verissima in se sic in abstracto, & in genere sumpta: ubi enim certum est, nullam competere defensionem, vel ubi certum est peti defensionem per calumniam, tunc sine dubio illam fore denegandam nemo negare potest. At quando certum sit, reo defensionem non cōpetere, item quando defensio dicatur per calumniam petita*, nota, *hoc opus, hic labor est. Ego enim credo, non posse hujus limitationis dari alios casus, quàm illos, qui sunt expressi in jure.* & paullò post: *sed extra hos casus in jure expressos, non credo, posse alios dari, in quibus dicatur defensio per calumniam petita, vel in quibus dicatur, nullam competere defensionem, & ista est veritas: aliter enim esset in potestate judicis denegare reo defensiones, & deinde dicere* : Hoc feci, quia per calumniā id petebat: quia sciebam, ei nullam competere defensionem.*: quod non est permittendum*. Dicet aliquis, sufficere Merlino si tantùm verosimile sit, nullam reo defensionem esse. Esto sufficiat; quandonam verisimile, ita reum ab exceptionibus inopem, ut sibi contraria refutare, redarguere, elevare non possit? Vtique *hoc* etiam *opus, hic* etiam *labor est.* nunquam enimverò, aut rarò. & propterea, puto, ipsa Magna Curia, testibus Puteo, & Grammatico, *apud Anton. de Nigr. ad cit c. si cum sceleratis*, hoc arbitrio rarò utitur.

lucis accepimus, & argumenta venati ſumus. Dixere quidam, diebus octo ante cædem veniſſe Neapolim Marianellæ Baronem: unà cum eo veniſſe flagitii principes Antonium & Ioſephum, divertiſſe ad Pompilium, apud eum prandiſſe, prandióque comeſo, cum eodem ſecretò collocutos. Quot homines iſta dixere? duo. quinam? Regonius Pompilii famulus, Racioppia famula Baronis. quot ſervi, ſervæque Baroni, quótque Pompilio? utrique magna caterva. fugêréne alii? nequaquam. interrogati nécne? ajat, neget adverſarius, ſuo ſe ferit gladio: ſi enim de multis, quos eſt veriſimile, eſſe rei ſcientes, aliquot ſolùm ab accuſatore proferantur, & hi de crimine teſtimonium dicant; non minimam ſanè subornationis ſuſpicionem faciunt [62]: ſi verò cuncti vocentur; negantium fides potior eſt [63]. quanvis enim in cauſis civilibus majorẽ fidem habeamus duobus rẽ affirmãtibus, quàm mille negãtibus [64]; in judiciis tamẽ criminalibus aliter ſe res habet, tametſi crimen negantes affirmantium numerum non æquent [65]. Quidquòd Regonius, & Racioppia, adeò egentes, viléſque ſunt, ut abjectiſſima quæque inter ſervos officia obirent, eorúmque una illa functio erat, ut omnibus parêrent, nec ullius imperium detrectarent? nónne ſceleri proclivis

62 *Menoch. 5 præſ. 20.* Maximè verò ſi alia quoq; ratione ſuſpecti ſint. cur enim deligis homines nauci cùm poſſis habere viros, tibique corvi luſciniis honoratiores? Non ita ſanè Calliſtratus *l. 18 ff. de teſtam. tut.* Vlpianus *l. 3, §. 12, ff. de liber. hom. exhib.* Paullus *l. 2, ff. de popul. act.* volũt enim, in rebus, ubi optio detur, eligendum idoneiorem. *E variis*, inquit Cic. 1 de L.L. *ſumendum eſt optimum.*

63 *Farin. q. 65, n. 154.*

64 *Farin. q. cit. n. 200, & 201.*

65 *Farin. q. cit. n. 157.*

clivis egeſtas [66], & lucri cauſsâ perjurium facilè admittit [67]? númne leviſſimi, abjectiſſimíque ſint fide integrâ? planè Imperator ait, *bonæ opinionis eſſe oportere teſtes, & non quoſdam artifices ignobiles, neque viliſsimos, neque nimis obſcuros ad teſtimonium procedere* [68]. Ciceroni [69] ſunt idem, leves homines, & fallaces: Livio [70], levis auctor, nec ſatis fidus. Quid quòd in muliere perjuriũ omnino promptum [71]? *Teſtes autem*, inquit Pontifex [72], *conſiderantur conditione, naturâ, & vitâ. Conditione, ſi liber, non ſervus: nam ſæpe ſervus, metu dominantis, teſtimonium ſupprimit veritatis. Naturâ, ſi vir, non fœmina: nam varium, & mutabile teſtimonium ſemper fœmina producit* [73]. Quicquid jurant mulieres, vento, ajunt, & undâ rapitur [74]. *Inſcribo vino*, Xenarchus inquit [75], *ſi qua jurat fœmina*. & Plau-

66 *Silius lib.* 13. Atque hinc eſt, non oportere pauperes creari civitatium defenſores, *auth. de defenſor. in princ.* & in petitione honorũ, locupletibus poſthabendos. *l.6, ff. de muner. & honor.* Cur ita? *Sumuntur autem ex plebe omnes: ut multoties cõtingat, homines valde pauperes in hac poteſtate cõſtitui, qui propter egeſtatẽ venales ſint.* Verba *Ariſt.* 2 *Polit.* 7. *Scipio Aemilianus, cùm Serv. Sulpicius Galba, & Aurelius Cotta conſules, in Senatu contenderent, uter adverſus Viriatum in Hiſpaniam mitteretur, ac magna inter P.C. diſſentio eſſet; omnibus, quò nam ejus ſententia inclinaretur, expectantibus:* Neutrum, *inquit*, mihi mitti placet: quia alter nihil habet, alteri nihil eſt ſatis. *æquè malam licentis imperii magiſtram judicans inopiam, atque avaritiam. quo dicto, ut neuter in provinciam mitteretur, obtinuit.* Verba *Valer.* 6, *c.*4. Vide *Tiraq. de nobilit. c.*3. & *Zyp.* 1 *de Iud.* 33.

67 Vide *Cert.* 9, *n.* 70. 68 Verba *auth. ſancimus, de teſt.* Enimverò neque egentes, neque nimis obſcuri, niſi ſi appareat, eos honeſtè vivere, integra fide eſſe cenſentur. *Farin. q.* 57. quid ergo quãdo obſcuritas cum egeſtate conveniunt? non modò fides eorum eſt nihili, verùm etiam audiendi non ſunt. *Farin. ibid.* 69 *Cicer. de Amic.* 70 *Liv. lib.* 5 *ab Vrb.* 71 *Auth. de nupt.* §. *qua verò.* 72 In *c. Forus, de verb. ſignif.* 73 *Vita, ſi innocens, & integer actu: nam ſi vita bona defuerit, fide carebit: non enim poteſt juſtitia cum ſcelerato homine habere commercium.* Verba *cit. c. Forus* 74 *Hoc perdit miſeras, hoc perdidit ante puellas: Quicquid jurarunt, ventus, & unda rapit.* Carmina *Propert.* 2, *eleg.* 18. 75 *Xenarch. apud Athen. lib.* 10. In aqua ſcribere, eſt nihil agere. *Ald. in adag.* qui putat, *aqua*, non *vino* dicendum, & Xenarchum hìc depravaſſe, ex quodam Græco ſenario, illud: *Hominum improborum inſcribe juſjurandum aqua.* Citat *Lucianum in Tyran.* & *Platonem in Phædr.* citatque illud Catulli: —— *Mulier cupido quæ dicit amanti, In vento, & rapida ſcribere oportet aqua,*

Plautus [76]: *Mulier es, audacter juras* [77]. Nec est è re accusatoris, quòd cōsultatio de homicidio sit probatu difficilis [78], ubi verò crimen est hujusmodi, leves etiam testes adhibeantur [79]: nō enim semper est vera hæc enunciatio. quid si quæ plurimùm abditè fiunt, & suâpte naturâ difficilem habent probationem, palàm admissa dicantur? an comperienda testibus minùs idoneis? porrò nisi si necessitas flagitat, testes non omni exceptione superiores in rem citandi non sunt [80]. imò ipsâ necessitate adducti, ne semiplenam quidem iis fidem habemus [81]: & multis si vitiis contaminētur [82], aut judicium sit accusatorium, nihil omnino

76 *Plaut. Amphit. act. 2, scen. 2.*

77 Quæstionis est inter juris interpretes, sit mulieribus dictio testimonii nec ne. Negant pleriq; omnes, inspecto jure Pontificum, 33, *q. 5. c. 17.* Affirmant alii, ad jus Cæsarum, *l. 18, ff. de test.* intuētes. Alii, neutro eas arceri credunt, quòd existiment, à Pontifice *c. 2, 15, q. 3,* jus Cæsareum hac in re comprobatum. Alii alia dicunt, de quibus *Farin. q. 59.* Ego, post *Anton. Matth. in cit. tit. de prob. c. 2. Zanger. cit. c. 3. & Carpz. tr. cit. q. 114.* dictionem eis non denego, sed *testimoniorum religionem* (utor Tullii verbis, repudiantis, elevantisque Græcorum testium fidem) *sed testimoniorū, inquam, religionem, & fidem nunquam ista natio coluit: totiusque hujusce rei, quæ sit vis, quæ auctoritas, quod pondus ignorant.* profectò, ne inscientes quidem verum dicere solent, & facta, infectaque narrant: proptereaque nemo dixerit, eas omni superiores exceptione. *Farin. q. cit. n. 26.* nemo, duarum feminarum testimonio crimen convinci. *Farin. q. cit. n. 27.* imò ne trium quidem, si caput agitur. *Farin. q. cit. n. 29.* Quòd si (ut in re nostra) sint humi repentes, aut quo alio vitio laborent; omnino repudiandæ. *Farin. q. cit. n. 24.* 78 *Menoch. de arbitr. cas. 116. Farin. q. 162.* 79 *Farin. q. cit. Carpzov. cit. q. 114.* 80 Testes omni exceptione majores sunt ii, quos nulla lex improbat, nihil maculat. *Farin. q. 62. Carpz. q. 14.* Talibus verò, in criminalibus causis, opus est. *Farin. ibid.* nisi atrocitas criminis, veluti majestatis, latrocinii, simoniæ, hæresis, &c. aut probationum inopia sibi aliud velint. *Farin. ibid.* Quanquam illud de atrocitate criminis mihi nunquam arrisit: & usque adeò displicuit Aemilio Ferretto, *in l. 3, ff. de test.* ut non dubitet, communem opinionem vocare communem errorem. enim verò quò gravior pœna manet reum, eò gravior debet esse probatio. In crimine majestatis, hæresis, &c. non negaverim, minùs idoneos audiri; verùm id non propterea quòd hæc scelera sint atrocia, sed quòd clā, & remotis arbitris perpetrari soleant. Audi Anton. *Matth. tr. cit. tit. de prob. c. 2.* ille sic loquitur: *Temperanda tamen communis doctrina videtur, ut non sufficiat, vel atrox crimen esse, vel occultum, nisi etiam laboretur difficultate probationis.* Porrò cùm res, quæ in publicam notionem defertur, munita esse debeat idoneis testibus: *l. 25, C. de prob.* non licet, præterquam ob necessitatem, à regula ista discedere. *Farin. q. cit. n. 64.* sola verò natura delicti hanc necessitatem non affert, sed & loci natura cōveniat necesse est. *Boss. de indic. n. 170, Farin. q. cit. n. 29.* 81 *Farin. q. cit. n. 73. & 77.* 82 *Farin. q. cit. n. 80. Nam ubi ad paupertatem accessit infamia,* inquit Plaut. in Pers. *gravior paupertas fit, fides sublestior.*

no credendum [83]. Ecquæ verò neceſſitas tanta vos premit, P.C. ut hoc de colloquio, hujuſcemodi teſtibus, &, quod familiam ducit, hoc in judicio credatis? quandogentium illud habitum? *Poſt prandium*, inquiunt. ad prandium iverant ceteri ſervi annon? ſi iverant; cur & iſti non iverant? ſi non iverant; nulla profectò neceſſitas. Vbi verò? In procœtone. éſtne is aulæ affinis? ita. nónne igitur ad locum frequentem, atque omnibus palàm [84]. Sed agedum, eorum figmenta diſcutiamus. Ajunt, occidente jam vere, Marianellæ Baronem veniſſe Neapolim cum totâ familiâ. At quamobrem cum uxore, cum filiolis? númne ad cædis deliberationem adhibendæ mulieres, infantes adhibēdi? hoc ipſum, quòd præcipiti verno venerit huc cum totâ familiâ indicat quid aliud. quid? Marianellam æſtivo tempore cœlum habere inſaluberrimum, mutandúmque: ut quoque anno Baroni mutatum. An Baronis comites Antonius, & Ioſephus ſuſpicionem injiciant? abeſt Neapoli Marianella paullò plus quatuor mille paſſus: cur igitur Antonius fratrem non comitaretur, non affectaretur Ioſephus, multis nominibus Baroni obligatus? Ajunt, eos divertiſſe ad Pompilium. Nihil falſius. eſt domus illa Baroni, & Pompilio communis. Venerit ad Pompilium; annon ad uxoris fratrem? Venerit ad alienum; númne hoſpitalitas vitio vertatur? Ajunt, eos

[83] *Farin. q. cit. n.* 71.

[84] Vt hinc intelligatis, colloquiū hoc non modò non eſſe probatu difficile; verùmetiam probatū ſuſpicione vacare: *Stultum enim eſſet*, inquit Boſſius de indic. n. 155, *rem tam magni momenti palàm agere, & mandatū, quod in cubiculo dari poteſt, in platea committere.* Adde *Onded.* & *Eugen.* apud *Cētolin. ad Farin. conſ.* 102. *lit.* C.

eos post prandium secretò collocutos. In auréſne? Minimè. Præter morem demiſsâ voce? Nequaquam. Quomodò? Intravere post prandium in procœtonem. Egregiam quippe rationem. Obſerârúntne intus oſtium? Non. Interdixeréne ſervis ingreſſu? Haud-quaquam. Vbi panderũt? In aulâ. Non licet igitur è mensâ ſurgere, & ab aulâ citra ſuſpicionem abire? Iuſſit Pompilius, oſtiolum illud occludi, quod in medio ſcalarum eſt. Nugæ profectò. éſtne qui fores illas nõ claudat, quum ſomno meridiano ſe dat? Intraverint in cubiculum, nulla vox audita ſit; quid hinc? *Eloquentia*, inquit Gellius [85], *in foro, & apud ſubſellia, ſilentium verò non in convivio, ſed in cubiculo eſſe debet.* Sint arcanò locuti; quid eſt, cur ſceleratum ac perditum potiùs, quàm honeſtum rectúmque conſilium à Pompilio datum exiſtimemus [86]? An aliquáne inter eum Faracióſque capitalis erat ſimultas? nulla quidem. cur ergo Pompilius, homo maritus, & pater, vir gravis, & ſapiens, & moderatus cædem illam conſuluiſſet? quænam eum cupiditas impulit, quæ libido illexit, aut incitavit ad nefas? éſtne credibile, tantum facinus nullam ob cauſſam fuiſſe commiſſum? enim-verò ſi in minimis etiam noxis, & in his levioribus peccatis, quæ magis crebra, & jam propè quotidiana ſunt, maximè, & primùm quæritur, quæ cauſſa ma-

[85] *Gell.* 13 *Noct.* 11.

[86] Quum dubium eſt, & incertũ, utrũ quis malum, an bonum cõſilium dederit, bonum eum dediſſe credendum eſt. *Gabr.* 7 *concluſ.* 2, *Menoch. de arbitr. caſ.* 351, *Alciat.* 3, *praſ.* 1, *Bajard. ad Clar. q.* 88. Vide *Cert.* 8, *n.* 64. Neq; hic exitus acta probat. probat utiq; ſi certũ eſt, malum datum eſſe conſilium. probat, inquam (ni aliud obſtet) ex conſilio ſcelus ſecutum, ſed ſi res eſt incerta, non probat. *Maſcard. concl.* 419. maximè verò, ſi qui malum dediſſe conſiliũ arguitur, vir frugi ſit. *Maſcard. ibid.* etenim: *In omnibus*, inquit Cicero 2 de Invent. *quid tempora petãt, aut quid perſonis dignum ſit, ſẽper conſiderandum eſt.* & 2 de Orat. *Habenda eſt ratio hominum, rei, & tẽporis.*

maleficii fuerit [87]; quid in re, quâ de agimus? *Alius locus eſt à cauſsâ*, inquit Ariſtoteles [88], *ut ſi cauſſa exſtiterit, factum eße dicatur, ſi non exſtiterit, non eſſe factum: nam ſimul caußa eſt cum eo, cujus eſt cauſſa, & ſine cauſſâ nihil eſt.* Quid quòd Pompilius erat Faraciis ex animo amicus, veréque benevolus [89]? Fuerit adverſarius, fuerítque capitalis; num cædes à colloquio confeſtim ſecuta eſt [90]? nónne multo tempore poſt? at nónne Faracii hoc temporis ſpatio neci patuere? cur homicidæ occaſionem interea loci amplexi non ſunt [91]? Hactenus de colloquio, P.C. ad aliud nunc argumentum aggrediamur. Ait idem Regonius, Pōpilium aliquando dixiſſe: *Faraciis eſt res cum Barone Marianellæ, propterea ex ſententiâ ſuccedit: quòd ſi mecum eßet, aliter caderet.* Sed, nî mea me fallit opinio, hoc argumentum, non modò non pro adverſa-

87 *Cicer. pro Roſc. Amer.*

88 *Ariſtot. Rhetor.* 2. Non ſolũ necelle eſt, adeſſe cauſſam, cur aliquis crimen admiſiſſe dicatur, verùm etiã ea talis ſit oportet, ut delicto reſpondeat: non enim facilè credendum, quem, levi de cauſſa, graviora patraſse. *Guazzin. defenſ.* 33, *c.* 1. Proptereaque, tametſi qs cum homicida ſecretò ſit collocutus, haud tamẽ ſuſpicionẽ facit, ſi odia inter ipſum, & occiſum capitalia non erant. *Gabr. cõcluſ. cit. Maſcard. concl.* 419. *Farin. conſ. cit. n.* 34. Imò ſi credendum hac in re Farinacio, *conſ. cit. n.* 42, cui ſubſcribit Centolinus *ibid.* ejus verba ſunt hæc: *Non ſufficit ſola capitalis inimicitia, ſed debet provenire ex atrociſſima injuria, & tali, ut pro illius vindicta neceße fuerit injuriantem occidi.* 89 Hoc ſanè ſuſpicionem omnem avertit *Farin. q.* 129, *n.* 146. *Centolin. loc. cit, lit. C.* 90 Porrò nuda collocutio ſecrèta ſceleris argumentum non eſt. *Farin. conſ. cit. ibique Centolin. Maſcard. concluſ. cit.* & 80. *Gabr. loc. cit. Decian.* 9 *rer. crim.* 34. Cur ita? quia, quæ media ſunt, in bonam partem accipimus. *Credendum eſt*, inquit Vlpian. l. 51, ff. pro ſoc. *eum, qui partis dominus eſt, jure potiùs ſuo re uti, quàm furti conſilium inire.* Adde *l.* 9. *ff. de ſerv. corrupt.* Vt ergo mali conſilij conjecturam ex arcano colloquio ducamus, concurrant oportet inimicitiæ, eæque capitales, inter occiſum, & eum, qui de conſilio appellatur. Conſtat etiam temporis brevitas neceſse eſt: nimirum, ut, poſt colloquium, ſcelus ilico ſequatur: quorum alterum ſi deficiat, nulla conjectura eſt. *Gabr. Maſcard. Decian. & alii prox. cit.* 91 Scio, eſse judicis arbitrari, utrùm aliquid ſit continuò factum, nec ne. *Menoch. de arbitr. caſ.* 11, & 366. ſed non neſcio, eum oportere, ut in re noſtra, videre, an homicidis, poſt colloquium, ſe ie obtulerit occaſio, & nihilominus eam omiſerint. tunc enim nullum indicium; quia ſcelus non videtur extemplo ſecutũ. Vide *Farin. q.* 50. *n.* 16.

versario, sed contra illum est potiùs: horum enim verborum qui sensus, nisi hic: *Res mecum non est, hæc nihil ad me, me non affecerunt injuriâ?* Nimis profectò vana sunt ista, P.C. transeamus ad indicia post necem; quanquam hæc eâdem vanitate laborant. Ajunt, Pompilium, nuntio sibi de nece allato, fuisse mutum, déque cædis modo nihil rogâsse. Quid verò futilius, vaniúsque? Re nō optatâ, non expectatâ, si nescis, *obstupuit, steterúntque comæ, & vox faucibus hæsit* [92]. Rapiunt consilium repentina, & inexpectata, & longè præter opinionem accidentia [93]: atque admiratio, quæ maxima est, non parit verba, sed silentium [94]. *Consuli primò*, inquit Livius [95], *tam subitæ rei admiratio incluserat vocem*. Quinimo id ipsum, quod præter sententiam accidit, virum perturbat, ipsíque magnum dolorem affert [96]: *Omnis autem magnitudo doloris modum excedentis, necesse est dilectum verborum eripiat, cùm sæpe vocem quoque ipsam intercludat* [97]. *Iam indicat*, inquit Cicero [98], *tot hominum fletus, quàm sis charus tuis, & me dolor debilitat, includitque vocem*. Ajunt, ilico post nuntium, Pompilium & Baronem secretò collocutos. Estò, nec inficior; quid inde? utique *præterita semper omittuntur, & nemo unquam de iis deliberationem habendam proposuit* [99]. etenim *præterita reprehendi possunt, corrigi non possunt* [100]: *non potest dies esse sæpius, qui semel fuit* [101]. Ajunt, Pompilium persuasisse Ba-

92 Virgil. Aeneid.
93 Tucyd. lib. 2.
94 Gell. 5 Noct. 1.
95 Liv. 2 ab urb.
96 Demosth. Olynt. 1.
97 Verba Senec. de Consol. ad Helv. c. 1.
98 Cicer. pro Rabir. Posth.
99 Verba Demosthen. orat. pro Coron.
100 Verba Sallust.
101 Verba Cicer. 2 de finib.

Baroni fugam. Persuaserit, iter instruxerit, occultaverit; an hinc ulla suspicio? nulla quidem [102]. Hæc intelligit adversarius: sed usque eò quid arguat, non habet, ut non modò sibi contra Pompilium dicendum putet, verùm-etiam contra rerum naturam, contráque consuetudinem hominum, contráque opiniones omnium. quis enim usqueadeò communi naturæ sensu privatus sit, atque ab omni humanitate recesserit, ut suos nolit subtractos periculis? porrò ipsâ naturâ duce, non solùm nobis nati esse volumus, verùm-etiam nostris [103]. Sed scire velim, cur Pompilius Baroni fugam consuluerit, si Baro non modò neci non præfuit, verùm ne interfuit quidem. *Deliberaverat cum germano fratre de nece, ad necem consilium dederat.* Vbinam? Marianellæ-ne, absente Pompilio; an verò Neapoli, Pompilio coram? si primum; ecce quod dicebamus, nempe occisores, absque suasu Pompilii fuisse facturos: si secundum; ecce Pompilium innocentem: si enim consilium ad necem dedisset; non modò Baroni, sed etiam (poterátque) sibi fugâ consuluisset. *Magna vis est conscientiæ*, P. C. *& magna in utramque partem, ut neque timeant, qui nihil commiserint, & pœnam semper ante oculos putent, qui peccârint* [104]. Sed jam argumen-

102 Non ideo quis ratum habere crimen, aut illud mandasse, aut consuluisse videtur, quòd delinquẽti, viã ad fugiendum ostenderit, vel ei commendaticiis literis, pecunia, sive quo alio modo saluti fuerit. impellimur enim natura, ut prodesse velimus quamplurimis. *Farin. cons.* 104, *n.* 17. Quod maximè locum habet, si criminis auctor sit è numero propinquorum. *Farin. ibid. Menoch.* 1 *præs.* 89, *num.* 111. *Mascard. conclus.* 1264. Imò, ad pœnã quod attinet, qui latrones ipsos, affines, vel propinquos conservaverit, non est severè admodũ puniendus. *Nõ enim*, inquit Paullus l. 2, ff. de receptator. *par est eorum delictum, & eorũ, qui nihil ad se pertinentes latrones recipiũt.* Et *in crimine hæreseos id singulare est, ut qui affinem receperit, vita tantùm ei conservandæ causa, non consentiens in ejus hæresin, anathemate percellatur c. sicut, de Hæret.* Verba *Gothofr. ad cit. l.* 2.

103 *Cic. offic.* 1, *&* 2 *de Finib.*

104 Verba *Cicer pro Mil.* Innocentiæ argumentum est, potuisse fugere, nec fugisse. *Menoch.* 5 *præs.* 48, *n.* 10. *Drog. ad Clar. q.* 21. *Præterea summa innocentia* (Antiphilo) *tribuebatur (ut quondam Socrati)* inquit Aerod. rer. jud. lib. 6, tit. 12. c. 4, *non evasisse è custodia, cùm liceret.*

gumentorum futilitatem ostendimus, agnoscénsque adversarius, nihil sibi esse reliqui, eò devenit, ut pugnet, contendátque in hæc verba: *Quàvis Pompilius non superetur indiciis, tamen judicum illa interlocutio, quâ sunt in eum tormenta constituta, nulla non est: cùm enim judicis sit arbitrari, an argumenta sufficiant, nec ne; nulla lex eam abrogat, nulli legi invisa est. proptereáque licèt esset injusta, tamen pragmaticâ sanctione Pompilius arceretur: quâ sanctione decreta non sunt irritanda, nî adversus apertam expressámque legem prolata sint* [105]. Hæc adversarius: verùm optimè in eum quadrare videtur, quod de Pisone Seneca [106]: *Excogitavit quemadmodum tria crimina faceret, quia nullum invenerat* [107]. Ergóne imponemus equuleo, gladio feriemus innocentem, & interroganti respondebimus: *Nihil interest: non enim fuit irritè, sed tantùm injustè tortus, occisus tantùm injustè?* Catonianum sanè responsum, dignum cedro, atque auro. at non ita profectò Cæsarum omnium specimen illud, *Carolus V. Imperator: cùm* enim *aliquando privilegium nescio quod manu suâ consignâsset, moneretúrque, justitiæ legibus non sat esse consentaneum, mox reddi sibi voluit, & dilaceravit:* Malo, *inquiens*, meam lacerare scripturam, quàm animam [108]. Et ego quidem, P.C. nunquam adducar, ut credam, legem illam ad criminales causas referri posse [109]. *Quia de personâ hominis*

105 Aut publicum scriptum. *prag.* 4. §. 10, *de dilat.*

106 *Senec.* 1 *de Ira*, 16.

107 *Habet iracundia hoc mali*, inquit Senec. ibid. *nō vult regi. irascitur veritati ipsi, si cōtra voluntatem suam apparuerit.*

108 Verba *Saavedr. Symb. polit.* 65. Locū hunc Saavedræ docuit me Vir ille perinde civilis rationis, ac literarum omnium scientissimus: Vir plenus animi ac roboris, optimeque de repub. meritus, Marchio Crispani, regius Consiliarius, D. Didacus de Soria Morales, de quo dicere cum Plinio possis: *Vt foris, ita domi; ut in magnis, ita in parvis: ut in alienis, ita in suis agitavit, agitatque justitiā.* Munera, quæ obivit, plurimasq; ejus laudes vide apud *D. Carol. Petr.* in præclarissimis commentariis *ad Rit. magn. Cur. rit.* 160. *n.* 59. *&* 60.

109 Non modò enim §. ille, sed tota lex: imò totus ille titulus pecuniariis de rebus loquuntur.

minis agitur, infit Isernia [110], *non habet locum illud generale: Quod fieri non debuit, factum tamen tenet: sed illud; quòd, scilicet, pro nullo sit contra prohibitionem legis habitum: pro quo est, quòd aliter judicantur personæ, quàm res.* Nimirum, *ibi diligentiùs examinetur* oportet, *ubi cōtra hominis salutē, per errorem, vel gratiam cognitoris oppressa putatur esse justitia* [111]. Sed quid quòd illa interlocutio, non solùm unam, verùm-etiam plurimas leges perfringit, convellit, labefactat? Verba rescripti divi Hadriani ita se habent [112]: *Ad tormenta servorum ita demum veniri oportet, cùm suspectus est reus, & aliis argumentis ita probationi admovetur, ut sola confessio servorum deesse videatur*. Paulli sunt hæc [113]: *In eâ causâ, in quâ nullis reus argumentis urgebatur, tormenta non facilè adhibenda sunt, sed instandum accusatori, ut id quod intendat, comprobet, atque convincat.* Dioclet. verò, & Max. [114] *Oportet autem judices nec in his criminibus, quæ publicorum judiciorum sunt, ad investigationem veritatis à tormentis initium sumere: sed argumentis primùm verisimilibus, probabilibúsque uti*. Quid quòd capitulum ipsum convellit, quo capitulo inauditi hominis torquendi arbitrium confertur? illud enim exigit, ut reus indiciis opprimatur [115]. Quid quòd perrumpit morem, & ordinem judiciorum [116]: *prolatam* verò *sententiā contra solitum judiciorum ordinem, auctoritatem rei judicatæ non obtinere certum est* [117]? Num autem judicis arbitrium usque eò protendatur, ut pro in-

110 *Isern. in Const. Si damna clandestina.*

111 Verba *l. 29, C. de Appellat.*

112 In *l. 1, §. 1, ff. de quæst.*

113 In *l. 18. §. 2, ff. eod.* Adde *l. ult. eod.*

114 In *l. 8, §. 1, C de quæst.* Adde *l. 3, §. 1, eod.* Vide *Farin. q. 37.*

115 Vt dicebamus hoc Cert. *n. 37*, & 61.

116 Qua de re vide *cit. n. 37*, & 61.

117 Verba *l. 4, C. de sent. & interloc. omn. jud.* Videsis *Afflict. decis. 135*, & 255, ibique *Vrsill.*

dicio ducat, quod indiciũ nõ est [118]? porrò *est sapientis judicis, non quid ipse velit, sed quid lex, & religio cogat, cogitare: neque sibi quod concupierit licere, sed habere in consilio legem, religionem, æquitatem, fidem; libidinem autem, odium, invidiam, metum, cupiditatésque omnes amovere* [119]. Absolvimus, P.C. secundam

118 *Arbitrium judicis*, inquit Oldesop. 4 caut. crim. 1, *in materia indiciorũ, & tortura, debet esse vel expressis legibus, quæ de ea extant, vel sanè præclarissimorũ Dd. & interpretum communi suffragio conformatum:* Farin. q. 37. n. 193. & seqq, *qui addit* n. 200. ibid. *melius posse formari regulam in contrarium: quod videlicet indicia ad torquendum non sint judici arbitraria, cui assentit* Cason. in tract. de torment. c. 1: *quod apprimè est notandum. Vel ubi casus ab iis necdum decisus se offert, non ita utatur suo arbitrio judex, ut tanquam bellua, sensu & cupiditate ducatur:* Menoch. de arbitr. in procœm. n. 6: *sed ut vir bonus, æquus & prudens, in lenitate potiùs, & clementia, quàm in severitate peccet: ut inclinet in mitiorem partem:* (Huc refer ea, quæ dicebamus hóc Certamine *n.* 25, 26, & 27: & adde *Farin. q. cit. n.* 195, & 196.) *Vt minùs potiùs, quàm plus torqueat:* Marsil. in pract. §. expedita, n. 85. *Vt reus salvus sit vel innocentia, vel supplicio:* l. quæstionis modum, ff. de quæst. *In quo sæpe cum injuria reorum turpiter hallucinatur vulgus judicum, quomodò tortura, & indicia ad eam sint arbitraria ignorans. Præterea jura loquentia de arbitrio, intelliguntur contra accusatorem, non contra reum, videlicet, judicem pose desistere à tortura propter ejus periculũ & fragilitatem, non autem sine sufficientibus indiciis, iisque legitimè probatis, ad torturam procedere, vel excedere modum: quod singulariter monet Cason.* cit. c. 1. 119 Verba *Cicer. pro Cluent.* Adde *Farin. cit. q* 37 *n.* 199; qui loquitur in hunc modum: *Non potest judex nova inducere, & formare indicia, ex sua (ut dicunt D.D.) cervice, & ex illis ad torturam devenire, sed imò debet habere indicia à jure approbata, & quæ in jure subsistant.* & n. 200: *Est communis error judicum, putantium, torturam esse arbitralem, quasi natura corpora reorum, arbitrio suo ad lacerandum creaverit.* Adde *Bajard. ad Clar. q.* 64, *n.* 56. *Carpzov. q.* 120. & 123, ubi sic habet: *Prima regula generalis est, torturam absque legitimis, & sufficientibus indiciis præcedentibus haudquaquam inferri posse. Non minùs enim judicum quorundam modernorum abusus est, ut suspectum in carcerem detrusũ statim torturæ subjiciant, nec priùs inquirant, an crimen perpetratum sit, nec ne: an veritas criminis aliter haberi possit, necne: an indicia ad torturam adsint, necne. sed hisce inconsideratis, ad cruciatus, ignem & tormenta properant: suum velle loco indiciorum subrogantes, hominesque, ut plurimùm, velo levato torquentes: ut conqueritur* Ventur. de Valent. in Parthen. litig. lib. 1, c 14. *Sed ab hoc processu illegitimo, crudeli, ac verè diabolico, saniores, ac prudentiores judices meritò abstinent, eumque abhorrent, certè hanc regulam sibi persuasam habentes, quod nemini absque indiciis sufficientibus atque legitimis tortura sit inferenda: quam, voto suo satis superque comprobavit communis DD. schola.* Boss. Damhoud. Farin. Cason. Brun. Carrer. Zanger. & Iulius Clar. q. 64: *ubi admonet judices Deum timentes, ut semper præ oculis habeant, ne aliquem tormentis subjiciant, non solùm sine indiciis, sed nec etiam cum indiciis, nisi legitima, & sufficientia fuerint.* Vide *Dd. ibid.* Paullò post: *Accedit, quòd si judicibus concederetur, ut possint sine legitimis, & sufficientibus indiciis reos torquere, facilè esset in eorum potestate, criminale judicium à tortura inchoare, quod, tanquam absurdum jura civilia, & canonica prohibuerunt.* Et sanè usque adeò verum est, à lubitu judicis indicia non pendere, ut confessio, indiciis non præcedentibus, per cruciatus, licèt rescripto Principis, expressa, nulla sit, tametsi reus eam ratam habeat, & indicia superveniant. *Farin. & Carpz. locc. citt.* Vide *Anton. Matth. de crimin. tit. de quæst. c* 3. *n.* 19. & *Oldesop. 4 caut.* 2. Adeò quoque verum est, judicis hoc arbitrium ab legibus regi oportere, ut si judex, per imperitiã, absque legitimis argu-

dam partem noſtri certaminis, oſtendimúſque, Pompilium nihil mali admiſiſſe, nullâ lege, nullâ pœnâ teneri: eſſet igitur canendũ receptui: quod enim certius poteſt eſſe præſidium; quæ major cuſtodia, quàm ipſamet innocentia? ſuis ipſa viribus nixa, fraudes hominum non reformidat: imò de perfidiâ quantumvis armatâ, quantumvis occultâ triumphat. Sed quid quòd eum ſpectata virtus, & vita ſemper innocentiſſimè acta ſummopere commendant? Quid quòd omni tẽpore publicis vacavit muneribus, quibus muneribus proreges eum præpoſuerunt; ipſe verò geſſit egregiè quàm qui maximè? Hiccine ſit inter *ſceleratos & reprobos, quos notabiliter fama gravat, vel crebra commiſsio criminum dat inſignes* [120]? Iam partes implevi, credo, P.C. vos autem, antequam judicetis, mementote, obſecro, mementote, quòd immatura credulitas mater eſt erroris & noverca conſilii [122]; quòd malè cuncta miniſtrat impetus [121], quódque mora & cunctatio tutiora ſunt [123]: maximè cùm judicatur de ſalute, cùm de

mentis reum equuleo impoſuerit; ei teneatur injuriarũ, & arbitrariã pœnã cõmittat. Quòd ſi dolo torſerit, & reus animam efflaverit: capite punitur: *Farin. & Carpz. locc. citt.* tametſi veritas criminis cruciatibus illis aperiatur: *Moller. 2 Semeſtr. 25. Oldeſop. cit. caut. 2, n. 8.* Roget aliquis: *Si ex facti, & criminis multifariis circunſtantiis, necnon perſonarum, rerũque varietate, indicia deſumẽda ſunt; quomodò judex arbitrium ſuum ad juris diſpoſitionem in dijudicandis hiſce indiciis regulare poterit, cũ plurima facta legibus expreſſis cõprehẽſa nõ ſint, ſed noviter oriri ſoleant? Huic reſpondet Carolus V Imper.* in art. 24. Ordin. crimin. *licere à ſimilibus ad ſimilia procedere, adeoque ex indiciis nominatim expreſſis, ad non expreſſa indicia argumentari, modò horum par ſit ratio. Cũ enim fieri nequeat ut omnium factorum quæ innumera quotidie accidunt, circunſtantiæ, indiciorum vicem præbentes, ſingulatim enumerentur:* argum. l. non poſſunt, ff. de L.L. *ubique à ſimilibus ad ſimilia procedere, & ex identitate rationis argumentari licet: quo ipſo omnia facta ac indicia, quæ unquam accidere queant, ſi non expreſsè, tacitè tamen legibus ac jure comprehenſa eſſe, haud abſurdè quis affirmaverit.* Verba *Carpz. cit. q 123, n. 31, & 33.* 120 Sũt verba *cit. c. ſi cũ ſceleratis.* & profectò nonniſi homines hujuſcemodi, ad mentem illius, poſſunt inauditi quæſtionibus ſubjici. quid ad mentem? nihil apertius. 121 *Ammian. Marcell.* 122 *Stat. 10.* 123 *Tacit. hiſt. 1.*

de effusione humani sanguinis agitur [114]. celeritatem pœnitentia, atque eadem inutilis sequitur: nam præcipitata raptim consilia, neque revocari, neque in integrum restitui possunt [125]. Possunt, P.C. possunt tormenta dilata adhiberi, non possunt adhibita revocari [126]. Nemo prudens ad decretoriũ stylum accedit, nisi plus est quod timet, quàm quod damnat [127]: at quid timendum si hoc in judicio non à tormentis incipiatur? Ad supplicia, ad quæstiones nunquam veniendum, nisi quoties id fieri publica suadet utilitas [128]: at quænam publica utilitas suadet, ut Pompilius torqueatur indefensus? Scitis jam qui fuerint sicarii, & sine consilio facturi; quîd igitur tanta in Pompilium celeritas [129]? Obsecro vos iterum, P.C. obsecro vos, atque obtestor: date spatium, tenuémque moram [130]: namque inauditi, atque indefensi tanquam innocentes pereũt [131], & propè est ut libenter damnet qui citò [132]. Ratio utrique parti locum dat, & tempus dat. deinde advocationem etiam sibi petit, ut excutiendæ spatium

114 *Cassiodor.* Romanorum secures, ut ait *Plut. in probl.* fuerunt fascibus alligatæ, ut resolutione mora interjiceretur.

125 *Liv. 1 Decad 4.* Anaxandr. interrogatus, cur Lacedæmonii plures dies insumerent in cognoscendis capitalibus caussis, respondit, quòd si in his semel erratum fuerit, non esset corrigendi cõsilii potestas. *Plut. in Apopht. Lacon.*

126 Senecæ est 2 de Ira 22. *Potest pœna dilata exigi, nõ potest exacta revocari.*

127 *Senec. 1 de Clement.* Porrò capitulum ipsum: *si cum sceleratis*, tum isthoc permittit arbitrium, cùm alioqui resp. labefactatur. ejus verba sunt hæc: *Mirari compellimur, & turbari quòd; sic ipsis deferendo maleficis de tam generali ejusdem reip. derogatione, qua sequitur, non pensatur. itaque dum uni vel pluribus de hujusmodi sceleratis, ut evadant, applauditur, toti universo, quod læditur, derogatur.* Adde ejusdem capituli verba, quæ referam *n.* 129. 128 *Senec. ibid.* Imò *in rebus novis constituendis evidens esse utilitas debet, ut recedatur ab eo jure, quod diu æquum visum est.* Verba *l. 2, ff. de Constit. princ.* 129 Sanè hoc arbitrio judex uti non debet, nisi cùm celeritate opus est. Audi verba ejusdem capituli: *Si cum sceleratis & reprobis, quos notabiliter fama gravat, vel crebra commissio criminum dat insignes, pro eorum tali commissione, seu meritis non agitur ad vindictam, consequens erit, viros tales ex impunitate concrescere, & nostram remp. cum nostrorum nocu-*

tium veritati habeat: ira festinat [133]. Ratio id judicari vult, quod æquum est: ira id æquum videri vult, quod judicavit [134].

---

nocumento fidelium, gravia detrimenta sentire. Sicut igitur intellecto, quòd sicut casus accidunt, causæque succedunt, multi de talibus delati, vel capti, ad Vicariæ regni nostri, cui præsides, curiam perducuntur, & jam aliqui pervenerunt, contra quos, tum propter varios in suis opinionibus intellectus judicum dictæ curiæ, tum propter alia, quæ per advocatorum astutias ingeruntur, præpedimenta, & anfractus, non proceditur, prout decet ad condignam & CELEREM ultionem. Quid clarius? Et puto Regem hìc respexisse ad Impp. Honor. & Theod. rescriptum *in l.10, C. de fer.* cujus rescripti verba sunt hæc: *Provinciarum præsides moneantur, ut in quæstionibus latronum, & maximè Isaurorum, nullum quadragesimæ tempus, nec venerabilem Pascha diem existiment excipiendum: ne differatur sceleratorum proditio consiliorum, quæ per latronum tormenta quærenda est: cùm facillimè & in hoc summi Numinis speretur venia, per quod multorum salus & incolumitas procuratur.* 130 *Stat. ibid.*
131 *Tacit.* 132 *Senec. loc. cit.* 133 *Senec. 1 de Ira 16.* 134 *Senec. ibid.*

PRO

ſic habet: *Il Giudice, ch'è ſtato avvocato d'una delle parti, non poſſa giudicare nell'iſteſſa cauſa, ancorche conſentiſſero ambe le parti*. Vnum eſt, quod objicit adverſarius; utile ſcilicet per inutile vitiari non ſolere [6] : proptereáque collegarum ſententias, hujus admiſſione non infirmari. Sed hæc nihil ad rhombum: regula enim illa non obtinet quum res individuæ ſunt [7] : conſtat verò, judices delegatos (quales noſtrâ in re) juriſdictionem ſeorſum ſingulos non habere: dicente Celſo [8] : *Duo ex tribus judicibus, uno abſente judicare non poſſunt: quippe omnes judicare juſſi ſunt. Cùm magiſtratus datos judices*, inquiunt Impp. [9] *& unum ex his pronuntiâſſe proponas, non videtur appellandi neceſsitas fuiſſe, cùm ſententia jure non teneat*. Quid quòd à Pontifice [10] apertiſſimè ſcribitur, omnino nihil agi, ſi recuſatus judex cum ceteris datis judicibus pronuntiet? ídque ſive quia ſententia res eſt individua [11], ſive quia recuſatus potuerit dicendi

---

gem particularem apud Hiſpanos: & ita nuperrimè eſt ſpecificè proviſum in pragm. 15, §. 18, infr. cod. Idemque Rovit. *in prag. 9. eod.* ſic habet: *Et advertas, quòd dum hæc pragmatica facit ſuſpectum officialem ipſo jure, in his caſibus debet officialis de per ſe abſtinere à votando, abſque partis, recuſatione, aliàs ſi votaret, etiam non recuſatus, ſententia non valeret, ut poſt* Bart. Caſtr. Alex. *& alios* in l. qui juriſdictioni, ff. de juriſd. omn. jud. *tradit* Cancer. var. reſol. p. 3, c. 13, nu. 197. Adde jura, quæ citavi *n.* 4. Adde quoque, dictionem *non* præpoſitã verbo *poſſit*, omnimodam neceſſitatem inferre. *Barboſ. de Diction. dict.* 268: & omnem judicandi poteſtatem adimere. *S. Felic. deciſ.* 80. An hæc locum habeant in Advocato fiſci? extra omne dubium: & ita plus ſemel judicatum. *Rovit. cit. pragm.* 1, *n.* 60. imò judicatum in iſta cauſa: etenim Pompilius, & poſt decreti prolationem, judicem illum recuſavit, ac vicit. Vide *Prat.* 3 *cõtroverſ.* 48, *n* 44.

6 *c.* 37, *de reg. jur.* 7 *L.* 1, §. 17, & 18, *ff. de aqu quotid. & æſtiv.* Vide *Dyn. ad cit c.* 37. 8 *L.* 39 *ff. de de re jud.* Adde *l.* 18, *ff. de arbitr.* & *l.* 2. *ff de decret. ab ord. fac.* Vide *l.* 7, *ff. de recept. qui arbitr.*

9 *l.* 4. *C. quand. provocar. non eſt neceſſ* Vbi Gothofredus habet ita: *Pluribus ſimul delegatis, ſententia non valet ab uno tantùm lata. l.* 39, *ff de re jud.* Adde *c.* 21, & *c.* 42, *de offic. & poteſt judic. deleg.* cujus capituli verba ſunt hæc: *Vno delegatorum, vel arbitrorum (ſicut proponis) rebus humanis exempto, eorum officium expiravit. Niſi aliud in delegatione, aut compromiſſo fuiſſet expreſſum.*

10 In *c.* 23, *de offic. deleg.* Adde ſis *Dd.* apud *Farin. in fragm p.* 2, *n.* 771, & *Giurb. conſ. crimin.* 9.

11 Quam rationem probant *Dyn. loc. cit.* & *Vant. in tr. de Nullit. tit. de nullit. ex defect. juriſd. n.* 183.

di copiâ conſenſum ab aliis extorquere [12]. etenim, *nihil eſt tam incredibile, quod dicendo non fiat probabile* [13]. Hæc habui, P.C. hæc, inquam, habui dicere pro viro cunctis civibus probatiſſimo, cariſſimóque: in quo non modò culpa nulla, ſed ne ſuſpicio quidem potuit conſiſtere. Veſtrum eſt, P.C. eſt veſtræ juſtitiæ, veſtræ dignitatis, atque clementiæ, antiquare decretum, & virum optimum, atque innocentiſſimum calamitatibus liberare, ut omnes intelligant, non eſſe apud vos invidiæ locum, ſed ſolùm veritati æquitatíque.

12 Hac ratione Celſus libro ſecundo Digeſtorum ſcribit, ſi in tres fuerit cõpromiſſum, ſufficere quidẽ duorum cõſenſum, ſi præſens fuerit & tertius: alioquin, abſente eo, licèt duo conſentiant, arbitrium non valere: *Quia* inquit, *in plures fuit compromiſſum, & potuit præſentia ejus trahere eos in ejus ſententiam.* Verba *l.17,§.7, ff.de recept. qui arbitr.*

13 Verba *Cicer.in Paradox.*

eos poſt prandium ſecretò collocutos. In auréſne? Minimè. Præter morem demiſsâ vcce? Nequaquam. Quomodò? Intravere poſt prandium in procœtonem. Egregiam quippe rationem. Obſerârúntne intus oſtium? Non. Interdixeréne ſervis ingreſſu? Haud-quaquam. Vbi prandērũt? In aulâ. Non licet igitur è menſâ ſurgere, & ab aulâ citra ſuſpicionem abire? Iuſſit Pompilius, oſtiolum illud occludi, quod in medio ſcalarum eſt. Nugæ profectò. éſtne qui ſores illas nō claudat, quum ſomno meridiano ſe dat? Intraverint in cubiculum, nulla vox audita ſit; quid hinc? *Eloquentia*, inquit Gellius [85], *in foro, & apud ſubſellia, ſilentium verò non in convivio, ſed in cubiculo eſſe debet.* Sint arcanò locuti; quid eſt, cur ſceleratum ac perditum potiùs, quàm honeſtum rectúmque conſilium à Pompilio datum exiſtimemus [86]? An aliquáne inter eum Faracióſque capitalis erat ſimultas? nulla quidem. cur ergo Pompilius, homo maritus, & pater, vir gravis, & ſapiens, & moderatus cædem illam conſuluiſſet? quænam eum cupiditas impulit, quæ libido illexit, aut incitavit ad nefas? éſtne credibile, tantum facinus nullam ob cauſſam fuiſſe commiſſum? enim-verò ſi in minimis etiam noxis, & in his levioribus peccatis, quæ magis crebra, & jam propè quotidiana ſunt, maximè, & primùm quæritur, quæ cauſſa

ma-

[85] *Gell.* 13 *Noct.* 11.

[86] Quum dubium eſt, & incertũ, utrũ quis malum, an bonum cõſilium dederit, bonum eum dediſſe credendum eſt. *Gabr.* 7 *concluſ.* 2, *Menoch. de arbitr. caſ.* 351, *Alciat.* 3, *præſ.* 1, *Bajard. ad Clar. q.* 88. Vide *Cert.* 8, *n.* 64. Neq; hìc exitus acta probat. probat utiq; ſi certũ eſt, malum datum eſſe conſilium. probat, inquam (ni aliud obſtet) ex conſilio ſcelus ſecutum, ſed ſi res eſt incerta, non probat. *Maſcard. concl.* 419. maximè verò, ſi qui malum dediſſe conſiliũ arguitur, vir frugi ſit. *Maſcard. ibid.* etenim: *In omnibus*, inquit Cicero 1 de Invent. *quid tempora petãt, aut quid perſonis dignum ſit, sẽper conſiderandum eſt.* & 1 de Orat. *Habenda eſt ratio hominum, rei, & tẽporis.*

maleficii fuerit [87]; quid in re, quâ de agimus? *Alius locus eſt à cauſsâ*, inquit Ariſtoteles [88], *ut ſi cauſſa exſtiterit, factum eße dicatur, ſi non exſtiterit, non eſſe factum: nam ſimul caußa eſt cum eo, cujus eſt cauſſa, & ſine cauſſâ nihil eſt.* Quid quòd Pompilius erat Faraciis ex animo amicus, veréque benevolus [89]? Fuerit adverſarius, fuerítque capitalis; num cædes à colloquio confeſtim ſecuta eſt [90]? nónne multo tempore poſt? at nónne Faracii hoc temporis ſpatio neci patuere? cur homicidæ occaſionem interea loci amplexi non ſunt [91]? Hactenus de colloquio, P.C. ad aliud nunc argumentum aggrediamur. Ait idem Regonius, Pōpilium aliquando dixiſſe: *Faraciis eſt res cum Barone Marianellæ, propterea ex ſententiâ ſuccedit: quòd ſi mecum eßet, aliter caderet.* Sed, nî mea me fallit opinio, hoc argumentum, non modò non pro adverſa-

87 *Cicer. pro Roſc. Amer.*

88 *Ariſtot. Rhetor.* 2. Non ſolū; neceſſe eſt, adeſſe cauſſam, cur aliquis crimen admiſiſſe dicatur, verùm etiā ea talis ſit oportet, ut delicto reſpondeat: non enim facilè credendum, quem, levi de cauſſa, graviora patraſse. *Guazzin. defenſ.* 33, *c.* 1. Proptereaque, tametſi qs cum homicida ſecretò ſit collocutus, haud tamē ſuſpicionē facit, ſi odia inter ipſum, & occiſum capitalia non erant. *Gabr. cōcluſ. cit. Maſcard. concl.* 419. *Farin. conſ. cit. n.* 34. Imò ſi credendum hac in re Farinacio, *conſ. cit. n.* 42, cui ſubſcribit Centolinus *ibid.* ejus verba ſunt hæc: *Non ſufficit ſola capitalis inimicitia, ſed debet provenire ex atrociſſima injuria, & tali, ut pro illius vindicta neceße fuerit injuriantem occidi.* 89 Hoc ſanè ſuſpicionem omnem avertit *Farin. q.* 129, *n.* 146. *Centolin. loc. cit, lit. C.* 90 Porrò nuda collocutio ſecrèta ſceleris argumentum non eſt. *Farin. conſ. cit. ibique Centolin. Maſcard. concluſ. cit.* & 80. *Gabr. loc. cit. Decian.* 9 *rer. crim.* 34. Cur ita? quia, quæ media ſunt, in bonam partem accipimus. *Credendum eſt*, inquit Vlpian. l. 51, *ff.* pro ſoc. *eum, qui partis dominus eſt, jure potiùs ſuo re uti, quàm furti conſilium inire.* Adde *l.* 9. *ff. de ſerv. corrupt.* Vt ergo mali conſilij conjecturam ex arcano colloquio ducamus, concurrant oportet inimicitiæ, eæque capitales, inter occiſum, & eum, qui de conſilio appellatur. Confluat etiam temporis brevitas neceſse eſt: nimirum, ut, poſt colloquium, ſcelus ilico ſequatur: quorum alterum ſi deficiat, nulla conjectura eſt. *Gabr. Maſcard. Decian. & alii prox. cit.* 91 Scio, eſse judicis arbitrari, utrùm aliquid ſit continuò factum, nec ne. *Menoch. de arbitr. caſ.* 11, & 366. ſed non neſcio, eum oportere, ut in re noſtra, videre, an homicidis, poſt colloquium, ſe ſe obtulerit occaſio, & nihilominus eam omiſerint, tunc enim nullum indicium; quia ſcelus non videtur extemplo ſecutū. Vide *Farin. q.* 50, *n.* 16.

versario, sed contra illum est potiùs: horum enim verborum qui sensus, nisi hic: *Res mecum non est, hæc nihil ad me, me non affecerunt injuriâ*? Nimis profectò vana sunt ista, P.C. transeamus ad indicia post necem; quanquam hæc eâdem vanitate laborant. Ajunt, Pompilium, nuntio sibi de nece allato, fuisse mutum, déque cædis modo nihil rogâsse. Quid verò futilius, vaniúsque? Re nō optatâ, non expectatâ, si nescis, *obstupuit, steterúntque comæ, & vox faucibus hæsit* [92]. Rapiunt consilium repentina, & inexpectata, & longè præter opinionem accidentia [93]: atque admiratio, quæ maxima est, non parit verba, sed silentium [94]. *Consuli primò*, inquit Livius [95], *tam subitæ rei admiratio incluserat vocem*. Quinimo id ipsum, quod præter sententiam accidit, virum perturbat, ipsíque magnum dolorem affert [96]: *Omnis autem magnitudo doloris modum excedentis, necesse est dilectum verborum eripiat, cùm sæpe vocem quoque ipsam intercludat* [97]. *Iam indicat*, inquit Cicero [98], *tot hominum fletus, quàm sis charus tuis, & me dolor debilitat, includítque vocem*. Ajunt, ilico post nuntium, Pompilium & Baronem secretò collocutos. Esto, nec inficior; quid inde? utique *præterita semper omittuntur, & nemo unquam de iis deliberationem habendam proposuit* [99]. etenim *præterita reprehendi possunt, corrigi non possunt* [100]: *non potest dies esse sæpius, qui semel fuit* [101]. Ajunt, Pompilium persuasisse Ba-

92 Virgil. Aeneid.
93 Tucyd. lib. 2.
94 Gell. 5 Noct. 1.
95 Liv. 2 ab urb.
96 Demosth. Olynt. 1.
97 Verba Senec. de Consol. ad Helv. c. 1.
98 Cicer. pro Rabir. Posth.
99 Verba Demosthen. orat. pro Coron.
100 Verba Sallust.
101 Verba Cicer. 2 de finib.

Baroni fugam. Persuaserit, iter instruxerit, occultaverit; an hinc ulla suspicio? nulla quidem [102]. Hæc intelligit adversarius: sed usque eò quid arguat, non habet, ut non modò sibi contra Pompilium dicendum putet, verùm-etiam contra rerum naturam, contráque consuetudinem hominum, contráque opiniones omnium. quis enim usqueadeò communi naturæ sensu privatus sit, atque ab omni humanitate recesserit, ut suos nolit subtractos periculis? porrò ipsâ naturâ duce, non solùm nobis nati esse volumus, verùm-etiam nostris [103]. Sed scire velim, cur Pompilius Baroni fugam consuluerit, si Baro non modò neci non præfuit, verùm ne interfuit quidem. *Deliberaverat cum germano fratre de nece, ad necem consilium dederat.* Vbinam? Marianellæ-ne, absente Pompilio; an verò Neapoli, Pompilio coram? si primum; ecce quod dicebamus, nempe occisores, absque suasu Pompilii fuisse facturos: si secundum; ecce Pompilium innocentem: si enim consilium ad necem dedisset; non modò Baroni, sed etiam (poterátque) sibi fugâ consuluisset. *Magna vis est conscientiæ, P. C. & magna in utramque partem, ut neque timeant, qui nihil commiserint, & pœnam semper ante oculos putent, qui peccârint* [104]. Sed jam argumen-

102 Non ideo quis ratum habere crimen, aut illud mandasse, aut consuluisse videtur, quòd delinquēti, viā ad fugiendum ostenderit, vel ei commendaticiis literis, pecunia, sive quo alio modo saluti fuerit. impellimur enim natura, ut prodesse velimus quamplurimis. *Farin. cons.* 104, *n.* 17. Quod maximè locum habet, si criminis auctor sit è numero propinquorum. *Farin. ibid. Menoch.* 1 *præs.* 89, *num.* 111. *Mascard. conclus.* 1264. Imò, ad pœnā quod attinet, qui latrones ipsos, affines, vel propinquos, conservaverit, non est severè admodū puniendus. *Nō enim,* inquit Paullus l. 2, ff. de receptator. *par est eorum delictum, & eorū, qui nihil ad se pertinentes latrones recipiūt.* Et *in crimine hæreseos id singulare est, ut qui affinem receperit, vitæ tantùm ei conservandæ causa, non consentiens in ejus hæresin, anathemate percellatur c. sicut, de Hæret.* Verba *Gothofr. ad cit. l.* 2.

103 *Cic. offic.* 1, & 1 *de Finib.*

104 Verba *Cicer pro Mil.* Innocentiæ argumentum est, potuisse fugere, nec fugisse. *Menoch.* 5 *præs.* 48, *n.* 10. *Drog. ad Clar.* *q.* 21. *Præterea summa innocentia* (Antiphilo) *tribuebatur (ut quondam Socrati)* inquit Aerod. rer. Jud. lib. 6, tit. 12. c. 4, *non evasisse è custodia, cùm liceret.*

gumentorum futilitatem ostendimus, agnoscénsque adversarius, nihil sibi esse reliqui, eò devenit, ut pugnet, contendátque in hæc verba: *Quãvis Pompilius non superetur indiciis, tamen judicum illa interlocutio, quâ sunt in eum tormenta constituta, nulla non est: cùm enim judicis sit arbitrari, an argumenta sufficiant, nec ne; nulla lex eam abrogat, nulli legi invisa est. proptereáque licèt esset injusta, tamen pragmaticâ sanctione Pompilius arceretur: quâ sanctione decreta non sunt irritanda, nî adversus apertam expressámque legem prolata sint* [105]. Hæc adversarius: verùm optimè in eum quadrare videtur, quod de Pisone Seneca [106]: *Excogitavit quemadmodum tria crimina faceret, quia nullum invenerat* [107]. Ergóne imponemus equuleo, gladio feriemus innocentem, & interroganti respondebimus: *Nihil interest: non enim fuit irritè, sed tantùm injustè tortus, occisus tantùm injustè?* Catonianum sanè responsum, dignum cedro, atque auro. at non ita profectò Cæsarum omnium specimen illud, *Carolus V. Imperator: cùm* enim *aliquando privilegium nescio quod manu suâ consignâsset, moneretúrque, justitiæ legibus non sat esse consentaneum, mox reddi sibi voluit, & dilaceravit:* Malo, *inquiens*, meam lacerare scripturam, quàm animam [108]. Et ego quidem, P.C. nunquam adducar, ut credam, legem illam ad criminales causas referri posse [109]. *Quia de personâ hominis*

105 Aut publicum scriptum. *prag.* 4. §. 10, *de dilat.*

106 *Senec.* 1 *de Ira,* 16.

107 *Habet iracundia hoc mali,* inquit Senec. ibid. *nō vult regi. irascitur veritati ipsi, si cōtra voluntatem suam apparuerit.*

108 Verba *Saavedr. Symb. polit.* 65. Locū hunc Saavedræ docuit me Vir ille perinde civilis rationis, ac literarum omnium scientissimus; Vir plenus animi ac roboris, optimeque de repub. meritus, Marchio Crispani, regius Consiliarius, D. Didacus de Soria Morales, de quo dicere cum Plinio possis: *Vt foris, ita domi; ut in magnis, ita in parvis: ut in alienis, ita in suis agitavit, agitatque justitiā.* Munera, quæ obivit, plurimasq; ejus laudes vide apud *D. Carol. Petr.* in præclarissimis commentariis *ad Rit. magn. Cur. rit.* 260. *n.* 59. & 60.

109 Non modò enim §. ille, sed tota lex: imò totus ille titulus pecuniariis de rebus loquuntur.

minis agitur, infit Isernia[110], *non habet locum illud generale: Quod fieri non debuit, factum tamen tenet: sed illud; quòd, scilicet, pro nullo sit contra prohibitionem legis habitum: pro quo est, quòd aliter judicantur personæ, quàm res.* Nimirum, *ibi diligentiùs examinetur* oportet, *ubi cōtra hominis salutē, per errorem, vel gratiam cognitoris oppressa putatur esse justitia*[111]. Sed quid quòd illa interlocutio, non solùm unam, verùm-etiam plurimas leges perfringit, convellit, labefactat? Verba rescripti divi Hadriani ita se habent[112]: *Ad tormenta servorum ita demum veniri oportet, cùm suspectus est reus, & aliis argumentis ita probationi admovetur, ut sola confessio servorum deesse videatur*. Paulli sunt hæc[113]: *In eâ causâ, in quâ nullis reus argumentis urgebatur, tormenta non facilè adhibenda sunt, sed instandum accusatori, ut id quod intendat, comprobet, atque convincat.* Dioclet. verò, & Max.[114] *Oportet autem judices nec in his criminibus, quæ publicorum judiciorum sunt, ad investigationem veritatis à tormentis initium sumere: sed argumentis primùm verisimilibus, probabilibúsque uti*. Quid quòd capitulum ipsum convellit, quo capitulo inauditi hominis torquendi arbitrium confertur? illud enim exigit, ut reus indiciis opprimatur[115]. Quid quòd perrumpit morem, & ordinem judiciorum[116]: *prolatam* verò *sententiā contra solitum judiciorum ordinem, auctoritatem rei judicatæ non obtinere certum est*[117]? Num autem judicis arbitrium usque eò protendatur, ut pro in-

110 *Isern. in Const. Si damna clandestina.*

111 Verba *l. 29, C. de Appellat.*

112 In *l. 1, §. 1, ff. de quæst.*

113 In *l. 18, §. 2, ff. eod.* Adde *l. ult. eod.*

114 In *l 8, §. 1, C de quæst.* Adde *l. 3, §. 1, eod.* Vide Farin. q. 37.

115 Vt dicebamus hoc Cert. *n.* 37, & 61.

116 Qua de re vide cit. *n.* 37, & 61.

117 Verba *l. 4, C. de sent. & interloc. omn. jud.* Videsis *Afflict. decis.* 135, & 253, ibique *Ursill.*

dicio ducat, quod indiciũ nõ est[118]? porrò *est sapientis judicis, non quid ipse velit, sed quid lex, & religio cogat, cogitare: neque sibi quod concupierit licere, sed habere in consilio legem, religionem, æquitatem, fidem; libidinem autem, odium, invidiam, metum, cupiditatésque omnes amovere*[119]. Absolvimus, P.C. secundam

118 *Arbitrium judicis*, inquit Oldesop. 4 caut. crim. 1, *in materia indiciorũ, & tortura, debet esse vel expressis legibus, quæ de ea extant, vel sanè præclarissimorũ Dd. & interpretum communi suffragio conformatum:* Farin. q. 37. n. 193. & seqq. *qui addit* n. 200. ibid. *melius posse formari regulam in contrarium: quod videlicet indicia ad torquendum non sint judici arbitraria, cui assentit* Cason. in tract. de torment. c. 1: *quod apprimè est notandum. Vel ubi casus ab iis necdum decisus se offert, non ita utatur suo arbitrio judex, ut tanquam bellua, sensu & cupiditate ducatur:* Menoch. de arbitr. in procem. n. 6: *sed ut vir bonus, æquus & prudens, in lenitate potiùs, & clementia, quàm in severitate peccet: ut inclinet in mitiorem partem:* (Huc refer ea, quæ dicebamus hoc Certamine *n.* 25, 26, & 27: & adde *Farin. q. cit. n.* 195, & 196.) *Vt minùs potiùs, quàm plus torqueat:* Marsil. in pract. §. expedita, n. 85. *Vt reus salvus sit vel innocentia, vel supplicio:* l. quæstionis modum, ff. de quæst. *In quo sæpe cum injuria reorum turpiter hallucinatur vulgus judicum, quomodò tortura, & indicia ad eam sint arbitraria ignorans. Præterea jura loquentia de arbitrio, intelliguntur contra accusatorem, non contra reum, videlicet, judicem posse desistere à tortura propter ejus periculũ & fragilitatem, non autem sine sufficientibus indiciis, iisque legitimè probatis, ad torturam procedere, vel excedere modum: quod singulariter monet Cason.* cit. c. 1. 119 Verba *Cicer. pro Cluent.* Adde *Farin. cit. q* 37 *n.* 199; qui loquitur in hunc modum: *Non potest judex nova inducere, & formare indicia, ex sua (ut dicunt D.D.) cervice, & ex illis ad torturam devenire, sed imò debet habere indicia à jure approbata, & quæ in jure subsistant.* & n. 200: *Est communis error judicum, putantium, torturam esse arbitralem, quasi natura corpora reorum, arbitrio suo ad lacerandum creaverit.* Adde *Bajard. ad Clar. q.* 64, *n.* 56. *Carpzov. q.* 120. & 123, ubi sic habet: *Prima regula generalis est, torturam absque legitimis, & sufficientibus indiciis præcedentibus haudquaquam inferri posse. Non minùs enim judicum quorundam modernorum abusus est, ut suspectum in carcerem detrusũ statim torturæ subjiciant, nec priùs inquirant, an crimen perpetratum sit, nec ne: an veritas criminis aliter haberi possit, necne: an indicia ad torturam adsint, necne. sed hisce inconsideratis, ad cruciatus, ignem & tormenta properant: suum velle loco indiciorum subrogantes, hominesque, ut plurimùm, velo levato torquentes: ut conqueritur* Ventur. de Valent. in Parthen. litig. lib. 1, c. 14. *Sed ab hoc processu illegitimo, crudeli, ac verè diabolico, saniores, ac prudentiores judices meritò abstinent, eumque abhorrent, certè hanc regulam sibi persuasam habentes, quod nemini absque indiciis sufficientibus atque legitimis tortura sit inferenda: quam, voto suo satis superque comprobavit communis DD. schola.* Boss. Damhoud. Farin. Cason. Brun. Carrer. Zanger. & Iulius Clar. q. 64: *ubi admonet judices Deum timentes, ut semper præ oculis habeant, ne aliquem tormentis subjiciant, non solùm sine indiciis, sed nec etiam cum indiciis, nisi legitima, & sufficientia fuerint.* Vide *Dd. ibid.* Paullò post: *Accedit, quòd si judicibus concederetur, ut possint sine legitimis, & sufficientibus indiciis reos torquere, facilè esset in eorum potestate, criminale judicium à tortura inchoare, quod, tanquam absurdum jura civilia, & canonica prohibuerunt.* Et sanè usque adeò verum est, à lubitu judicis indicia non pendere, ut confessio, indiciis non præcedentibus, per cruciatus, licèt rescripto Principis, expressa, nulla sit, tametsi reus eam ratam habeat, & indicia superveniant. *Farin. & Carpz. locc. citt.* Vide *Anton. Matth. de crimin. tit. de quæst. c* 3. *n.* 19. & *Oldesop.* 4 *caut.* 2. Adeò quoque verum est, judicis hoc arbitrium ab legibus regi oportere, ut si judex, per imperitiã, absque legitimis argu-

mentis

dam partem noſtri certaminis, oſtendimúſque Pompilium nihil mali admiſiſſe, nullâ lege, nullâ pœnâ teneri: eſſet igitur canendũ receptui: quod enim certius poteſt eſſe præſidium; quæ major cuſtodia, quàm ipſamet innocentia? ſuis ipſa viribus nixa, fraudes hominum non reformidat: imò de perfidiâ quantumvis armatâ, quantumvis occultâ triumphat. Sed quid quòd eum ſpectata virtus, & vita ſemper innocentiſſimè acta ſummopere commendant? Quid quòd omni tẽpore publicis vacavit muneribus, quibus muneribus proreges eum præpoſuerunt; ipſe verò geſſit egregiè quàm qui maximè? Hiccine ſit inter *ſceleratos & reprobos, quos notabiliter fama gravat, vel crebra commiſsio criminum dat inſignes* [120]? Iam partes implevi, credo, P.C. vos autem, antequam judicetis, mementote, obſecro, mementote, quòd immatura credulitas mater eſt erroris & noverca conſilii [121]; quòd malè cuncta miniſtrat impetus [122], quódque mora & cunctatio tutiora ſunt [123]: maximè cùm judicatur de ſalute, cùm de

mentis reum equuleo impoſuerit; ei teneatur injuriarũ, & arbitrariã pœnã cõmittat. Quòd ſi dolo torſerit, & reus animam efflaverit: capite punitur: *Farin. & Carpz. locc. citt.* tametſi veritas criminis cruciatibus illis aperiatur: *Moller. 2 Semeſtr. 25. Oldeſop. cit. caut. 2, n. 8.* Roget aliquis: *Si ex facti, & criminis multifariis circunſtantiis, necnon perſonarum, rerũque varietate, indicia deſumẽda ſunt; quomodò judex arbitrium ſuum ad juris diſpoſitionem in dijudicandis hiſce indiciis regulare poterit, cũ plurima facta legibus expreſſis cõprehẽſa nõ ſint, ſed noviter oriri ſoleant? Huic reſpondet Carolus V Imper.* in art. 24. Ordin. crimin. *licere à ſimilibus ad ſimilia procedere, adeoque ex indiciis nominatim expreſſis, ad non expreſſa indicia argumentari, modò horum par ſit ratio. Cũ enim fieri nequeat ut omnium factorum quæ innumera quotidie accidunt, circunſtantiæ, indiciorum vicem præbentes, ſingulatim enumerentur:* argum. l. non poſſunt, ff. de L.L. *ubique à ſimilibus ad ſimilia procedere, & ex identitate rationis argumentari licet: quo ipſo omnia facta ac indicia, quæ unquam accidere queant, ſi non expreſsè, tacitè tamen legibus ac jure comprehenſa eſſe, haud abſurdè quis affirmaverit.* Verba *Carpz. cit. q 123, n. 31, & 33.*

120 Sũt verba *cit. c. ſi cũ ſceleratis.* & profectò nonniſi homines hujuſcemodi, ad mentem illius, poſſunt inauditi quæſtionibus ſubjici. quid ad mentem? nihil apertius. 121 *Ammian. Marcell.* 122 *Stat.* 10. 123 *Tacit. hiſt.* 1.

de effusione humani sanguinis agitur [124]. celeritatem pœnitentia, atque eadem inutilis sequitur: nam præcipitata raptim consilia, neque revocari, neque in integrum restitui possunt [125]. Possunt, P.C. possunt tormenta dilata adhiberi, non possunt adhibita revocari [126]. Nemo prudens ad decretoriũ stylum accedit, nisi plus est quod timet, quàm quod damnat [127]: at quid timendum si hoc in judicio non à tormentis incipiatur? Ad supplicia, ad quæstiones nunquam veniendum, nisi quoties id fieri publica suadet utilitas [128]: at quænam publica utilitas suadet, ut Pompilius torqueatur indefensus? Scitis jam qui fuerint sicarii, & sine consilio facturi; quìd igitur tanta in Pompilium celeritas [129]? Obsecro vos iterum, P.C. obsecro vos, atque obtestor: date spatium, tenuémque moram [130]: namque inauditi, atque indefensi tanquam innocentes pereũt [131], & propè est ut libenter damnet qui citò [132]. Ratio utrique parti locum dat, & tempus dat. deinde advocationem etiam sibi petit, ut excutiendæ spatium

124 *Cassiodor.* Romanorum secures, ut ait *Plut. in probl.* fuerunt fascibus alligatæ, ut resolutione mora interjiceretur.

125 *Liv. 1 Decad 4.* Anaxandr. interrogatus, cur Lacedæmonii plures dies insumerent in cognoscendis capitalibus caussis, respondit, quòd si in his semel erratum fuerit, non esset corrigendi cõsilii potestas. *Plut. in Apophт. Lacon.*

126 Senecæ est 2 de Ira 22. *Potest pœna dilata exigi, nõ potest exacta revocari.*

127 *Senec. 1 de Clement.* Porrò capitulum ipsum: *si cum sceleratis*, tum isthoc permittit arbitrium, cùm alioqui resp. labefactatur. ejus verba sunt hæc: *Mirari compellimur, & turbari quòd, sic ipsis deferendo maleficis de tam generali ejusdem reip. derogatione, quæ sequitur, non pensatur. itaque dum uni vel pluribus de hujusmodi sceleratis, ut evadant, applauditur, toti universo, quod læditur, derogatur.* Adde ejusdem capituli verba, quæ referam *n.* 129. 128 *Senec. ibid.* Imò *in rebus novis constituendis evidens esse utilitas debet, ut recedatur ab eo jure, quod diu æquum visum est.* Verba *l. 2, ff. de Constit. princ.* 129 Sanè hoc arbitrio judex uti non debet, nisi cùm celeritate opus est. Audi verba ejusdem capituli: *Si cum sceleratis & reprobis, quos notabiliter fama gravat, vel crebra commissio criminum dat insignes, pro eorum tali commissione, seu meritis non agitur ad vindictam, consequens erit, viros tales ex impunitate concrescere, & nostram remp. cum nostrorum nocu-*

tium veritati habeat: ira festinat [133]. Ratio id judicari vult, quod æquum est: ira id æquum videri vult, quod judicavit [134].

---

nocumento fidelium, gravia detrimenta sentire. Sicut igitur intellecto, quòd sicut casus accidunt, causaque succedunt, multi de talibus delati, vel capti, ad Vicaria regni nostri, cui præsides, curiam perducuntur, & jam aliqui pervenerunt, contra quos, tum propter varios in suis opinionibus intellectus judicum dictæ curiæ, tum propter alia, quæ per advocatorum astutias ingeruntur, præpedimenta, & anfractus, non proceditur, prout decet ad condignam & CELEREM ultionem. Quid clarius? Et puto Regem hìc respexisse ad Impp. Honor. & Theod. rescriptum *in l. 10, C. de fer.* cujus rescripti verba sunt hæc: *Provinciarum præsides moneantur, ut in quæstionibus latronum, & maximè Isaurorum, nullum quadragesimæ tempus, nec venerabilem Pascha diem existiment excipiendum: ne differatur sceleratorum proditio consiliorum, quæ per latronum tormenta quærenda est: cùm facillimè & in hoc summi Numinis speretur venia, per quod multorum salus & incolumitas procuratur.* 130 *Stat. ibid.*
131 *Tacit.* 132 *Senec. loc. cit.* 133 *Senec. 1 de Ira 16.* 134 *Senec. ibid.*

PRO

PRO BARONE POMPILIO GALLIANO CERTAMEN XIII.

ARGVMENTVM.

Datorum judicum decretum, cui calculum etiam adjecit judex, qui alteri partium in eâdem causâ patrocinium præstiterat, non esse ratum enucleat.

HEsterno die, P. C. quum apud vos à Pompilio Galliano dicebam, antè Sol me defecit, quàm orationem absolverem. Reliquum erat, ostenderem, interlocutionem illam, quâ in eum tormenta decreta sunt, aliâ quoque ratione irritam esse vanámque. Dabitis hoc innocentiæ, atque calamitati, P.C. ut institutam defensionem, ad exitum usque, licèt exangui, aridóque genere dicendi, perducam. id quod faciam

 pau-

paucissimis;tum quia res ipsa loquitur,tum quia negotium in tuto esse non falsus conjicio. Altera igitur decreti futilitas ea est, quòd in illius interpositione jus etiam dixerit is, cui juris dicendi potestas non erat: constat autem, illud, quod ait Senatus: *Quæ judicata, transacta, finitáve sunt, rata maneant*, ita intelligendum esse, ut judicata accipere debeamus ab eo,cui judicandi jus fuit [1]. ceterùm si ab eo, qui jus damnandi non habuit, quis damnatus sit; pro damnato non erit [2]. Imò si per errorem alius pro alio prætor fuerit aditus,nihil valebit quod actum est [3]. Roget adversarius: *Cur ei potestas non erat?* non erat, quia fuerat in eâdem causâ fisci patronus, & ob advocationis affectionem, incorrupti judicis non poterat nomen perferre [4]. Non erat, inquam, ei potestas,& adeò non erat,ut nec esse potuerit,quãvis eũ judicare Pompilius pateretur: lex [5] enim

Ccc sic

1 *L.1, §.12, ff.ad Senat. Consult. Tertull.*

2 *L. 2, §. 2, ff. de pœn.* Cur ita? quia damnatus ille est, ubi dãnatio tenuit. §. *cit. & condẽnatum accipere debemus eum, qui ritè condemnatus est, ut cõdemnatio valeat.* Verba *l.4, ff.de re jud.* Vide *Gothofr.ibid.*

3 *L. 15, ff. de jurisdict.* Et *in privatorũ causis hujusmodi forma servetur, ne quenquam litigatorũ sententia nõ à suo judice dicta cõstringat.* Verba l. 4, C. si à non compet. judic. *Extra territorium jus dicenti impunè non paretur. idem est & si supra jurisdictionem suam velit jus dicere.* Verba *l.ult. ff.de re judic.*

4 *L. ult. §.2, C.de adsess.jud.* Non idem in eodem negotio sit advocatus & judex. *cit. §. 2. & l.6, C. de postul.* Vide *l.17, ibique Gothofr. ff.de jurisd.omn. judic.* Adde doctissimum, præclarissimumque *D.Francisc.Verd.Instit de except.n.*1484. Nec valet sententia, licèt recusatus non sit. *Xammar. de offic.Advoc.4.n.54.* & *Cancer.ac Rovit. mox citandi.* Quid ita? quia *cùm contra sacras constitutiones judicatur, appellationis necessitas remittitur.* Verba *l. 1, §. 2. ff. quæ sent. sin. appellat. rescind.* Etenim *dubium nõ est, id quod contra jus gestum videtur, firmitatem non tenere, & sine appellatione posse rescindi.* Verba *l.5, C.quando provoc.non est necess.* & regulare est, ea quæ contra jus fiunt, pro infectis habenda. *c.64, de reg. jur. in 6. & l.5, C.de L.L.*

5 *Pragm.15, §.18, de suspic.official.* Quod autem lex ista faciat pronunciatum esse nullum, docet Rovitus *in pragm.1, n.49, de suspic. offic.* his verbis: *Unum tamen nunquam tibi excidat è memoria, quòd is, qui fuit advocatus in una causa, non potest ullo modo in ea intervenire ut judex, & proinde acta, fortè facta coram ipso in eadem causa tanquam judice, sunt nulla, etiamsi nulla fuerit proposita suspicio à parte adversa, ut pulchrè docet Bertaz.* cons. 550, vol. 2. *& est textus apertus* in c. postremo, extr. de appellat. & in l. quisquis, C. de postul, *Declarat* Avil. in c. 3. prætor. v. Abocados. *quod est expresè provisum per legem*

ſic habet: *Il Giudice, ch'è ſtato avvocato d'una delle parti, non poſſa giudicare nell'iſteſſa cauſa, ancorche conſentiſſero ambe le parti*. Vnum eſt, quod objicit adverſarius; utile ſcilicet per inutile vitiari non ſolere [6] : proptereáque collegarum ſententias, hujus admiſſione non infirmari. Sed hæc nihil ad rhombum : regula enim illa non obtinet quum res individuæ ſunt [7] : conſtat verò, judices delegatos (quales noſtrâ in re) juriſdictionem ſeorſum ſingulos non habere : dicente Celſo [8] : *Duo ex tribus judicibus, uno abſente judicare non poſſunt: quippe omnes judicare juſsi ſunt. Cùm magiſtratus datos judices*, inquiunt Impp. [9] *& unum ex his pronuntiâſſe proponas, non videtur appellandi neceſsitas fuiſſe, cùm ſententia jure non teneat*. Quid quòd à Pontifice [10] apertiſſimè ſcribitur, omnino nihil agi, ſi recuſatus judex cum ceteris datis judicibus pronuntiet? ídque ſive quia ſententia res eſt individua [11], ſive quia recuſatus potuerit dicendi

gem particularem apud Hiſpanos : & ita nuperrimè eſt ſpecificè proviſum in pragm. 15, §. 18, infr. eod. Idemque Rovit. *in prag.* 9. *eod.* ſic habet: *Et advertas, quòd dum hæc pragmatica facit ſuſpectum officialem ipſo jure, in his caſibus debet officialis de per ſe abſtinere à votando, abſque partis, recuſatione, aliàs ſi votaret, etiam non recuſatus, ſententia non valeret, ut poſt* Bart. Caſtr. Alex. & *alios* in l. qui juriſdictioni, ff. de juriſd. omn. jud. *tradit* Cancer. var. reſol. p. 3, c. 13, nu. 197. Adde jura, quæ citavi *n.* 4. Adde quoque, dictionem *non* præpoſitã verbo *poſſit*, omnimodam neceſſitatem inferre. *Barboſ. de Diction. dict.* 268: & omnem judicandi poteſtatem adimere. *S. Felic. deciſ.* 80. Au hæc locum habeant in Advocato fiſci?citra omne dubium: & ita plus ſemel judicatum. *Rovit. cit. pragm.* 1, *n.* 60. imò judicatum in iſta cauſa : etenim Pompilius, & poſt decreti prolationem, judicem illum recuſavit, ac vicit. Vide *Prat.* 3 *cõtroverſ.* 48, *n* 44.

6 *c.* 37, *de reg. jur.* 7 *L.* 1, §. 17, & 18, *ff. de aqu quotid. & æſtiv.* Vide *Dyn. ad cit c.* 37. 8 *L.* 39 *ff. de de re jud.* Adde *l.* 18, *ff. de arbitr.* & *l.* 2. *ff de decret. ab ord. fac.* Vide *l.* 7, *ff. de recept. qui arbitr.*

9 *l.* 4. *C. quand. provocar. non eſt neceſſ* Vbi Gothofredus habet ita : *Pluribus ſimul delegatis, ſententia non valet ab uno tantùm lata. l.* 39, *ff de re jud.* Adde *c.* 21, & *c.* 42, *de offic. & poteſt judic. deleg.* cujus capituli verba ſunt hæc: *Vno delegatorum, vel arbitrorum (ſicut proponis) rebus humanis exempto, eorum officium expiravit. Niſi aliud in delegatione, aut compromiſſo fuiſſet expreſſum.*

10 In *c.* 23, *de offic. deleg.* Adde ſis *Dd.* apud *Farin. in fragm p.* 2, *n.* 771, & *Giurb. conſ. crimin.* 9.

11 Quam rationem probant *Dyn. loc. cit.* & *Vant. in tr. de Nullit. tit. de nullit. ex defect. juriſd. n.* 183.

di copiâ consensum ab aliis extorquere [12]. etenim, *nihil est tam incredibile, quod dicendo non fiat probabile* [13]. Hæc habui, P.C. hæc, inquam, habui dicere pro viro cunctis civibus probatissimo, carissimóque: in quo non modò culpa nulla, sed ne suspicio quidem potuit consistere. Vestrum est, P.C. est vestræ justitiæ, vestræ dignitatis, atque clementiæ, antiquare decretum, & virum optimum, atque innocentissimum calamitatibus liberare, ut omnes intelligant, non esse apud vos invidiæ locum, sed solùm veritati æquitatíque.

12 Hac ratione Celsus libro secundo Digestorum scribit, si in tres fuerit cõpromissum, sufficere quidẽ duorum cõsensum, si præsens fuerit & tertius: alioquin, absente eo, licèt duo consentiant, arbitrium non valere: *Quia* inquit, *in plures fuit compromissum, & potuit præsentia ejus trahere eos in ejus sententiam.* Verba *l.* 17, §. 7, *ff. de recept. qui arbitr.*

13 Verba *Cicer. in Paradox.*

PRO BARONE MICHAELE DE PETRIS CERTAMEN XIV.

ARGVMENTVM.

Feudum Longobardicæ naturæ, ad Regem reversum, iterúmque, in feudum, nullâ, quòd ad hoc, lege dictâ, concessum, non hîc resumere pristinam, sed Francicam induere naturam, edisserit.

INter feudorum divisiones ac differentias, P. C. una est ea, quòd scilicet alia Longobardorum moribus, alia Francorum legibus diriguntur [1]. illa defuncti vasalli heredes, ex æquo inter se dividunt [2]; ista fratri primigenæ intacta, integráque relinquere coguntur [3]. Vivebamus olim moribus illis, & ad hæc usque tempora, feudorum aliquot hoc jure viventiū reliquiæ sūt in Aprutiis [4]: postea verò jus

1 *Rosētal. de feud. c.2, conclus.80.*

2 *c.1, §. omnes filii, si de feud. defunct. cōtrov. sit inter dom. & agnat.* Ni regalia sint *c.1, §. praeterea Ducatus, de prohib. feud. alien.*

3 *Isern. in cit. §. praeterea. Cannet. in extrav. si aliquem:* &, quà virtutis, quà literarum gloria immortalis, *Regens D. Fabius Capyc. Galeota 2 controv. 1.*

4 Teste *Galeot. ibid.* Adde *Carol. Borrell. in Vindic. Neapolit. Nobilit.*

jus Francicũ nobis magis arrisit [5]. usque-adeò, ut feudum, nullâ, quòd ad hoc, lege dictâ [6], concessum, ab jure isto sibi normam accipiat [7]. Sed quæstionis est, utrùm id locum obtineat solùm in re, quæ primùm conceditur, an etiam in eâ, quæ antea moribus illis vivebat, Dominóque aperta, à Domino alii data est: an scilicet Frãcicam induat naturam, an autem Longobardicã resumat. Accidit hæc controversia, P.C. accidit, inquam, super feudo, cui nomen Vrsæ, inter Baronem Michaëlem de Petris, ejúsque germanos fratres secũdo partu genitos: cúmque res nova sit, omnes, quò vestræ inclinent sententiæ, avidissimè expectant. Primogeniti partes mihi placet tueri: id quod paucis conficiam: neque enim multis in re adeò manifestâ opus est. Feudum, P.C. eatenus est feudum, quatenus utile rei dominium est separatum à directo [8]. quòd si illud huic iterum se jungat, & veluti in unum redeant; confestim desinit esse feudum [9]: est enim feudi servire Domino [10]; nulli verò res sua servit [11]. *Nemo ipse sibi*

5 Vt probant *Galeot. loc. cit. Capyc. Latr. 1 consult. 3.* & *Cannet. loc. cit.* ex *const. regni Scire volumus*, ex *cõstit Constitutionem*, ex *c. Cõsiderãtes*, & *aliis regni legibus*. atque ita est in moribus. *Galeot.* & *Capyc. Latr. ibid.* Adde *de Marin. 1 Resol. 250.*

6 Scilicet in investitura, absqua potiùs, quã ex lege feuda naturam accipiunt. *Freccia de Subfeud. lib. 3. de form investit. Arnis. de Rep. tit. de divis. Regnor. c. 2, sect. 7.* ejus tenor semper attendendus est, & ab eo quàm minimè recedendum. *Rosental. tr. cit. c. 1, conclus. 12.*

7 *Galeot.* & *Capyc. Latr. locc. citt.*

8 Scilicet ex regula: feudũ enim Scradero *de feud. p. 2, c. 2.* multisque aliis definitur in hæc verba: *Feudum est contractus nominatus, stricti juris, in quo Dominus utile dominium rei immobilis, vel æquipollentis, alteri, & heredibus illius masculis, perpetuò, & gratis, investitura interveniente, concedit, ea conditione, ut is ipsi & ad fidelitatem præstandam, & ad servitia honesta, & possibilia exhibenda obligetur.* Dixi: *ex regula:* potest enim quid esse feudum (improprium tamen) licèt concedens, directum quoque dominium in vasallum transtulerit. *Scrader. ibid. Rosental tract. cit. c. 2, conclus. 58.*

9 *Isern. ad tit. quib. mod. feud. amitt. Rovit. decis. 72., n. 32. Mõtan. contr. feud. 20.*

10 Feudum enim est quasi servitus, & species quædam servitutis frequenter vocari solet. *Rosental cit. c. 1, conclus. 7.* quod tamen intellige de servitute reali; quam scilicet utile dominium debet directo: *Nam quòd vasallus eam debeat ex obligatione personali, hoc fit propter rem & intuitu rei: quare dominus ad ea servitia possessorem compellere potest: Nec enim ipse vasallus fit servus domini, nec ei stipulari potest.* Verba *Rosental. ibid.*

11 *L. 26, ff. de servit. urb. præd. l. 33, §. 1, ff. de servit. rustic. præd. l. 17, ff. quib. mod. usufr. amitt. l. 5, ff. si usufr. petat.*

bi servitutem debet, Vlpianus inquit [12], *quinimò & si debita fuit servitus, deinde dominium rei servientis pervenit ad me, cõsequenter dicitur extingui servitutẽ.* & usque-adeò verum est, feudalem rei qualitatem cõsolidatione istâ perire, ut si Dominus eam alteri det, neque dicat, ab se in feudum concedi, allodialis futura sit [13]. *Si quis ædes*, inquit Paullus [14], *quæ suis ædibus servirent, cùm emisset, traditas sibi accepit; confusa, sublatáque servitus est, & si rursus vendere vult, nominatim imponenda servitus est: alioquin liberæ væneunt.* Si verò concedatur in feudum; est id novum omnino futurum, & sanè aliud à pristino penitus, penitúsque diversum. sicuti servus manumissus si rursus in servitutem reciderit, novus videtur homo esse [15]: & scyphi, quorũ ususfructus legatus sit, deinde massa facta, & iterum scyphi; licèt pristina qualitas scyphorum restituta sit; non tamen illi sunt, quorum ususfructus legatus sit [16]. Novum itaque, atque aliud hoc feudum in pristinam recidisse naturam docendum est: etenim in eam recidisse abhorret à nostris legibus, à moribus nostris abhorret. quinimò ab hoc eodem & dantis & accipientis voluntas abhorret quàm-maximè. Abhorret utique dantis voluntas: neque enim hic intelligitur de jure Longobardorum cogitâsse: quod jus suâ ipsius è re non est [17], non est in more, & regni legibus

im-

12 *L. 10, ff. cõmun. præd.*

13 *Isern in cõstit Si dubitatio.* *Camer in repet. l. Imperialem pag 37. lit. P & Q* & *Rovit decis. cit. n 15.*

14 *L. 30, ff de servit. urban præd.*

15 *L. 27, §. 1, ff de adim. legat l. 98, §. aream, ff de solut.*

16 *L. 36, ff de usufruct.* Vide *l. 83 § sed hæc, de verb. oblig.*

17 At quare non est? non est tum quia primogenitus præsumitur aptior, fortior, validior: tum quia cultu quodam præcipuo hic ipsum venerabitur: tũ quia dantis interest feudum à vasallo integrum retineri. & ita ratiocinantur. *Freccia de subfeud. tit. de orig. feud. n. 92. Tiraq. de jur. primog. in præfat.* & *Capyc. Latr. loc. cit.*

improbatur [18]. Accipientis autem voluntas abhorret vehementiſſimè. porrò quis neſciat, quàm ſoliciti ſint homines de nativâ ſui generis, & domeſticâ gloriâ conſervandâ, producendâque in multa ſecula, & ad ultimos uſque poſteros tranſmittendâ? eſt ſanè hoc votum, ſtudiúmque omnibus idem: nam ferè nihil naturâ dulcius hominũ generi datum eſt, quàm ſua cuique familia: maximè ſi pernobilis, ut in re noſtrâ, & primaria ea ſit [19]. hujus autem voti compotes fieri non poſſumus, ſi quod adquirimus feudum, dividuum ſit: nam omnis diviſio ducit ad minima, teſte Plutarcho [20], dicente, prudentiam diviſam, & diminutam, degenerâſſe in artes mechanicas, ad eam faciem, quâ à Prometheo ſcintillæ ignis hinc inde ſparſæ evanuerunt [21]. Putat adverſarius, cuncta quæ diximus, unicâ ratione confutari, diſſolvíque poſſe: quòd, ſcilicet, feudum, quo de agitur, ſit Vrſæ tertia pars: cúmque in ceteris duabus Longobardorum jure vivatur; veluti mõſtrum, ait ipſe, futurum, ſi una eadémque res diverſo jure cenſeatur [22]. at quî unum & idem ceteris cum Vrſæ partibus dici poteſt hoc feudum, quod

18 Semper enim diſponẽtes, cõtrahenteſque cum jure conſentire intelliguntur. *Hartman. Piſt q. feudal. 13, n. 73. Obrect. de feud. c. 3, n. 106. Rudingin de feud. lib. 1, c. 28. Iſernia & alii apud Piſan. in ejus reſponſ. apud Cãnet loc. cit.* Adde: & cũ moribus. qua de re clauſulæ in negotiis universè apponi ſolitæ, pro appoſitis habentur. *Iſern. Leffred. de Pont & alii apud Galeot. loc. cit.*

19 Vide hac de re *Iacobũ Orloshauſ jur. reſp. An fæmin. ab eiſve deſcendẽt. in ſucceſſ Regnor. & c. admitt. in acie viril. c. 28.*

20 *Plutarchus de Fortun.*

21 Dicet aliquis: *Si parentum votũ eſt liberis adquirere*, l. 15, ff. de inoffic. teſtam. *cur in feudorum ſucceſſione hanc perſonarum acceptionem conſtituis?* Nego, à me id factum: factum enim ab hominum prudentia. Nõne gentes in univerſum Primogenitorum jus amplexæ ſunt? *Tiraq loc. cit.* Adde, doctrina & eruditione præclarum, *D. Ioann. Baptiſtam Mucc. qq. forenſ. Dilucid* 39. Nonne utuntur prudentiſſimi omnium Hiſpani? *Molin. de primog Hiſpan.* Nonne ſolent religioſi parentes, quæ habent optima, filiis deferre majoribus? Nonne à natura ipſa manaſſe videtur, quòd homines: imo-verò cuncta animantia ſint primogenitorum amantiores? Nonne primogeniti totius familiæ robur, columen, & præſidium? *Molin. tr. cit.* 22 *c. 30. de Decim.*

quod ſeparatim Regi aperitur, ſeparatim à Rege conceditur? quod poterat non concedi, concedi in allodium, ínque feudum diverſæ naturæ concedi [23]? profectò pars à ſuo toto diviſa totum quoddam conſtituit [24]; Audite Vlpianum: *Si quis partem ædium tradat, vel partem fundi*, inquit ille [25]; *non poteſt ſervitutem imponere: quia per partes* [26] *ſervitus imponi non poteſt, ſed nec adquiri. Planè ſi diviſit fundum regionibus, & ſic partem tradidit pro diviſo, poteſt alterutri ſervitutem imponere: quia NON EST PARS FVNDI, SED FVNDVS: quod & in ædibus poteſt dici, ſi dominus, pariete medio ædificato, unam domum in duas diviſerit, ut plerique faciunt: nam & hîc PRO DVABVS DOMIBVS ACCIPI DEBET* [27]. Quinimò abſurdum non eſt, ut unum idémque feudum diverſo jure cenſeatur: poſſe enim illud, quòd ad unum, hereditarium eſſe, & quòd ad alterum, ex pacto (ùt ajunt) & providentiâ, inficiari auſus eſt nemo [28]. Sed quid quòd in re noſtrâ ſecundogeniti, ſcientes prudentéſque paſſi ſunt, hoc de feudo primogenitum inveſtiri? ſanè *ſi ille, ad quem feudum per ſucceſſionem jure obvenire debet, conſenſerit, eos inveſtiri, ad quos ſecundum rectum morem non pertinet; nullo modo ad id repetendùm regreſſum habet* [29]. Denique mementote, P.C. publicè intereſſe, cuncta feuda eſſe individua, ut ordinum dignitas, familiarúmque ſalva ſit. mementote, Regum intereſſe, per unita-

[23] *Cannet. extrav. cit. f. mihi* 252, *n.* 28.

[24] *L.* 25, §. 1, ibique *Gothofr. de verb. ſignif.*

[25] *L.* 6. §. 1, *ff. commun præd.* ubi vide *Gothofr.*

[26] *Subaudi* indiviſas. *Gothofr. hìc.*

[27] *Sed omnia iſta,* inquit Frãciſc. de Amic. in tit. de his, q feud. dar. poſſ. *intelligatis, quando conceſſio facta pluribus de feudo, facta eſt ab eo, qui poteſt de uno facere plura feuda: nã dãdo pluribus, videtur dividere in quotas, ſeu partes plures, & hoc caſu pars feudi feudum erit.*

[28] *Capyc. Latr. cõſult.* 75, *n.* 249.

[29] *c.* 1, §. *præterea, quib. mod. feud. amitt.*

unitatem feudorum, per primogenitos, illustres familias, earũque opes conservari, ut viri optimates ac proceres, domi bellíque remp. tueantur. *Vt sicut in magnis*, inquit Pontifex [30], *ita quoque in minimis membris suis firmatam Ecclesia habeat unitatem, divisionem præbendarum fieri prohibemus.* Scelesti, damnatíque, nescio cujus hominis [31], damnata vox est, dominationi conservandæ, oportere depauperare subjectos. Verùm bellua illa, tutum dominatus præsidium, non in subditorum amore, sed timore collocabat. secuta fortassis æquè scelestam illam Caligulæ vocem [32]: *Oderint dum metuant.* Profectò longè aliter Imperator, qui: *Et imperium*, inquit [33], *& fiscus abundabit, utens subjectis locupletibus.* & jure notatur à Iosepho [34] Augustus, quòd ut vires Herodianæ familiæ deterreret, in tres Herodis filios illius regnum diviserit.

30 In *c. majoribus de præben. & dignit.*

31 Quẽ nominat, cõfutatq; *Hippolyt. à Collib. in tr. de Princ.* Certè nihil turpius. Vide *Cert.* 4.

32 *Suet. in Calig.* Quod Caligulæ dictum, quũ variis de rebus familiariter colloqueremur, vehemẽter execrabatur Vir ille omni ex parte absolutissimus, Regius olim Consiliarius in Consilio Sanctæ Claræ, deinde Regiæ Cameræ Præsidens, nunc Regius à Latere Consiliarius, & Regiæ Cancellariæ Regens, D. Stephanus Carrilius de Salzedo: addebatque cum Cicerone, *offic.* 2: *Nulla vis imperii tanta est, quæ premente metu possit esse diuturna. Malus est custos diuturnitatis metus, contraque benevolentia fidelis est ad perpetuitatem: id igitur amplectamur, ut metus absit, charitas retineatur.*

33 *§. cogitatio, ut Iudic. sine quoq. suffrag.* ubi Gothofredus habet ita; *Interest reipublicæ locupletes habere subditos.*

34 *Ioseph.* 17 *Antiquit.* 13.

CERTAMEN XV.

De Pandectarum Latinitate, Fide Historiæ, Adoptione, aliisque de rebus nonnullis.

NVdiustertius, quum forum sileret, sedebamus aliquibus cum amicis desides domi, & quibusdam literariis de rebus, sed admodum frivolis, more mulierum, altercabamur. Factum erat hoc jurgium ab oratione cujusdã causarum patroni, qui, nescio quâ vanâ sui ipsius opinione inflatus, se solum probat, se, atque solum amat, alios contemnit, & deridet. tot enim ea & immanibus solœcismis, & putidis barbarismis erat oppleta, ut, jure, ac merito, solœco-barbaram nuncupares. Ecquid est de nobis unus subiratus dicebat, quòd Latialem sermonem nostrates aliquot patroni tam fœdè, turpitérque posthabeãt? quid enim est aliud, quâ utuntur, lingua, nisi corruptâ cum Latinitate barbarorum mistura verborum, atque ab originis suæ vestigiis aversa? númne tantam hanc imperitiam ex fõtibus juris hauserunt? númne vitium aliquod Romanæ linguæ totis in Pandectis inveniatur? Imò multa, respondit alius; multa quippe reprehendit in Vlpiano elegantissimus Valla: nec mihi probatur illa ejusdem Vlpiani structura [1]: *Senatores autem accipien-*

[1] *l. ult. §. ultim. ff. de Senat.* Adde id genus Syntaxim *l. 16, ff. de re jud.* & *l. 19. ff. de novat.*

pien-

piendum est eos. Sed ad illum conversus alius rei grammaticæ peritissimus; Ego, inquit, Vlpiani defensionem suscipiam: & Vallã quidem quòd attinet, eum alicubi cæcutire, nusquam autem non calumniari, Alexander ab Alexandris, Budæus, Alciatus, & alii apertissimè ostendunt: justissiméque exiit in eum hic lusus [2]:

Tartareos manes defunctus Valla petivit:
Non audet Pluto verba Latina loqui.

Te autem falsa tenet opinio, summóque in errore versaris: quanquam enim Gerundium in *Dum* accusativum patientem, quorundam sententiâ, non recipit; hoc tamen pacto locutus est Maro [3]: *Pacem Trojano ab Rege petendum*. Locutus est Plautus [4]: *Aliqua consilia reperiendum est*. Locutus Lucretius [5]: *Æternas quoniam pœnas in morte timendum*. Et, ne putes, apud solos Poëtas id in usu esse; audi Varronem [6]: *Quocirca radices ejus in Hetruriâ, non Latio quærendum est*. Sequitur hoc genus dicendi Tertullianus [7]: *Multa dicendum fuit*: nec refugit Tullius [8]: *Tanquam longam aliquam viam confeceris, quam nobis quoque ingrediẽdum sit*. Hæc illo dicente, ecce tibi in intimis meis, Vir antiquis moribus, & sũmâ eruditione præditus, Antonius Matinus: atque ad me conversus: Optabilem, inquit, nuntium tibi nuntio, de Rubeis. Purpuratus pontifex Aragonius, quem abs te, ex animo, totóque pectore, ut ajunt, amari scio, renuntiatus

2 teste Thesaur. ad patr. decis. 270.

3 Maro. 11. Æn.

4 Plaut.

5 Lucr. lib. 1.

6 Varr. l. 6 ling. Lat.

7 Tert. de pall. c. 3.

8 Tull. in Cat. Major.

est ab Rege nostro summus hæreticæ pravitatis Quæsitor. Heu gravem, respondi, durúmque, mi Matine, nuntium defers! ingrata, inquam, nuntias, ac tristia. Quid privatæ rei cum publicâ? An nescis, ut Heros hic sua cum gestis majorum nullo non tẽpore conferat? ut generosâ æmulatione ad Avos imitandos sese exstimulet? ut sit velut Ara omnibus posita, nec illi (quod rarissimum) aut facilitas auctoritatem, aut severitas amorem diminuat? Si vera nuntias; ea valde illi gratulor, atque ominor meliora, sed Regni vicẽ acerbissimè doleo: quid enim, si, ut maximè vereor, partes impleturus abibit? Ita est, qui aderant cuncti, ore uno dixere. Tunc Michaël, meus germanus frater: Recitarem, inquit, amici, confragosum, & malè tornatum epigramma, quod nunc ipsum, quâ de re nobis est sermo, in eundẽ Cardinalem confeci, nisi illud ne sit irrisui subtimerem. Confirmatus à cunctis, hunc in modum occinuit:

Læter, an in mæstas abeat mea lingua querelas
Fluctuo, & ancipitem me mea cura rapit.
Destinat ad magnum te dives Iberia munus,
Vt sit, te summo vindice, tecta Fides.
Arbitrio stet nixa tuo illibata vetusta
Relligio: quæres crimina, & ultor eris.
Par oneri virtus, pietas par, æmulus ardor
In Superos: constãs robur, & alma fides.

Ca:

Candorem, quem mente geris, servabis avito
Robore; dia Fides nulla pericla feret.
In Fidei obsequium vindex armabitur ostrum,
Et tuus ipse cruor, si illius optet opem.
Interea qui sensus erit tibi, Regia Siren,
Cùm fuerint rapidis credita vela notis?
In te pugnabis justis contraria votis;
Læta iter expedies, mæsta negabis iter.
Quòd tibi ab Hesperiâ regalis venerit Heros
Gestis; quòd rapiat tam citò, mæror habet.
Expertam nolles tam dulcia fræna regentis;
Major ab amisso plaga doloris erit.
Sic partire tuos, Siren mæstissima, sensus;
Ne procul esse putes, quem propè sistet amor.

Cùm à cuncto consessu plausus esset multiplex datus, illata est mẽtio de Regibus Aragoniis, abs quibus regnatum etiam Neapoli, datíque nobis Reges Austriaci, æternùm (Deo propitio) duraturi. Hic Alphonsi, Ferdinandi ille, reliquorum alii virtutes, atque res gestas, unicè, amplissiméq; collaudabamus. Quũ ventũ est ad præmia, & beneficia, quibus dignissimos quosq; afficiebãt: Eâ fuerunt animi altitudine, inquit, & juris, & literarum bene peritus Iosephus Spinuccius, ut hoc magnanimitatis perhibuerint exemplum; nimirũ aliquot regni Magnates, ob præclara facinora, in suam familiam cooptaverint: quos inter Magnates sunt Proceres Aragonii Aquavivi: atque

hinc

hinc illud factum crediderim, quòd, qui ex hâc stirpe secũdo partu sunt geniti, quanvis nullo titulo insigniti, sed solâ origine illustres, Titulariorum prærogativis fruantur; hoc est ut iis pateat Aula, pileati, & sellâ sedẽtes cũ Prorege agãt. Nõ ita, inquit Franciscus Rasettus, antiquitatis studiosissimus: opinor enim Optimates Aquavivos his potiri antelationibus, quòd è stirpe Austriacâ genus trahant. cúmq; id Spinuccius pernegaret; Rasettus, ut est memoriâ tenacissimâ, citavit Prosperi de Cãtelmis [9] hæc verba: *Sũt, qui dicũt, descẽdisse hãc clarissimam stirpem Aquavivam ab Austriâ Provinciâ, ex clarissimo sanguine Heroum Austriæ.* Citavit etiam Philippum Scaglium [10], dicentem: *Aquavivorum progenies (quæ ex Austriacis oritur) illustrissima, & nobilissima est.* Id quod exploratissimũ, subdit, ex eo quoque mihi videtur, quòd Regum nostrorum apud summum Põtificem Legati, ipsíque Reges, nunquam Adriæ Duces secùs habuerint, ac si esset Hispaniarum Primores, quos *Grãdi* vocamus [11]. Huic etiam rei auctoritatem conciliat, quòd Bavariæ Dux, qui suam quoque ad Austriacos originem refert, Aquavivos omnes Cognatos appellet, suósq; inter gẽtiles annumeret [12]. Fidem quoque etiam adjũgit, quòd Veneta Civitas, Excellentiæ nomine Duces Adriæ colat [13]: quam honoris prærogativam nulli non denegat, qui plenam, ac summam potestatem non ha-

9 *Prosp. de Cant.* quem sequitur *Campan. de famil. illustr. Ital.*

10. *Scagl. de antiquit. Terr. lab.*

11 Primũ non est, qui nesciat; secundum autem patet ex omnibus Regum ad Duces epistulis.

12 Atque hinc illud factũ opinor, quod Io: de Virg. in *Chron. Eccles. Rom.* c. 14. & 24. scripserit: *Aquavivorum familia ducit ortum suum è Germania, à Ducibus Bavarorum.*

13 Vt ex epistulis õnibus ad Duces Adriæ missis. Si unam, aut alteram velis legere, sunt in Sac. Cons. apud Archigrammateum de Litto, in actis, quorũ titulus: *Secondo volume di scritture.*

ha-

habeat. Accedit, quòd Aragonii Reges plus semel cũ Adriæ Ducibus affinitatẽ junxere [14]: nũquam Reges illi sanè facturi, si Duces Adriæ ex Regio sãguine genus nõ deduxissent. Postremò, siquid concedendum est famæ, ea, & frequens, & perennis, & constans est, Aquavivos suum genus derivare ab Austriacis. Aequis auribus hæc Spinuccius accepit; sed non est passus, suâ se de sententiâ dimoveri: atque, ad Vopisci [15] mentem, dicebat, neminem Scriptorum, quantum ad Historiam pertinet, non esse aliquid mentitum, & esse, in quo Livius, in quo Sallustius, in quo Tacitus, in quo denique Trogus manifestis testibus convinci possint: addebátque illud Livii [16]: *Datur hæc venia Antiquitati, ut miscẽdo humana divinis, primordia Vrbium* (Familiarum) *augustiora faciat*. Tum celeberrimus ille, Neapolitanâ in Academiâ Iuris Professor, atque humanioribus literis egregiè imbutus Blasius Cusanus: Quid adeò dissentitis? inquit. noster de Rubeis, Ducis Adriæ patronus, eidémque Duci perfamiliaris, proptereáque Aquavivæ amplitudinis facilè sciens, poterit vos ad concordiam adducere. constituite illum hujus dissidii æstimatorem, & judicem. Summâ voluntate fecerunt, jussérúntq; me sententiam dicere. Defugiebam arbitrium, dicebámque, non esse ampliùs controversiam de re, sed de jure, atq; ob id Cusanum ipsum constituendum disceptatorem,

illius

14 Cujus rei testes sunt Historici, Tabulæ nuptiales in Ducum Adriæ Tablino, & diplomata, de quibus posteriùs.

15 *Vopisc. in Aurel. Imp. lib. 5.*

16 *Liv. lib. 1. decad. 1, in princ.*

illius audiendam auctoritatem; nec esse meæ modestiæ coram illo jura tractare: sed recusantem Cusanus ipse suo jure me vicit. Tunc ego: Est, mi Spinucci, & mi Rasette, ut vos istâ de re concedatis alter alteri, & inter vos de hujusmodi non controversemini, non concertētis: vestrûm enim utriq; sunt rationum momenta, quæ ostendant, esse vera, quæ intenditis. Sunt sanè tibi, Rasette: quanquam enim multa Historicorum animum possunt à vero deflectere; tamen non est fides Historicis temerè adimenda: alioqui cùm Historia sit cognitio singularium, quorum memoriam conservari utile sit ad bene beatéque vivendum [17]; hac utilitate, atq; emolumento, non sine ingenti damno Reip. careremus. Ingenti profectò: nam præterquam quòd pulcrum est, non pati occidere, quibus æternitas debeatur; malefactorum etiā pœnas in historiâ, & bonorum præmia legas; quorum illa fugies, ne ultionis, quæ inde sequitur, severitatem patiaris; hæc autē amplectēris, ut præmia, quæ ex iis manant, consequi merearis. *Præcipuum munus Annalium reor*, inquit Tacitus [18], *ne virtutes sileantur: útque pravis dictis, factísque, ex posteritate, & infamiâ metus sit*. Et Livius [19]: *Hoc illud est præcipuè in cognitione rerum salubre, ac frugiferum, omnis te exempli documenta, in illustri posita monumento intueri: inde tibi, tuæque Reipublicæ, quod imitere capias: inde fœdum incœptu, fœdum exitu quod vites.*

[17] Voss. de art. hist. cap. 4.

[18] Tac. [illegible]

[19] Liv. præf. hist.

tes. Porrò rerum imperiti, qui unicuique rei, de rebus antè gestis, exempla petere non possunt; ii, per imprudentiam, facilè deducuntur in fraudē: at ii, qui sciunt, quid aliis acciderit, facilè ex aliorum eventis, suis rationibus possunt providere[10]. Nuncupat Historiam Cicero[11], *Magistram vitæ*, ac jure quidem optimo, nam, ut civilis prudentia præceptis docet severis, quid fieri oporteat; ita Historia præcepta illa condit varietate exemplorum, quò faciliùs animis inscribantur, atq; inhæreant. Hisce omnibus ergo & multis & magnis utilitatibus, compendiísque palàm fraudamur, jacéntq; in tenebris præclara facinora, nullis Historiæ luminibus illustrata, si magnam fidem Historici non inveniāt. Quis enim, aut condēdis, aut legundis historiis operam frustra insumat, & (quo nihil pretiosius) tempus dementissimè proterat? Quî verò Iurisprudentes aspernemur, & refutemus Historiam, si Gajus originem juris atq; processum demonstraturus, utrunq; Romanâ ex Historiâ non sine laude deprompsit[22]? si Iurisconsulti, suis responsis fidem adhibituri, non semel Historicos appellârūt? Enimverò tot sunt ad hāc rem juris loca, ut difficilè quis omnia recenseat. plurima qui volet, adeat Klokium[23], nonnullis & legibus & rationibus optimè ostendentem, in judiciis habendam fidem historiis, præsertim, si adminiculum aliquod accedat. Hæc sunt, Rasette,

10 *Auctor. ad Heren. lib.* 4.

21 *Cic.* 2 *de Orat.* De Historiæ laudibus vidēdus est *Vossius*, & quos ipse laudat *loc. ant. cit.*

22 *l.* 2. *de origin. Iur.*

23 *Klok. de contribut. c.* 2.

te, quæ faciunt me tecum ſentire, ſed nulla eſt cauſsa, cur noſtro etiam cum Spinuccio non ſentiam. etenim in regiam familiam adoptati eminentias quaſdam habent, perinde atque Regis cognati: jus enim agnationis [24], cognationis [25] adfert adoptio: eſt naturæ pediſſequa [26], ſimilitudo [27], imago [28]: & proinde adoptatus fit particeps honoris paterni [29], eúmque honorem propagat in liberos ſuos [30]. *Et ſit adoptivus nobilitate tuus*, modulatur Ovidius [31]. *Imitatur adoptio prolē*, canit Auſonius [32]. Hæc me dicente, germanus attulit illius adoptionis diploma, quod apud me ſervabatur, nobíſq; jubentibus, recitavit. Vt audivit Raſettus, cœpit lætitiâ geſtire, nimiáq; voluptate exſultans: Ego, inquit, ex contentione ſuperior diſcedam: his enim in literis nuſquam legitur verbum *Adopto*; nuſquam legitur, *Pateat Aula*; quæ duo quibuſdam id genus in codicillis me legiſſe memini. Tunc ego: Non poſſum, inquam, quin exclamem: O diem aſcriptam rebus grammaticis, vocabulíſque! Ioco, mi Raſette, an feriò hæc dicas, ignoro. An non, quum voluntas, & cōſilium, & ſententia intelligatur, graviſſimum crimen putabimus, in verborum interpretatione verſari, rem autem non relinquere ſolùm, ſed etiam prodere? An hoc dubium eſt, quin neque verborum tanta copia ſit, non modò in Latinâ linguâ, quæ dicitur eſſe inops, ſed

24 l. 23 ff de adopt.
25 l. 1, §. 2, ff. und. cogn. l. 4, §. 2. ff de grad.
26 Petrarch. dial. 79.
27 Cajus lib. 1. Inſtit.
28 L. 23, ff de liber. & poſthum.
29 L. per adoptionē, ff. de adopt. l. 5, & 6. ff. de Senat. Vid. Cujac. conſult. 56.
30 L. 10, ff. de Senat.
31 Ovid. faſt. 4.
32 Auſ. in Nerv.

ſed ne in aliâ quidem ullâ, res ut omnes, ſuis certis, ac propriis vocabulis nominentur, neque verò quidquam opus ſit verbis, quum ea res, cujus cauſsâ verba quæſita ſunt, intelligatur[33]? *Naturâ rerum conditum eſt*, inquit Vlpianus[34], *ut plura ſint negotia, quàm vocabula.* Quæ Lex, quod Senatuſconſultum, quod Magiſtratus edictum, quod fœdus, aut pactio, quod (ut ad privatas res veniam) teſtamentum, quæ judicia, aut ſtipulationes, quod pactum conventum non infirmari, aut convelli poteſt, ſi ad verba rem deflectere velimus; conſilium autem eorum, qui ſcripſerunt, & rationem, & auctoritatem relinquamus[35]? *Sermo, mehercule*, verba ſunt Ciceronis[36], *& familiaris, & quotidianus non cohærebit, ſi verba inter nos aucupabimur. denique imperium domeſticum nullum erit, ſi ſervulis hoc noſtris conceſſerimus, ut ad verba nobis obediant, non ad id, quod ex verbis intelligi poſsit, obtemperent. Neque verborum*, inquit Cajus[37], *neque ſcripturæ ulla proprietas deſideratur, ſed ſufficit, eos, qui negotia gerunt, conſentire.* Et ſecundum hoc, *ubi præſentiâ*[38], h.e. præſentis cõſenſu, & intelligentiâ[39] *opus eſt, mutus, ſi intellectum habet, poteſt videri reſpondere*, poteſt paciſci[40], poteſt in adoptionem dare[41], in adoptionẽ accipere[42], teſtamentum[43], atq; omnia[44] facere. Imò, ſi tacitis nobis, voluntas intelligi poſſet; verbis omnino non uteremur. quia non poteſt, verba reperta

[33] Sunt Ciceronis pro Cacin.

[34] *L. 4, ff. de præſcript. verb.*

[35] *Cic. loc. cit.*

[36] *Cic. ibid.*

[37] *L. 2. §. 1. ff. de oblig. & act.*

[38] *L. 124. de reg. jur.*

[39] *Gothofr. ad cit. l. 124. ex l. 209. de verb ſignif.*

[40] *L. 4. §. 5, ff. de pact.*

[41] *L. 29, ff de adoption.*

[42] Relatorũ enim eadem eſt diſciplina. *l. 41. de reg. jur.*

[43] *L. diſcretis, C. qui teſtam. fac. poſſ.*

[44] cit. *l. diſcretis.*

sunt; non quæ impedirent, sed quæ indicarent voluntatem. *Exemplis nunc uti videlicet mihi necesse est harum rerum omnium? non occurrit unicuique vestrûm*, infit Cicero[55], *aliud alii in omni genere exemplum, quod testimonio sit, non ex verbis totum pendêre jus, sed verba servire hominum consiliis, & auctoritatibus? Quorsum nomina*, inquit Tubero[46], *nisi ut demonstrent voluntatem dicentis?* Atque istâ quoq; de causâ, juris formulæ omnes, aucupatione syllabarum insidiantes, cunctorum actibus radicitùs amputantur[47], & scrupulosæ solennium verborum conceptiones, in donationibus[48], arbitriis[49], testamentis[50], bonorum possessionibus[51], denunciationibus[52], interdictis[53], emancipationibus[54], adoptionibus[55], sublatæ sunt. Quinetiã in ipsis verborum obligationibus, Leonina constitutio, sublatâ solennitate verborum, sensum, & consonantem intellectum, ab utráq; parte solùm desiderat[56]. Sanè prior, atq; potentior est, quàm vox, mens dicentis[57]. Quã ob rẽ, teste Paullo[58], nec oportet jus civile calumniari, nec verba captari, sed, quâ mẽte quid diceretur, animadvertere convenit. Enim-verò, non verbis, sed ipsis rebus sunt leges impositæ[59]. Quis nesciat, exheredationis verba hæc esse? *Filius meus exheres esto*[60]. *Filius exheres sit. Filius exheres erit*[61]: siquis tamen scripserit: *Filius meus alienus meæ substantiæ fiat*; filium, ex hujusmodi verborum conceptione, exhere-

45 Cic. ibidem.
46 Tuber. apud Cels. l. 7. §. 2, ff. de suppel. leg.
47 L. 1, C. de form. subl.
48 L. ult. C. de donat.
49 L. 4. C. de arbitr.
50 L. 15. C. de testam.
51 L. ult. C. de bon. poss.
52 L. , si quis, C. Theod. de denunt.
53 L. ult. C. de interd.
54 L. ultim. C. de emanc.
55 L. ultim. C. de adopt.
56 §. 1, institut. de verb. oblig.
57 cit. l. 7. §. 2, ff de suppel. leg. vid. l. 4. 15, & 28. C. de testam.
58 L. 19, ff. ad exhib.
59 L. 2. C. comm. de leg.
60 L. 2, ff de lib. & posth. & tot. tit. ff. de hæred. instit.
61 L. 17, ff. de lib. & posth.

heredatum intelligi[62]? nimirum, ſenſu reperto, verba negliguntur, & interpretatio non fit ad literam, ſed ad ſenſum[63]. At quem in modum interpretabere, mi Raſette, illa hujus diplomatis verba: *In Familiam noſtram, & in Domum de Aragoniâ aſciſcimus, aſcribimus, annumeramus?* Quâ mente? quâ voluntate? quo ſenſu id dictum putes? poſſem accuratè, & copiosè explicare, ſed quô, ſi Rex ipſe breviùs, & dilucidiùs exponit? *Volentes, quòd de cætero, in perpetuum, vos, veſtríque liberi, hæredes, & ſucceſſores utriuſque ſexus, nati jam, & naſcituri, ſignanter Ill. Andreas Matthæus, noſter Alumnus, Marchio Bitonti, tuus filius primogenitus, SITIS, & SINT de Domo, & Proſapiâ de Aragoniâ.* Quid, quæſo, faciũdæ adoptioni, aut apertiùs, aut planiùs diceretur? Quid eſt, ex Aquavivo fieri Aragonium, niſi in Aragoniam familiam adoptari? porrò cùm Aquavivi non ſint Aragonii naturâ, ſed lege; lege non erunt niſi adoptione: lex enim modum alium nullum unquam invênit, quo quis ex unâ familiâ in aliam tranſiret. Quid tibi videretur, ſi dictum eſſet, *Allegimus? Tranſducimus?* his tamen verbis utitur Suetonius[64]: *Gens Octavia à Tarquinio Priſco inter Romanas gentes ALLECTA, mox à Servio Tullio in Patritias TRANSDUCTA.* Quod autem monſtrum putares, ſi dictum eſſet, *Infundimus?* nihilominus eo verbo utitur Cicero[65]: *Tranſitiones à Plebe ſunt, cùm homines humiliores in alienum*

ejuſ-

62 L. 3. C. de lib. præt.

63 Gothofred. ad cit. l. 3. C. de lib. præt.

64 Suet. in Octav.

65 Cicer. in Brut.

ejusdem nominis INFUNDUNTUR genus. Quid quòd usurpatum est verbum *Asciscimus*, quo sanè verbo utuntur egregii Latinorum Scriptores? en Tacitum [66] dicentem: *Igitur Galba, apprehensa Pisonis manu, in hunc modum locutus fertur: Si te privatus, Lege Curiatâ, apud Pontifices, ut moris est, adoptarem, & mihi egregium erat tum Pompeii & M. Crassi subolem in penates meos ASCISCERE*. Et aliàs [67]: *C. Sallustius, rerum Romanarum florentissimus auctor, sororis nepotem in nomen ASCIVIT*. Ecce Pliniũ [68]: *ASCIVIT enim te filium non vitricus, sed Princeps*. Quid quòd verba *Adopto, Ascisco, Ascribo, Annumero* omnibus Lexicis, omnibúsque Latinis Scriptoribus sũt synonyma? *IN ADOPTIONEM quidẽ*, inquiunt A. A. [69] *alienæ Civitatis Civi rectè dato*. at Cicero [70]: *Perficiam profectò, ut hunc A. Liciniũ non modò non segregandum, cùm sit Civis, à numero Civium, verùm etiam, si nõ esset, ASCISCENDUM fuisse*. Et idem [71]: *Quæ cùm esset Civitas æquissimo jure, ac fœdere, ASCRIBI se in eam Civitatem voluit*. *SOCIAM te mihi ADOPTO*, infit Plautus [72], *Receptos ad se SOCIOS sibi ASCISCUNT*, infit Cæsar [73]: *A. Gabinius, belli maritimi, rerúmq; gestarum auctor COMES Gn. Pompejo ASCRIBITUR*, inquit Cicero [74]. Quid quòd *Adoptare* nihil est aliud, quàm *Asciscere*? *Unde intelligitur*, inquit Hotmanus [75]. *ADOPTARE idẽ esse, quod optione factâ deligere, atq; in familiã suã ASCISCERE*. Et Porphyrius [76], expo-

si-

[66] *Tacit. hist.* 1.

[67] *Tacit. ann.* 3, Nomen hic accipe pro eo quod originẽ gentis, et familiæ declarat. qua de re vide *Alciat. dispũct. lib.* 4. *c.* 1. vbi eleganter de prænomine, nomine, cognomine, & agnomine.

[68] *Plin paneg. ad Trajan.*

[69] *L. 8. C. de adopt.*

[70] *Cic. pro Arch.*

[71] *Cic. loc. cit.*

[72] *Plaut. Cist.*

[73] *Cæsar.*

[74] *Cicer.*

[75] *Hotm. inst. de adopt.* Adde *Voss. etymolog. Ling. Lat. verb.* Opto.

[76] *Porphyr.* apud *Connan. commẽt. jur. civil. lib.* 1. *c.* 15.

ſiturus illud Horatii: *Fit Mimermus, et OPTIVO cognomine gaudet:* i.e. *ADOPTITIO*, inquit, *& ASCITITIO*. Quæcũ ita ſint, mi Raſette, an ſis adeò difficilis, & refractarius, ut irritã putes adoptionẽ, niſi verbo *Adopto* concepta ſit? porrò, ſi ita facis (quod mihi minimè perſuadeã) opinione laberis quàm longiſſimè. Adoptio, ſi neſcis, hoc pacto celebrabatur[77]. Qui adoptabat, apud Prætorẽ, eũ, quem adoptabat, tenens, ita dicebat: *Hunc hominem FILIVM meum eſſe AIO, iſque mihi EMPTVS eſt hoc ære.* naturalis autem pater, uſq; ad tertiam mancipationem in jure cedebat; Prætor verò addicebat. Hinc Gellius[78]: *Adoptantur liberi cùm à parente, in cujus poteſtate ſunt, tertiâ mancipatione ceduntur, atq; ab eo, qui adoptat, apud eum, apud quem legis actio eſt, vindicantur.* Et Suetonius[79]: *Auguſtus Cajum, & Lucium adoptavit, domi EMPTOS per æs & libram.* Id, quod etiam eſt jam antiquatum: ſufficit enim quocunq; modo voluntatem oſtendi. *Veteres circuitus*, inquit Imperator[80], *in adoptionibus, quæ per tres emancipationes, & duas manumiſſiones, in filiis, aut per unam emancipationem in cæteris liberis fieri ſolebant, corrigentes, ſive tollentes; cenſemus, licere parenti, qui liberos in poteſtate ſuâ conſtitutos, in adoptionem dare deſiderat, ſine vetere obſervatione emancipationum, & manumiſſionum, HOC IPSVM, actis intervenientibus, apud competentem Iudicem MANIFESTARE, præſente eo, qui adoptatur, & non contra-*

dicen-

[77] Sigon. de jud. c. 12.

[78] Gell. 5. noct. 19.

[79] Suet. apud Sigon. ibid.

[80] L. 12. C. de adopt.

dicente, necnon eo, qui eum adoptat. Satis ergo, supérq; sit, si pater voluntatem demonstret. Num necesse erit, ut verbis hoc faciat? *Si pater naturalis*, respondet Callistratus [81], *loqui quidem non possit, alio tamen modo, quàm sermone, manifestum facere posit, velle se filium suum in adoptionem dare, perinde confirmatur adoptio, ac si jure facta esset.* An-non obtineat hoc etiam in adoptante? quidni? sanè quod juris in uno relatorum, idem & in altero esse censetur [82]. Nondum res tibi plana, Rasette, atque aperta videtur? ego quidem non austerè, & stoicè, sed æquiùs, atq; urbaniùs tecum agam. Demus esse futilia, quæ dicebam; jussit Rex, Aquavivos ferre nomen de Aragoniâ? jussit profectò. en ipsissima verba: *Sitis, et sint de Domo, & Prosapiâ de Aragoniâ, atq; in omnibus actibus, titulis, negotiis gerendis, atq; agẽdis rebus, INSCRIBAMINI, APPELLEMINI, INSCRIBANTVR, & COGNOMINENTVR DE ARAGONIA, SITQVE VESTRVM, ATQVE ILLORVM COGNOMEN DE ARAGONIA.* At quid hoc? Audiamus Connanum [83]: *Familia autem agnatos tantùm complectitur, hoc est eos, qui sunt ejusdem nominis. Quapropter, si quis testamẽto hæredem scripsisset, eúmq; jussißet FERRE NOMEN SVVM, VIDEBATVR ADOPTASSE EVM: velut Iulius Cæsar scipsit hæredem ex dodrãte Octavium, eúmq; in familiã, noménq; adoptavit, ut scribit Suetonius. At ipse Octavius Tiberium ex parte dimi-*

[81] L.29. ff. de adopt.

[82] cit. l. 41. de reg. Iur. ibiq; Gothofr. l ult. ff. de accept.

[83] Connan loc. c.

dimidiâ, & sextante, Liviam ex parte tertiâ hæredes instituit, & nomen suum ferre jussit. Quod in Iulio dixit: IN FAMILIAM, ET NOMEN ADOPTARE, id in Augusto FERRE NOMEN dicit Suetonius. Audiamus Eutropium [84]: *Octavius adolescens, annos octodecim natus, Cæsaris nepos, quem ille testamento hæredẽ reliquerat, & NOMEN SVVM FERRE IVSSERAT.* Paullò pòst: *Et quasi vindicaturus patris sui mortem, à quo PER TESTAMENTVM FVERAT ADOPTATVS* [85]. Cùm igitur Aquavivi sint jussi ferre nomen Aragonium, sunt omnino familiæ Aragoniæ adoptati. Velim etiam ne te illud prætereat, quòd scilicet tametsi mos ille retinẽdi adoptato suum nomen, sed leviter immutatum [86], Pliniorum etiam ætate in desuetudinem venerat [87]; tamen hâc in adoptione revocatus videtur: etenim, quos Aquavivos, ante adoptionem, Rex ipse vocabat *DE AQVAVIVA*, post adoptionem nũcupabat *de Aragoniâ AQVAVIVOS*: estque mihi præ manibus documentum. Tunc: Delicatula, inquit Cusanus, est hæc observatio, atque acutiuscula; sed nihilominus curiositatis ergô recitetur utrumque diploma. Primi [88] hæc erant: *Ferdinandus, Dei gratiâ, Rex Siciliæ, Hierusalem, &c. Ill: Viro Iulio Antonio DE AQVAVIVA, Duci Adriæ, Conversani, & Sancti Flaviani Comiti, armorum Capitaneo, Collaterali Consiliario, & AFFI-*

[84] *Eutrop. lib. 3.*

[85] Vid. *Brisson. de form. lib. 7.*

[86] Qua de re *Dio. lib. 47. Connan. loc. cit. Hotm. Inst. de adopt.*

[87] *Voss. lib. 1. de analog. c. 7.*

[88] Diploma adoptionis datum Neap. die 30. Aprilis 1479.

[89] Dati Materæ die 15 Maji 1481.

NI DILECTISSIMO, &c. Secundi [89] autem hæc: *Ferdinandus, &c. Cùm in mentem nobis veniunt magna merita, & officia Ill. olim Iulii Antonii de Aragoniâ AQVAVIVI.* Id fuit Cusano non minimæ delectationi: quúmque rem ego prosequerer, Cusanus est mihi interlocutus, atque: In tuâ, inquit, pro Duce Adriæ ad Proregem Oratione, memini, me secundi hujus diplomatis exordium legisse: & quoniam polito, urbano, & pereleganti est sermone conscriptum, videtúrque non-nihil facere ad rem, quâ de agitur: etenim, si bene memini; Rex habet ejusmodi mentionem Iulii Antonii, ut manifestum, palámque faciat, ejus memoriam sibi in medullis hærere; ideò, mi de Rubeis, ni tibi molestum fuerit, totum exordium recitetur. Illud autem hoc erat: *Cùm in mentem nobis veniunt magna merita, & officia Ill. olim Iulii Antonii de Aragoniâ Aquavivi, Adriæ, Theramique Ducis, Conversani, & Sancti Flaviani Comitis, quibus nos quocunque tempore, constantissimo animo prosecutus est; NIHIL est, quod ejus jucundissimæ memoriæ, ipsiúsque familiæ NON DEBERE existimemus: ejus enim opera, fides, officium, non minùs in bello, quàm in ocio, & non minùs foris, quàm domi, utile perpetuò nobis fuit. Erat enim iis animi, & corporis virtutibus præditus, ut nulla tam ardua, tam difficilis res esset, quæ ejus fidei, & industriæ mandari non posset, & quam ipse non libenti animo nostrâ caussâ susciperet, & commo-*

modiſsimè, atque ex noſtrâ ſententiâ perageret. Superioribus annis, cùm in Burgundiam, ad Ill. olim Carolum Burgundiæ Ducem, Ill. filium noſtrum Federicum legaviſſemus, fræti ſingulari virtute, atque integritate ipſius Ill. Iulii Antonii, eum proficiſcenti filio Comitem dedimus: qui tantâ apud ipſum noſtrum filium, in ipsâ Burgundiâ, virtute, atque integritate ſe geſsit, ut ipſi noſtro filio gratiſsimus ſemper fuerit. enituit enim in eâ peregrinatione ſingularis ejus virtus, modeſtia, conſilium, integritas, quibus ipſi noſtro filio adeò profuit, ut de nobis optimè meritum dijudicaverimus. Exortum eſt deinde bellum Hetruſcum, in quo, ejus operâ, ob rei militaris peritiam, & uſum, præcipuè uſi ſumus, & in Liguriâ apud Genuam, & in Hetruriâ, ubi bellum gerebatur, virtus ejus longè maxima fuit: egregiam enim operam nobis navavit, & effecit, ut multa feliciſsimè in eo bello geſta, ejus virtuti accepta retulerimus. Sequuto deinde tæterrimo, & nefario Turcarũ, noſtræ Fidei hoſtium, bello, qui urbem noſtram Hidruntum, ex improviſò, imparatam aggreſsi, vi expugnaverunt, ipſum Ill. Iulium Antonium, ex Hetruriâ, quæ jam confecto bello pacata erat, ad id ipſum bellum accerſivimus, in quo multa circa eam urbem, adverſus hoſtes, ſuo inſtituto & conſuetudine digna adminiſtravit, cùm ſe ſemper magno animo hoſtibus opponeret, & ultro etiam eos laceſſeret, averterétque ipſorum conatus, & latrocinia, quibus omnia infeſtabant, prohiberet. Sed accidit (QVOD NON SINE SVMMO MOE-

RORE COMMEMORABIMVS) ut quodam die, cùm hoſtes, qui prædatum ex urbe exierant, prædâ eis vi ereptâ, acriùs proſequeretur; eruptione ab iis, qui in urbe remanſerant, factâ, dum fortiſsimè, pro Religione, pro fide, pro Regni libertate pugnaret, miſerando caſu, publico omnium luctu occubuerit. cujus interitum, tam alieno tempore, ACERBISSIME tulimus, & tanti Viri jacturam (VT DECVIT) VEHEMENTER INDOLVIMVS. Cùm igitur toto ipſius vitæ curſu de nobis ſemper benemereri ſtuduerit; noſtri officii putavimus, INSIGNI aliquo argumento oſtendere QVANTOPERE ipſum Ill. Iulium Antoniũ, DVM VIVERET, diligeremus, & quàm gratâ, & jucundâ memoriâ mortuum proſequamur. Quare cùm acceperimus veridicâ expoſitione nobis factâ per Ill. Andream Matthæum de Aragoniâ Aquavivum, ipſius Ill. Iulii Antonii primogenitũ, Adriæ, & Therami Ducem, Bitonti Marchionem, & Comitem Converſani, Sancti Flavianique, AFFINEM, alumnum, & Conſiliarium noſtrum fidelem dilectiſsimum, &c. Excuſſit lacrimas ex oculis quorundam mollis teneráque iſta præfatio, dicebántque, eſſe Regis illuſtrem de Iulio Antonio veluti panegyricum, adoreámque Aquavivis gloriæ ſempiternam. Addidit Matinus, perfamiliare Aquavivis eſſe, pro Regibus ſuis, pro Religione nunquam non mortem oppetere, memoritérque recitavit verba Summi Pontificis Gregorii, hujus nominis XIV,

ad

ad Cardinalem Octavium Aquavivum sic alloquentis [90]: *Romana Ecclesia, cæterarum omniũ mater, & magistra, in deferendis præcipuis honoribus, delectum habet virorum, virtute & meritis præstantium, quibus gravissima quæque, & maximi momenti negotia, ad eam undique in dies confluentia, tutò committi possint, ut in iis expediendis pastoralis Romani Pontificis solicitudo, cui universalis Ecclesiæ cura incumbit, aliqua ex parte sublevetur, ac cognitæ, & spectatæ virtuti cõgrua præmia tribuantur. Cùm igitur nobis nuper summæ curæ esset, aliquot hujusmodi viros in amplissimũ ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinaliũ Collegium assumere; invocato divinæ gratiæ auxilio, Te in primis, qui ex veteri Adriæ Ducum Familiâ, quæ cùm aliàs de Romanâ Ecclesiâ præclarè merita, tũ maximè in vindicandâ Marchiâ nostrâ Anconitanâ à factionum impetu, ac bello Hidruntino, contra Turcas, in quo Iulius Aquaviva gloriosè occubuit, originem ducis, ac dilecti filii, Nobilis Viri Ioannis Hieronymi Ducis Adriæ natus, & Ioannis Vincentii pronepos, ac Iulii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium de Aquaviva nuncupatorum, ac Rodulphi, qui superioribus annis, pro fide Catholicâ, apud Indos, mortem constantissimè pertulit, frater germanus existis, &c.* Recitavit etiam in Patrem Rodulphum (Auctorem non memini) hoc epigramma:

[90] *In diplomate prid. Non. Mart. MDXC.*

Dum cadit, innocuum fundens Aquaviva cruorem,
Qui pàr Christo annis, vulneribúsque fuit;

Quàm

Quàm lætor! Franciſcus ait: quæ vulnera vivus
Ipſe tuli, moriens illa Rodulphus habet.
Vivere qui voluit quino me vulnere Chriſtus;
Vulnere te quino vult, Aquaviva, mori.
Chriſtum morte refers, ego vivus præfero Chriſtum;
Effigies Chriſti eſt mors tua, vita mea.
Vulnera habet moriens, & ſurgens Chriſtus: Imago
Ipſe reſurgentis, tu morientis eris.

Cùm probatum omnibus eſſet hoc epigramma; Federicus Meninnus, Vir bonis artibus præclariſſimus: Memini, me legiſſe, inquit, apud nobiliſſimum poëtam, Ioannem Baptiſtam Marinum [91], hoc materno ſermone epigramma ad Ducem Adriæ, eorundem Rodulphi, atque Octavii genitorem. ille ſic habet:

91 *Ioan. Bapt, Marin. in lib. cui titulus:* La Lira.

Hai ben' onde gioir, qualhor frà noi
Gli occhi abbaſsi quagiù da' ſommi giri
Anima illuſtre; e ne' gran figli tuoi
Tanti tuoi pregi, anzi te ſteſsa ammiri.
Altri là volge armato i penſier ſuoi,
Ov' honor vero, e vera gloria il tiri:
Altri del grand' Ignatio i ſacri heroi
Regge, e chiude nel cor ſanti deſiri.
Mà tu mira frà lor, ſi come queſti,
Ch' n pace, e' n guerra il tuo valor pareggia,
Nutre in petto real voglie celeſti:
E de l'eterno amor mentre fiammeggia,
Emulo ancor de l'altro, il qual le veſti
Del ſuo ſangue lavò, d'oſtro roſſeggia.

Sub-

Subdit verò Meninnus:& quoniam ille idem,qui noſtri de Rubeis aliquot Certamina hexametris illigavit, hos Marini verſus Latinis carminibus reddidit,& ſcio, à vobis eum maximi fieri;audite quàm præclarè id fecerit:

Inclita regna colis,quæ jam mens hoſpes olympi,
Et felix diâ lumina luce beas;
Cùm tua declinas ad noſtras lumina terras;
Vnde tibi repleant gaudia pectus habes.
Egregios animos natorum & facta tueris;
Te magis in natis cernis at ipſe tuis.
Hic etenim ſequitur bellator ſigna Gradivi:
Vera quibus conſtet gloria, verus honor.
Magnanimas nutu Ignati regit ille phalanges,
Sidereáſque poli quærit anhelus opes.
Sed tamen hos inter videas quem tempora pacis,
Quémque tibi ſimilem reddere bella queunt.
Volvat olympiacas regali ut pectore curas,
Et dio, & roſei muricis igne flagret.
Olli par conſtat virtus,atque æmulus ardor,
Qui VIVAS Fidei murice tinxit AQVAS.

Hæc præclariſſima quidem ſunt, Cuſanus infit, ſed Andreæ quoq; Matthæi, de quo paullò antè, memoria & recordatio jucunda ſanè mihi videtur. tranſtulit is in Latinam linguam opuſculum illud Plutarchi de Virtute morali, & præclariſſimis Commentariis illuſtravit. quibus Commentariis (ut vidi apud juris, & literarum lumen, &

co-

columen,optiméque moratum Virum illum,Hieronymum Borgiam)quũ A.D.MDCIX, doctissimi Germani ea recuderent; hunc titulum reposuere: *Andreæ Matthæi Aquavivi, Principis, omnibus belli & pacis artibus Excellentissimi, Adrianorum, Interamnatúmque Ducis, illustrium, & exquisitarum Disputationum libri quatuor, quibus omnis divinæ, & humanæ sapientiæ, præsertim animi moderatricis, Musicæ, atque Astrologiæ arcana in Plutarchi Chæronei de virtute morali præceptionibus recondita, summo ingenii acumine retecta, patefiunt, & figuris suo quæque loco illustrantur. Opus præclarum, unde Princeps, ad reficiendum ex reipub. curis animum, documenta sibi petat*. Scripsit quoque nobilem æquè, atque eruditum librum, qui *Encyclopædia* inscribitur, eáque omnia, summâ cum animi voluptate perlegi. Ab eodem de re equestri librum conscriptum Belisarius ejus frater in suo de venatione libro testatur. Andream hunc Matthæum Alexander ab Alexandris, suis genialibus in diebus, post aliquot verba, ita præfatur: *Rursus commentatiunculas meas, qualescunque forent, cujus patrocinio tutò committerem potiùs, quàm tuo, habebam neminem. Solus tu mihi occurrebas, cujus ingenii præstantem vim, & dicendi facundiam noscitabamus: cujúsque, præter familiæ genus inclytum, prætérque avitam gloriam, fortunæque, & animi dotes, etiam acre judicium, examussim, de studiis bonarum artium, & omni antiquitate,*

sæpe-

ſæpenumerò factum audieramus. Iovianus verò Pōtanus, quum Andreæ Matthæo *de Magnanimitate* librum dicaret, in hæc verba eum alloquitur: *Majores tui, Andrea Matthæe, à quibus Aquavivorum familia ducit originem, longâ quidem ſerie, pérque complura etiam ſæcula, magnâ cúm benevolentiâ, majore etiā auctoritate, & gloriâ, Veſtinorū Populis dominati ſunt: quorum tranquillum, ac diuturnum imperium, gubernādi lenitas potiſſimùm auxit, ſtabilivítque, gravitate tamen, pro cauſis, ac temporibus, modeſtè admodum, prudētérque temperatâ. Atque illi quidem ad Ioſiam uſque avum, atque ad Iulium Antonium, patrem tuum, delectati bellicis tātùm ſtudiis, in eo genere laudum, excellentiæque claruerunt. Pater verò tuus, cùm minimè quidem aſſequi poſſet quod maximè utique cupiebat, ut militaribus ornamentis laudes eas adjungeret, quæ è literarum comparantur ſtudiis, atque cognitione; illud tamen ſummâ curâ, ſingulari etiam diligentiâ præſtitit, & operâ, quò túque, fratréſque item tui, quādiu ætas cujuſque tulit, optimis ſub præceptoribus inſtituti, ita erudiremini, ut cùm ætas ipſa firmior jam, magíſque robuſta ad tubā vocâſſet, ac gladium; ipſis è ludis literarum, atque hiſtoriarum de lectionibus, animi magnitudinem, cúmque eâ pariter, maximorum vobiſcum Ducum, atque Imperatorum exempla in aciē afferretis. Nam & ipſe ſic bonarū artium ſtudiis dediſti operam, ut equeſtribus tamen copiis, diverſis etiam in bellis, non ſemel fortiter ſimul prudentérque præfueris, & militare decus, ac belli gloriam ita*

es assecutus, ut philosophia, cæteræque artes bonæ, te & authore, & magistro glorientur, & seni jam mihi, atque annos plurimos maximis in rebus agenti, gloriari etiam liceat, vidisse tandem principem virum, & in mediis philosophantem belli ardoribus, & philosophum inter libros, naturæque ratiocinationes, tractantem Ducum artes, muneráque Imperatoria, utrumque cum dignitate, neutrum sine suo, & decore, & laude. Audite, si lubet, hunc in Ducem Sannazarii epigramma[92]:

[92] Sannazar. Epigram. lib. 2.

Cernis, ut exultet patriis Aquivivus in armis,
Duráque spumanti fræna relaxet equo?
Quis miteis illum Permessi hausisse liquores
Credat, & imbelleis excoluisse lyras?
Consurgunt niveæ fulgenti in casside cristæ:
At clypeus torvo Gorgonis ore tumet.
Macte animo, rigidum Musas qui stringere ferrum,
Qui Martem doctos cogis amare choros.
Hæc Ducis est virtus, non uni insistere palmæ,
Sed nomen factis quærere, & ingenio.

O carmina quidem præclara, ego dicebam, atq; blandissima! ut redolent patrem Syncerum! ut patriam Mergillinen! Tunc Iosephus Destitus, Vir humaniorũ literarum ad miraculum usque sciẽs: Ex quo, infit, injecta est mentio de Belisario; recitabo in eum nobilissima duo epigrammata: unum Ioannis Latomi, alterum Sannazarii, qui Belisarium, & militaris disciplinæ, & literarum egregiè

peri-

peritum, singulari quodam artificio demonstrāt. Enimverò scripsit Belisarius, non modò de Venatione, & Aucupio [93], sed etiā de Liberis instituēdis, de Singulari certamine, ac pleraque alia. Vt verum sanè sit illud, quod est apud Campanū [94]: *Aquavivorum Familia plena Ducibus, Viris illustrissimis, atque eruditissimis.* Eruditissimis omnino: etenim Robertus de Aquavivâ [95] edidit libros de Disciplinâ Regum, de Calamitatibus Italiæ, de Fato, & Fortunâ, de Consuetudine, de Abusibus rerum Mundi. Cardinalis Albericus de Aquavivâ [96] libros conscripsit innumeros, quorum exstāt hodie nonnulli: nempe de Principiis regnorum, de Supremâ B. Petri, & Ecclesiæ Romanæ Potestate, SS. Petri, & Paulli Gesta, de Ineffabili Trinitate, de Animæ Immortalitate, de Modo in cœlum ascendendi, de Adoratione, ac Veneratione, in Genesim Commentaria, & librum, cujus epigraphe *Philosophus.* Sed ecce Latomi de Belisario epigramma:

Dum gravis incumbit sævos Aquivivus in hostes,
Vincendique aperit dextrâ animóque viam:
Contigit interea lustrantem castra Gradivum,
Arma ubi pendêrent non sua, ferre pedem.
Solvit, pertentat; vocis modulamine captus,
Perstitit invitam sollicitare chelyn.
At veritus, dominum mox hostibus adfore fusis;
Ille quidem vincat, sed capiatur, ait.

93 Teste *Tiraq. de Nobilit. c. 37. n.* 145.

94 *Cāpan. loc. cit.*

95 Floruit Robertus An. D. 1283. *Campan.* ibid.

96 Card. Alberic. florebat A. D. 1061. *Camp.* ibid.

Quid, vesane, tibi pro talibus imprecer ausis,
Ni citharam ut quantum classica semper ames?

Hoc est, ut dicebam, Ioannis Latomi: illud autem Sannazarii [97] hunc in modum se habet:

97 Sannazar. lib. cit.

Illa Deûm lætis olim gestata triumphis,
Claráque Phœbææ laurus honore comæ,
Iampridem malè culta, novos emittere ramos,
Iampridem baccas edere desierat:
Nunc lacrymis adjuta tuis revirescit, & omne
Frondiferum spirans implet odore nemus.
Sed nec eam lacrymæ tantum juvere perennes,
Quantum mansuro carmine quòd colitur.
Hoc debent, Aquivive, Duces tibi, debet & ipse
Phœbus: nam per te laurea sylva viret.

Pulcherrima sanè epigrãmata, digna cedro, atq; auro, omnes unâ voce clamavimus. Tunc Vincẽtius Vidmãnus, Vir amœno, elegãtíque ingenio: Cur, mi Destite, inquit, nullã habuisti mentionẽ de præstantissimo, omnibúsque seculis memorãdo, Claudio Aquavivo, Illustrissimæ Societatis Iesu Præposito generali? An nescis, eum scripsisse librum omnibus numeris absolutum de Industriis ad curandos animæ morbos, in aliquot Psalmos præclarissima Cõmẽtaria, celeberrimásque Epistolas de Renovatione spiritus, & Vnione fraternæ charitatis? Enim-verò Vir fuit usque adeò necessarius, ut dicãt Societatis P.P. [98] *Si VIVA Claudii AQVA semina à B. Ignatio jacta non irrigarẽtur,*

98 Teste D. Paul. Anton. de Tars. Histor. Cupersan. lib. 2.

tur; penè arescerent. Ignatius siquidē plantavit, AQVA-VIVA rigavit, Deus autem incrementum dedit. Audi de Claudio, ejusdē Societatis Virum maximum, Virum de re literariâ, déque scientiis omnibus optimè meritum, Franciscum Acerbum. ille in libro, cui titulus: *Aegro corpori à Musâ solatium*, hoc pacto modulatur:

Iure tuas, hospes, lacrimas Aquaviva reposcit:
An VIVAE desit flebile munus AQVÆ?
Huic operosa parem si postera cuncta laborent,
Irrita diffident edere secla virum.
Altiùs emeriti repetas si sanguinis ortum;
Clarior à priscis jugiter extat avis.
Sed natale decus mavult Aquaviva sileri:
Mergere nativis stemmata gaudet aquis.
Néve verecundo cineres plectamus honore;
Sustinet hoc generis lingua silere decus.
Egregias verò laudes, decora inclita mentis,
Cælitis & vitæ facta tacere nefas.
Non ulli vires animi, non vivida virtus
Major, & infracti pectoris alta quies.
Nullæ illum fregere minæ: non jussa Potentum;
Vt scopulus celso vertice fregit aquas.
Obstitit & Regum jussis, stat nescia flecti
Cura tenax recti, mentis & altus honos.
Nil tamen hoc animi robur detraxit amori:
Robore cum valido fœdera junxit amor.
Inconcussa quies animi, frontísque serenæ

Mu-

Mutavit nullis casibus acta vices.
Molliit in cunctos pietas dulcedine mores:
Noxia non ullas excitat ira faces.
Pulsa lues quæcunque procul prognata marinis
Fluctibus, hoc vivo mergitur amne Venus.
Instabiles Aulæ dudum pertæsus honores,
Vritur Ignati vivus ab igne latex.
Ignavam officii capiant ne oblivia mentem,
Ignati Soboles, munera disce memor.
Loyolæ debes natales ignibus ortus;
Hujus erunt VIVÆ cetera munus AQVÆ.
Est pudor ista tuæ arescant tot munera menti,
Quæ rigat assiduis vividus amnis aquis.

Nō erat mihi animus, respondit Destitus, Aquavivos omnes doctrinâ præclaros nominatim laudare. quòd si voluissem; poteram Iani Pelusii Crotoniatæ hoc adducere de Duce Adriæ, Ioanne Hieronymo, epigramma:

Mavortis sequitur bellator castra, trophæa
Gaudet & ad patriam parta referre domum:
Venator canibus nemorum loca devia lustrat,
Hirsutásque capit nocte diéque feras:
Vitam audax fragili committit navita ligno,
Et facit huc illuc per maria alta viam:
Agricola incurvo campos proscindit aratro,
Atque suo lætus tempore farra metit:
At tu qui Cyrrhâ nutritus in urbe, Camænas
Sæpius Aonias in tua vota vocas:

Car-

Carmina componis quæ nunquam destruat ætas,
Posteritásque libens tempus in omne legat.

Adduxissem ejusdem Pelusii ad Iulium, ejusdem Ioannis Hieronymi filium ista:

Cultor Pieridum novem sororum
Aquivive puer, modos & artes
Qui illarum didicisti, & audienda
Doctis auribus eruditiorum
Fundis carmina dulciora melle,
Oro te per Apollinem comatum,
Et per Pontificem Pium, carinam
Qui Petri moderatur arte tantâ,
Tantóque ordine, ut orbis obstupescat,
Feras auxilium meo libello,
Qui nullis decoratus umbilicis,
Invito domino, suo patrono,
Audet judicium subire vulgi,
Ne Momis, Criticísque, Zoilísque
Conjurantibus in meam ruinam
Et malum, intereat miser, priusquam
In lucem veniat. negabit ævum
Si illi Calliope perenne; forsan
Tuo præsidio, & tuo favore,
Non temnetur ab optimis Poëtis.

Citâssem ejusdem purpurati Patris Octavii in templo primario sepulcralem epigraphen, quæ epigraphe sic habet:

Octavio Aquavivo Aragonio, Archiepiscopo Neapolitano,

tano, Purpuræ, & literarum maximè Græcarum ornamento, Majorum decora adepto, quæ fuerũt è Rep. Christianâ, in Pontificiis præcipuè comitiis, atque in Avenionensi legatione, cùm arderet Provincia civilibus discordiis, arderẽt bello Galliæ; strenuè cuncta executo, in omni vitâ singularẽ magni consilii, excelsi animi lauream promerito, &c.

Indicâssem etiã quæ de familiâ Aquavivâ, ejúsq; complurimis Heroibus habent Summontius, Tarcagnotta, Iovius, Campanus, Admiratus, Boccalinus, Zazzera, Tarsia, iidémque Sannazarius, & Pontanus, ac plerique omnes. Quæ edidere de Claudio Damianus, Alegambus, Masculus, & alii nobilissimi Scriptores. Quæ de superstite purpurato Põtifice Octavio, Iosiæ, Ducis Adriæ, patruo, Viro amplissimo Viro incomparabili, Viro ter maximo: quæque in eundem Ducem, & Rodulphum ejus germanum fratrem (quem, ob egregias animi dotes, excellentem doctrinam, résque pro Sũmis Pontificibus præclarissimè gestas, Dibaphus, nec fallor, vehemẽter expectat) quæ, inquã, in hos scripsere nõnulli, quos inter Acerbus, Cusanus, & Grossus. Narrâsse, quæ de familiâ Aquavivâ, déque eodẽ Duce Iosiâ, ingeniorũ illud miraculum Carolus de Ferrariis nuper copiosissimâ atque admirabili oratione exposuit nobilissimâ celeberrimáque in Ociosorum Academiâ, quum ejusdem Academiæ Principatus eidẽ Duci,

ci,omnium Academicorum sẽtentiis, & civitatis totius maximo plausu daretur. Addidissem, mulieres etiam Aquavivas literarum scientissimas: quâ de re Frãciscus de Petris suis in problematibus. Cùm hæc Destitus diceret; Michaël cœperat recitare Sannazarii [99] carmina illa:

[99] Sannazar. Eleg. libr. 3.

Hîc ego te, laudésque tuas, fortissime Iuli,
Non sileam, & validâ prælia gesta manu.
Quem titulis Aquiviva Domus prælustribus ornat,
Mortalésque inter, Semideósque locat.
Et jam militiæ moles tibi creditur omnis,
Omnia sub leges allicis ipse tuas.

Interpellavi dicentem, & ad rem, inquam, revertamur: non enim dies modò, sed anni etiam nos deficient, si Duces Adriæ (Aquavivorum omniũ fontẽ, & caput) collaudare velimus. Quis eorum antiquissimam, atq; excellentissimam nobilitatẽ, nunquam sceleribus fœdatam, nunquam imparibus maculatam connubiis, sed omni tempore illibatam, pro dignitate, commendet? Quis aut ex gente Aquavivâ infulatos, aut purpuratos Patres dinumeret? Quis exercituum Duces, Imperatorésque Aquavivos recenseat? Quis illũstres eorũ titulos, ingentes honores, summa Regni munera, luculentas divitias, amplissimas ditiones enarret? Quis fortitudinem, munificentiam, fidem, justitiam, ceterásque eorum virtutes commemoret? Revertamur, inquã. Sũmâ ratione Cusanus dice-

bat, mi Rasette, exordium illud nonnihil negotio conducere: etenim, si caritas [100], si meritum [101], nos veluti manu ducunt ad aperiendam decernentium voluntatem, & caritas Regis in Ducẽ tanta erat, ut ejus mortem acerbissimè tulerit, vehementer indoluerit, & non sine summo mærore commemoret: Ducis autem merita in Regem tãta, ut Rex ipse profiteatur, *NIHIL* esse, quod ejus memoriæ, ejúsque familiæ se *NON DEBERE* existimet; qualem putes fuisse Regis voluntatem, quum Adriæ Ducem, paullò antè, in suam familiã ascivit? His adjice, benefacientium voluntati cognoscendæ, indagandæque, multum opis afferre beneficiariorum dignitatem, intérque ipsos necessitudinem [102]: quo igitur sensu opineris ascitũ ab Rege Ducem sibi affinitate conjunctum, & Ducem totâ in Europâ antiquissimum [103]? An eâ versaris in hæresi, ut putes Ferdinandum Aragonium ulli unquam ampliora beneficia dedisse, quàm Iulio Antonio de Aquavivâ? Porrò, si Regis in Ducem benivolentiam, si Ducis merita, & dignitatem, si inter ipsos necessitudinem spectaveris, spectaverísque cõsuetudinem Ferdinandi, cui (ut Aragoniis omnibus) nihil remuneratione, nihil vicissitudine studiorum, officiorúmque jucundius; aut nobiscum te sentire oportebit, aut audies omnino pertinax, & refractarius. Adderé, Iulium Antonium fuisse ab Rege ipso regiis pó-

pis,

100 *L. 50, § ult. ff. de legat. 1.*

101 *L. 9, ff. pro soc.*

102 *Cit. l. 50, § cit.*

103 Vt probat Zazzera, *de famil. Illustr. tit. de famil. Aquaviva.*

pis, & non ſecùs ac filium funeratum[104]. Adderem, eundem Ferdinandum matrimonio junxiſſe Andreæ Matthæo ſuam ex filiâ neptem Eliſabetham: quâ exanimâ, *Catharinam de Rathâ, mortuo D. Cæſare Aragoneo, Ferdinandi Regis filio, ejus primo viro, nuptam iterum* eidem *Andreæ Matthæo Aquavivo Adrianorum Duci*[105]. Sed quorſum indicia in re manifeſtâ, & luce meridianâ clariore? Verùm demus, hæc non ſatis evincere: Donavítne Rex Aquavivos inſignibus Aragoniis? Donavit his verbis, ſi bene memini: *Præterea plenam, atque amplã conferimus poteſtatem arma noſtra deferendi, & faciẽdi; quibusquidem armis, vos, liberos, hæredes, & ſucceſſores veſtros donamus, ac vos iiſdem inſignimus, & honeſtamus.* Atqui, *per arma fieri poſſe filium*, verba ſunt Caſſiodori[106], *grande inter gentes conſtat eſſe præconium.* Etenim, *ut olim Romani per Populum, & Prætorem adoptabant; ita cæteræ bellicoſæ gentes, per arma filios ſibi aſciſcebant, ideſt armorum traditione*[107]. Armorũ, hoc eſt, Inſigniũ: etenim inſignia gentilitatis arma ſunt militiæ, quæ ipſa primùm, ut ſimile eſt veri, virtutis præmia fuerunt, & rerum præclarè geſtarum decora[108]. Vt non ſit audiendus Valla[109] (obiter hoc annotem) qui increpat utentes voce *Arma* pro voce *Inſignia*: ſi enim inſignia in armis, maximè verò in ſcutis, & clypeis, tum antiquis, tum noſtris hiſce temporibus, depingi ſculpíve conſueverunt, ut hinc milites ga-

[104] *Anton. Galat. hiſtor. bell. Hydrunt.*

[105] Verba ſunt ſepulcralis epigraphes ejuſdẽ Catharinæ in æde B. Franciſci hìc Neapoli.

[106] *Caſſiodor. variar. 3.*

[107] Verba *Annot. ad Caſſiodor. loc. cit.*

[108] *Bud. ad l. poſter. de orig. jur. Haping. de jur. Inſign. c. 1.*

[109] Teſtib. *Gaſpar. Theſ. ad cit. deciſ. 270, & Haping. loc. cit.*

leati dignoſcerentur [110]: atq;arma propriè ſcuta ſunt,quæ armos tegunt [111];quid eſt quominus vocabulum *Arma* pro vocabulo *Inſignia* uſurpetur? Sed ad inſtitutum ut redeam;Adoptati, inquam, cenſentur, qui inſignibus donati ſunt. quemadmodum enim chlamys militem, purpura Regem, infula ſacerdotem oſtendit [112], ita inſignia agnationem,& familiam arguunt [113]: ac talis exiſtimatur quis, quale nomen, atque inſignia gerit [114]. Quum hæc dixiſſem,Raſettus: Adeò dilucidè, atque accuratè,inquit,rem, de Rubeis, explicâſti, ut ſim cos, ferrum, adamas, ni haſtam abjiciam, fateárque me victum. Verùm duo ex te ſciſcitabor. Primum, an cauſa reddi poſſit ulla, quamobrem Ferdinandus nõ uſurpârit verbum *Adopto*. Secundum, nihílne officiat rei, quâ de agimus, quòd non ſit dictum: *Pateat Aula*. Tunc ego: Ampliſſimum mihi, Raſette, dicendi campum aperis: ſed,ut vides, Sol eſt in occaſum declivis, & antequàm occidat, eſt mihi grave negotium extra domum: brevibus igitur ſatisfaciam. Non uſus eſt Ferdinandus verbo *Adopto*: *Nova* enim *in Remp. merita, non uſitatis vocabulis honoranda* [115]. Verbum *Adopto* eſt compoſitum ab *Opto*; *Opto* autem eſt à græco verbo ὄπτω, ſive ὄπτομαι, quod eſt, *Video Conſidero*:ut *Opto* propriè ſit *Conſiderare*, *Conſideratè eligere* [116]. Non uſus eſt ergo Rex verbo *Adopto*, ut Iuliũ Antonium, ejúſque familiam extraordi-

110 *Hœping. ibid.*
111 *Voß Etymolog. ling. Latin.*
112 *Hœping. loc. cit.*
113 *Hœping. ibid.*
114 *Hœping. ibid.*
115 *Tacit. Annal. 11.*
116 *Voſſ. Etymolog. ling. Latin. verb. Opto.*

nario, & singulari quodam honore prosequeretur: ostẽdendo, nullâ consideratione opus fuisse ad Iulium Antonium, ejúsque liberos sibi asciscẽdos, sed cæcis (quod ajunt) oculis, Aragonios inter Heroës, Semideósque (ut ita loquar) annumerãdos, atq; in tabulas Aragoniæ Familiæ ascribendos. Illud, quod apertissimè, optiméque ostendunt ea Regis verba: *Quanquàm autem ad ampliora, insigniora que in te ipsum conferenda voluntas nostra intendat, meritáque tua postulent, te in præsentia eundẽ Iulium Antonium, ad majorem amoris nostri declarationem, licèt SATIS IPSE PER TE NOBILIS, ET ILLVSTRIS SIS, tenore hujus nostri privilegii, & decreti, déque nostrâ certâ scientiâ, proprii animi motu, MERITISQVE QVIDEM TVIS HOC EXPOSCENTIBVS, in familiam nostram, &c.* Atque hanc etiam ob rem usum Regem fuisse arbitror synonymiâ, *Asciscimus, Ascribimus, Annumeramus*: vtimur enim hâc figurâ, quoties uno verbo non satis videmur dignitatem, aut magnitudinẽ rei demonstrare. Nunc jam ad alteram percontationem quòd attinet, curiositatem tuam explebo, si ego te vicissim aliquibus de rebus interrogem. et quandò es vir ingenuus, ad ea, quæ te rogo, responde. Operiunt caput, sedéntque, nécne coram Prorege, quibus formula adoptionis Aulã patefecit, nec sellâ, aut pileo expresse donavit?

Operiunt sanè, sedéntque. at nónne majori præ-

rogativæ ducitur jus pilei, sedísque, quàm Aulæ? quâ ergò ratione, & operiunt caput, & sedent, si codicilli adoptionis ista non exprimunt? nónne jure adoptionis, quòd ista scilicet hæc omnia cõplectatur? An putas, cui plus licet, quod minus est non licere [117]? An putas, adoptionem hanc, nomine, atq; insignium tenus Aquavivis profuturam? Nónne illa verba, *SITIS, ET SINT DE DOMO, ET PROSAPIA DE ARAGONIA*, fecere Aquavivos Aragoniis cognatos; imò Aragonios, & Regi suos? An putas, Aragoniis Heroibus standum, & nudo capite, coram Prorege? Nónne semper parentis interest, filium servitutem nõ subire? [118] Nónne servitus filiorum ad dolorem nostrum, injuriámque nostrã porrigitur [119]? Hæc, mi Raresette, sufficiant: sed si tibi nondum satis est factum; rem in aliam diem rejiciamus: nam hodierna me deficit. Comprobârunt amici, & Rasettus ipse cuncta, quæ, dixeram. Imò: Iubemus, inquiunt, totum hoc negotiũ te, de Rubeis, perscribere, redigeréque tua inter forẽsia Certamina, mox edẽda. Multa caussabar, sed tandem promitto, & suam quisque viàm abivimus.

117 Repugnante l. 21, ff. de reg. jur.

118 L. 1, ff. de liber. caus.

119 L. 2, ff. eod.

FINIS.

IN

PRIMA QVATVOR

DOMINICI DE RVBEIS

FORENSIA CERTAMINA

PARAPHRASES

HEXAMETRIS ILLIGATÆ.

ILLVSTRIS. AC REVERENDIS. DOM.

D. RODVLPHO

AQVAVIVO ARAGONIO

Michaël de Rubeis F.P.

VIſum eſt viro mihi amiciſsimo, & quo tibi addictior nemo, Illuſtriſsime, ac Reverendiſsime Domine, experimentum facere, an duri, aſperique Advocatorū agones poſsint molliri carminibus, ideoque aliquot forenſia Dominici mei germani fratris Certamina hexametris illigavit. Miſit ad me, ut ederem, tibique, id quod perlibenti animo facio, dicarem. Miraberis Muſas litibus immixtas, ad tribunal devolutum Apollinem, Pegaſum ro-

ſtra

ſtra conſcenſum, & Pindi cum foro commercia. Porrò non eſt nobis timendum, ne hanc opellam incurioſa lectione percurras, aut oſcitanter, & faſtidiosè delibes: novimus enim, te à ſeverioribus ſtudiis nonnunquam ad hæc humaniora tranſire. Addecet enimverò, à te iſta nõ negligi, qui futurus es aliquando heroici carminis argumẽtũ, impleturus grãde epos multitudine præclariſsima geſtorũ. Adoleſcentiam tuam Roma ſuſpexit, prudentiæque maturitatem in ætatis flore probavit, dum Pontificiarum civitatum, Aeſis, Spoletii, Fruſinonis, Peruſiæque gubernacula tractares. Deſtinaris nunc felici omine, quòd ſcilicet à Clemente IX, ad Helvetios Le-

gatus

gatus:eoque in ſolo,ut mea vota præ-
nunciant, erumpet tibi flos ille pur-
pureus tuo fonte rigatus, et pubem
puniceam exeret latentem olim in ca-
lyce. Geminabitur Aquavivis Rodul-
phis purpura: quæque uni nitet fuſo
per Religionem ſanguine, alteri ful-
gebit ex oſtro adepto per merita. Va-
le, Neap kal. April. MDCLXVIII.

IN

CERTAMEN I
PARAPHRASIS
HEXAMETRIS ILLIGATA.

IMprobitas cùm quæq; minor, cùm quodlibet ausum,
Prædonum sit labe minus: qui cuncta rapinis
Involvunt; scelerum sociis, qui turpè coactis,
Insidias per tesqua parant: qui more luporum
Cæde saginantur: trepido qui cuncta pavore
Implentes, populantur agros: terroribus urbes
Sollicitant, septisq; vijs commercia tollunt.
Hinc leges, & jura luem domitura nefandam
Hanc Erebi, & nocuas furias ultura severis
Supplicijs; latura modum furialibus ausis,
Perfugium quodcunq; negant: penetralia templi
Esse locos prohibent tutos: indulget asylum
Nec sacra lex ullum: abduciq; impunè necandos
Prædones templis permittit: fœda nocentum
Pernicies ne tecta sacræ penetralibus ædis

In nova, turpè nocens, ſcelerum portenta recurrat,
Pejora & malefacta ruat. Quantò acriùs auſis
Obſtandum nobis prædonum, quamq; ſecandum
Hoc nobis putridum ulcus erit mage, tætra propago
Regnat ubi numeroſa nimis, crebroq; tumultu
Cuncta loca infeſtat, nullo & diſcrimine prædas
Imperioſa facit, vicinaq; cuncta pavore
Oppida terrefacit: ſubitis incurſibus, omnes
Per tritas graſſata vias, fidentibus armis
Hoſtili de more furit? Vos provida jura,
Quàm meritò hanc hominum peſtem ſine lege nocentum,
Communes hoſtes non falſo nomine dici,
Et fore cenſendos meritò decernitis; illos
Cùm furor hoſtilis rapiat major, magis ardor
Et prædæ, cædiſque trahat furioſa cupido.
Aſt eadem vos pœna manet, gens nata fovendæ
Regnorum fœdæ huic labi, ſcelerumque magiſtræ:
Veſtro etenim ſuffulta minax audacia gliſcit
Præſidio: gliſcunt animi: furor impius audet
Quodcunque attentare nefas: depulſa timoris
Cura procul quæcunque cadit: tutela potentum
Incitat ad facinus tutos: impunè ſub umbra
Se peccare putant veſtra: poſt facta nefanda;
Veſtra ope, perfugio veſtro, veſtroque receptu
Iuſtitiæ contemptus honos, ſpretumque tribunal,

Et

Et pœnæ quicunque metus, terrorque ſeverus
Supplicii contemnitur. ô ne didita fama,
Et ſparſus per cuncta ſonus mihi vera reponant;
Vos etiam in partem ſceleris, fœdæque rapinæ
Venturos (ſed enim non hæc mea cura laboris
Nec ſtudio quærenda meo) Proh! fœda latronum,
Nixa patrocinio, veſtroque adjuta favore
Colluvies ſcelarata viget: malè ſana periret
Auxiliis deſerta novis, nec tecta lateret
Illa diu, faciliſque capi, daret improba pœnas
Indiga perfugii. hinc etiam vos, vindice pœna,
Supplicium depoſcit idem, rigor urget & idem.
Sed quanvis hæc ritè, Patres, ſancita, verendi,
Ipſe putem cauſis meritis, & legibus æquis;
Sæpe modum ſervare decet: nec verba jubentis,
Exanimuſque ſonus legis; ſed recta voluntas
Præcipuè, & ſolers ratio penſanda ferentis
Has populis leges. etenim cùm ſingula lator
Ignorare queat legum, eventura ſeverum,
Quæ illarum interdum poſcant mollire rigorem;
Iudicis arbitrio juſſa hæc moderanda relinquit,
Vt populis prodeſſe queant. Quid ſi inſcius ultro
Prædones quis forte vagos exceperit? aut ſi
Incuſſo terrore juvet? nulla arte doloſa
Hoſpitium indulgere velit? non provehat auſa,

 Nec

Nec sceleri audaces reddat? non præstet asylum,
Servet ut incolumes? potiùs sed cæde necandos,
Perdendosque velit? cur hunc peccasse, severus
Sit judex quicunque, putet? Nunc orsa patronum
Me causæ revocant, & jura tuenda reposcunt.
Sacchettus, clarus titulis, cui stirpis origo
Præclara de gente venit, cum divite censu
Cui transmissus honos clarè præfulget avitus,
Sed propria qui jure magis virtute nitescit
Conspicuus meritò: semper qui cultor honesti,
Et recti, justique tenax, capita improba, vindex
Prædones odiis devovit: damna latronum
Incubuit solers avertere: publica pacis
Commoda quæsivit: studuit commune, labore
Assiduo, curare bonum, totisque fovere
Viribus. hic, inquam, meritis cumulatus opimis,
Iudicium capitale subit, quòd nuper iniquo
Infestoque Duci prædonum, jussa refringens,
Petrello cœnam dederit, dederitque petenti
Vocalem de more tubam. Quem facta nefanda
Monstri hujus lateant? pejus nec Tartarus olim
Progenuit mostrum: cunctis crudelius Hydris
Alecto est genitum pignus, sævæque Megeræ
Progenies est fota sinu. mitescere tygres
Sævitiæ illius collatæ, & dira leonum

Ira minor. raptor potuit superare rapaces
Harpyjas, virosos & super ire chelydros.
Hic etenim, peditum turmis, equitumque coactis,
Barbarico de more furens, comitatus eodem
Ingenio prædonibus. Horum nomina censu
Horresco referens. INFERNAS iste vocatus:
Huic dederat MORS nomen. grandior ille sonabat
Horrificusque CANIS. furiis hic auctus Averni,
Cunctorum populatur opes: domus ulla rapinis
Non violata suis: celebres grassatur in omnes
Vis furiosa vias: sacri reverentia templi,
Et divûm despectus honos. quis funera narret,
Patratasque neces? quis secta in frusta securi
Corpora? quis tætro aspectu pendentia ramis
Arboreis membra, & pedibus demissa ligatis?
Non ego direptas urbes, non oppida flammis
Sæpius incensa enumerem: vastata furore
Cuncta jacent stygio prædonum. Talia turbo,
Infernis furiis agitatus, damna tulisset
Non unquam, stragemque parem: impius ardet in omnes
Prædonum sævire furor: non sanguine clari:
Non humili de plebe sati tam immane furentum
Sævitiem vitare queunt: tutatur Asylum
Nullum: perfringunt portas: munimine septas
Invadunt urbes: spoliis ditantur & amplis.

Et

Et ni prompta malo Proregis cura fuisset,
Et tantum scelus avertisset; cuncta pavore
Sub trepido turbata forent: loca tuta rapinis
Nulla: metu vacua & nusquam data temporis hora.
His etenim monstris hominum, generique nefando,
Et cœnam tribuisse ferunt: tribuisse canoro
Ære tubam Sacchettum. Sunt mihi vera fatenda
Ista quidem, nec falsa reor: sed cura laboris
Hæc erit una mei; nullum prædonis in auso
Admisisse nefas Sacchettum. Cœna parata
Nempe illis ubi: quæ fuerit tunc causa parandæ
Vestigare decet: Disjecti in rudere castri,
Diruto & oppidulo mensæ locus. ipse reponam
Vt causam; expediamque objecto ex crimine notum
Egregia virtute virum; dabo singula censu
Gesta suo, rem totam certo atque ordine pandam.
Turbinis in morem, rapidi vel fluminis instar,
Montanis effusa jugis hæc turba nocentum,
Perniciem latura apparuit. ilicet omnes
Finitimos ad signa vocat: dant æra canores
Campana accitura viros: dant classica pugnæ
Pulsa sonos suetos. trepido tremefacta pavore
Gens excita latet: nullus certamen inire
Ausus, & ad pugnam descendere: solus in arma
Sacchettus surgit: famuli, ne deesse jubentis

Im-

Imperiò domini visi, certamina poscunt
Primò alacres; sed mox, gelido superante pavore,
Hæsere attonitis similes: perfuderat ora
Funereus pallor: stabilem nec figere gressum
Crura queunt: languent gladii ad certamen inertes.
Interea, pluviæ revolutæ, & grandinis instar,
Plumbea nimboso sonitu tonat ære procella,
Flammivomo disploso: circunsepta corona
Castra manent, sua nec tunc munera deses obibat
Sacchettus virtute pari: cùm denique utrinque
Pugna diu viguit; certamina sæva remittens,
Colloquia obsessum Sacchettum ad mutua prædo
Sollicitat: tribuit tanto in discrimine cautè
Illa libens celsa è specula, non ausus iniquo
Sese prædoni committere: dicta reponit
Voce fera, vultuque truci tunc ista, furenti
Petrellus similis: Mea nondum robora nosti,
Nec quid ferre queat stimulato dextra furore
Expertus didicisti. nullus restitit ausis,
Qui prudens, hucusque meis. ne exasperet iras
Bellicus iste tuus furor in nos; desine pugnis
Me dudum irritare tuis, ne detonet unum
In te tempestas. aliò nos tendimus, atque hàc
Dira jubet collecta fames transire. petitam
Tu nobis cœnam exhibeas, simul ocyus illam

Redde

Redde tubam, qua ſæva minans, fidentibus auſis
Me contra concire viros temerarius omnes
Tentaſti. mea nil præter læſura ſevera
Arma tibi timeas: promisſis integra ſtabit,
Nec lapſura fides. ſin fidere viribus audes,
Et votis obſtare meis; ſuprema malorum
Eventura putes. Regi parere, ſolutus
Imperiis, renuo; mage quàm modò viribus impar
Tu mihi ſpretus eris? robuſtam cerne cohortem,
Et juvenum, quam duco, manum: quæcunque pericla
Impavidus ſubeam: nil me tuus iſte paveſcens,
Ignaruſque movet miles: ſternetur ab vno
Ex his quos habeo ſocios integra cohortis
Militiæ & gens lecta tuæ. Dum talia ſatur,
Et ſtygio terrore furit, lacrimoſa repente,
Et fuſis per terga comis, ecce advolat ingens
Femineo collecta globo turba: inſonat altè
Funeſtus per cuncta ſonus: clamoribus aſtra
Horrificis replent: laniant ſine lege capillum:
Vngue genas miſerè fœdant: ſupploſa remugit
Terra pedum pulſu: numeroſo verbere plangunt
Pectus, & has querulas in voces ora reſolvunt.
Heu ſævus movet arma furor: baccatur in agris
Vis inimica truci certamine: corpora ferro
Plurima ſtrata jacent, immiti cæde perempta

Pe-

Petrelli sociis. graviora avertere clemens
Ipse velis: rabiem mitescere dira minantum
Da facilis. si flecti eadem sententia perstet
Nescia, & immotum duret servare tenorem,
Propositumque tenax; vastabunt cuncta nefandi
Prædones, agros incendent, cæde cruenta
Agricolas omnes perdent. ne crede paventum,
Et vanas terrore minas: incepta sequetur
Aucta magis rabies, vestigia fœda relinquet.
Vocibus hæc querulis pronæ lacrimisque profusis
Orant. Interea tenebras nox atra ferebat
Augebatque metum, & fœdos pejora latrones
Ausuros constabat. tunc quid rebus in arctis,
Subsidii spe fultus nulla, viribus impar,
Nec potis aggressûm validum perferre latronum
Sacchettus faciat? meritò stimulante pavore,
Et sueta pietate viri, responsa petenti
Hæc dedit: Abscedat Castro, longeque remotam
Ire domum jussit, cœnamque tubamque spopondit.
Sic res gesta venit, nullo fucata doloso
Tegmine verborum, aut mendacis crimine linguæ.
Nunc ego censores cunctos, rigidosque Catones
Discussisse velim facinus: si criminis umbram
Invenisse queant, ausint si fronte severa
Consilium damnare viri, reprehendere clemens

 Et

Et ſolidum pietatis opus. vos, integra conſtat
Mente ſagax prudentia, queis viget inditus ardor,
Et juſtæ pietatis amor, ſenſuſque benignus,
Haud ſecus in ſubito ac tanto diſcrimine rerum,
Spectata virtute, Patres doctique Senatus
Lumina, facturos rear; inclita pectoris auſa,
Et fortes animæ licèt ad ſublimia tollant.
Cui ſenſus animi egregij, generoſaque virtus
Sacchetio par eſſe queat? quis viribus unquam
Reſtitit horrifici prædonis? ferre furentis
Quis vultum potuit? quis mox non juſſa minacis,
Vitæ anceps implere paret? nil territus, unus
Nulliuſque exempla ſequens, Sacchettus in arma
Surrexit, prædoni reſtitit, omnia tentat,
Cuncta ſagax molitur: cùm tamen irrita vidit,
Nec votis ſaviſſe ſuis conamina; cædes
Prædonum, ſtragemq; novam averſurus ab agris,
Vtque ſecuturis ulla ſine lege rapinis
Poneret ille modum, cœnam poſcentibus, ægrè
Annuit, invituſque dedit. quis carpere iniquus,
Quis ſine mente, reum ſceleris damnare nocentis
Iure queat? meritæ potiùs præconia laudis
Danda forent. quæ jure tulit, cùm, in vincla coactos
Vxorem & natos Petrelli, ut fræna furori
Injiceret prorex Irpinus, damna minanti,

Re-

Restituit prudens, pejoribus obstitit ausis:
Sacchettum par causa tenet: nam cuncta coactus
Præstitit, utque novis obstaret ritè rapinis,
Indulsit votis prædonum, & damna repressit.
Quid mihi nunc iterum leges, & jura severus
Obtrudes? quæ implenda jubent, servare monemur;
Sed servare modum quoque convenit. ardua factu
Nec lex ipsa cupit servari: gaudet & ipsa
Molliri dum dura venit se sæpius ultro
Correptam poscit, sensus reperire benignos
Vult hominum mentes, populorum commoda quærit,
Non cædes & damna: unis insistere verbis,
Externoque hærere sono prudens vetat: intus
Exploranda venit, pro tempore: cuncta reposcit
Disquiri, quæ tecta latent. sic prisca vetustas
Censuit, & legum latores. omnibus unus
Clarior ipse Plato, juris legumque periti
Sic omnes, queis fama favet vulgata per orbem.
Nunc mihi cuncta brevi repetenda, ut criminis omnē
Abstersisse notam valeam, causamque perorem:
Prædones non ille dolo suscepit iniquo:
Quin neq; susceptos, clamoribus excita turba
Non dubia testata fide. non ille receptam
Clam texisse potis numeroso turbine gentem,
Prædonumque manum. detur potuisse. voluntas

 Tam

Tam claro non digna viro. capita improba vulgi,
Et fœdas hominum pestes, virtute decorum
Admisisse virum quis credat? viribus impar
Hospitium dederit; quis damnet? jura nec ipsa
Tam multam validè armatam excepisse cohortem
Damnabunt, tanto in discrimine. nempe severum
Supplicium perferre decet, meritoque rigore
Vindice plecti illos, legum qui sponte latrones
Excipiant, qui sæpe juvent, qui turpiter ausa
Sæva patrocinio foveant, tueantur asylo
Post scelerum malefacta truces, secreta recurrant
Fœdera, consiliis avertant damna, tribunal
Quæ illis inferre parat, causamque favore
Protexisse suo nitantur. discute cuncta
An Sacchettum urgere queant. dedit ille petitam
Post varias pugnas cœnam. non illa latenter
Exhibita, aut furtim: populi spectante corona,
Seq; data invito, & precibus parere coacto
Femineis, miserè & discerptis ungue capillis.
Post scelus an juvit? subitò patefacta latronum
Ausa illi: properè ad vindex delata tribunal
Sunt scelera. an prorex ulturus cæde peremptos,
Anne citò ad pœnas conversus? ferre latrones
Contra arma instituit, nocuam disperdere pestem,
Perniciemque volens meritis urgere flagellis?

Nam

Nam quid ego vitam innocuam, moreſq; modeſtos,
Et ductos ſine labe dies, famaque celebris
Sacchetti nomen ſileam? nil hactenus ante;
Poſtea nil tale auditum. viget inclitus idem
Virtutis, vitaq; tenor. Ne turpiter illi
Iam fœdam affixiſſe notam, generique pudendam,
Spectata virtute, Senes, Patreſq; velitis.
Nam decreta ſecus cauſa hæc ſi fortè peribit;
Alterutrum eveniet: Latronum cæde perire,
Vel fore plectendum capitali vindice pœna.

IN

CERTAMEN II PARAPHRASIS HEXAMETRIS ILLIGATA.

ALloquor è stratis, ubi me data vulnera, Patres,
Vinctũ sæva tenent: ubi me comitata dolorum
Obsidione cohors cingit: sitis arida fauces
Excruciat, vexatque fames: ubi turba malorum
In miserum sine lege furit: facto agmine, cuncta
Tristis ubi me ærumna premit, crebriq; labores.
Irrequieta dies ubi, nox ubi nulla soporem
Conciliat, fessis indulgens otia membris.
Huc me conjecit malè percita dextra furentis,
Et ferro munita manus, fidentibus ausis,
Aspera Paulicii, qui cæsa conjuge, perque
In tritas, sine mente, vias, & turpè fenestras
Dejecta, inde ferox, ira stimulatus eadem,
Atria lata mea irrupit; nec tale timentem,
Me comites inter, punctim cæsimque cruentis

Vul-

Vulneribus mucrone datis, ſicaque furenti
Sæpius in corpus repetita, penè pheretro
Tradiderat. Me vos, pia Numina, ſupplice voce
Implorata, neci miſerum ſubdûxtis amica,
Et vitæ nunc luce frui, ſolemque coruſcum
Aſpexiſſe datis, parteſq; implere patroni.
Sed quæ triſtè meas vox nuncia verberat aures,
Sollicitatq; metu mentem? cuſtodia vinctum
Paulicium miſeranda tenet: mox cuſpidis auſis
Nex properanda venit. ne ſit ſententia preceps,
Temperet illa modum, tutelæ jura reſervet,
Concedatque locum cauſæ. in me cura recumbit
Æqua patrocinii, mortemque avertere nitar
Non vanus miſeri defenſor. crimine dextram
Abſolvam, innocuamque dabo. rogo. forſitan ille
Præſidio fultus legum, juſtoq; dolore
Percitus, (ut levium noſco volitare per ora
Vana virûm) dextra ſceleratum vulnus adegit,
Meque una, uxoremque ſuam confodit, amores
Ipſe ego quòd turpes, fœda & commercia furtim
Conjugis ambierim? tantùm mihi lingua malignis
Affixiſſe nefas dictis valet? ipſe pudoris
Anne mei laudator ero? quodcunque ſeverum
Iudicium ſubeam: nullo diſcrimine teſtes,
Cenſoreſq; mei cupio: intrepido ore profari

Ipſe

Ipse velim cunctos, si quid mea vita nefandi
Probri unquam admisit: si alienos turpiter ausim
Sollicitare toros unquam: si talia de me
Fama unquam retulit: talis si rumor ad aures
Vnquam perlatus. mihi junctos fœdere amico,
Quos inter transacta omni mea tempore vita,
Appellare libet testes. mendacia vincet
Incorrupta fides cunctorum. hac labe remoti
Anni hucusq; mei convicia fœda repellent.
Innocuum me fortè putas, sed forsitan ausum
Femineum damnas alienæ conjugis: illa
Me, licèt invitum, turpi captabat amore,
Sollicitabat amans, vetitos poscebat in usus
Idalio fervore calens. non ista referres,
Si mulier tibi nota foret: si Cypridis ardor,
Et Veneris genius perspectus. non Venus omnes
Si molita faces, molitus tela Cupido;
Vrere femineum potuisset pectus amore,
Vulnere vel modico libasset pectora telo.
Deliciis movet arma Venus, bene pasta fovetur,
Exsaturata viget. desint si dona Lyei,
Et si parca Ceres Veneri sua dona ministret;
Languet amor Cyprius, periere Cupidinis æstus,
Tela puer linquet laxato segniter arcu.
An Venus hanc miseram stimulis urgeret acutis

Vsq;

Vsque fames quam dira canum vexabat? amictus
Texerat haud ullus corpus? si fortè tegebat;
Detritus, vel scissus erat? turpaverat ora
Deformi pallore situs, faciemque strigosam
Reddiderat macies? ætas jam prona senectæ,
Et crebris affecta malis, vestigia nulla
(Si qua priùs fuerant) formosa reliquerat ori?
Nec reticenda venit casti mihi cura pudoris,
Ingenuumq; decus. licèt illam tristis egestas,
Torqueretq; fames; nullis obnoxia probris
Degebat vitam. innocuæ decora inclita famæ,
Nomen & egregiè studuit servare pudicum.
Vt veniat malè læsus honos: plectatur iniquè
Fama pudicitiæ, tantum si fingere probrum
Inconsulta queat mens: impia lingua profari.
Ergo illum non justus amor, non causa pudoris,
Conjugis ad cædem, non ad mea vulnera adegit:
Sed furor insanus mentis: male sana phrenesis
Abripuit, lethali armavit cuspide dextram.
Nutabit sed fortè fides, animusq; lababit
Vester, ad insanos, amota mente, furores,
Quos ego commemoro, aut fallax imponere tento,
Excusare nefas cædis, causamq; tueri
Vt valeam, & nocuo decretam avertere mortem.
Nempe homines Natura parens, genitalis origo

Integra ſub mente creat: deliria nulla
Naſcentem ſibi ferre ſatum ſtudioſa laborat,
Et gaudet ſimiles avertere grata furores.
Ergo precipitem mentem mala ſemina morbi,
Non Natura creat: mentis furor ergo probandus
Ritè, nec ex ſolis dictis inſania conſtat.
Obſto nil dictis: neq; enim mea verba repoſcunt
Reddita ſola fidem: factis inſiſtere tento,
Illius emotam ut mentem, inſanumq, furorem
Iure probem. & quanvis ægrè dementia mentis
Ritè probanda venit; tamen irrita cura laboris
Non ibit ſuſcepta mei: & ni conſequar, ultro
Sit mihi nulla fides, patiar, cùm cetera fando
Poſthac commemoro, & verbis quæcunq; repono.
Vos mecum ſentire putem, ſi oſtendero, mentem
Emotam tenuiſſe priùs, quàm cæde marita
Turpiter ùxorem ferro dejecerit, & me,
Vulnere multiplici, immeritum proſtraverit: hinc ut
Nunc etiam ſimiles mentis duraſſe furores
Conjectare queam; præſertim vulnus adactum,
Et cædes patrata brevi poſt tempore quando
Exſtitit. at fuerit ſpatiis disjecta, furore
Mens emota ſemel, quanvis ſopita per annum,
Proxima cenſetur. nulla intervalla furorem
Excuſant: hac peſte ſemel correpta, tenorem

Vſq;

Usq; tenax servat mens: nec mala germina morbi
Arescunt penitùs. pubescere visa repente,
Dum spatio siccata putas: posuisse furores
Insanos: motaq; semel deliria mentis
Quot numerare queas? licèt excessisse putemus,
Insidiosa latent. hinc, quæ patrantur ab istis,
Iure furor sibi vendicat, & male sana reposcit
Transversæ mentis labes, si facta referre
Ipsa magis videas motæ deliria mentis,
Quàm sanum rationis opus. sed vana profari
Ne videar nugax, & solis ludere verbis,
Paulicium monstrabo priùs fera prælia passum
Usque melancholiæ: correptum deinde furenti
Ostendam mania. sed non hæc sedulus ipse
Exequar ad votum, genius nisi constet utriusq;
Et pravi natura mali. juvat ire per omnes,
Quas præferre notas, & certa ostendere morbi
Signa solent. effecta dabo: qui constet in ore
Index non vanus disquiram: verba loquentis
Expediam: quæ mentem implent simulacra recursu,
Et vario sine lege situ. mihi gratus Apollo
Pæoniam promittit opem, medicumq; laborem
Indulgere cupit. jaceo in discrimine vitæ
Nunc ego, dum infelix aliena pericula curo.
Vos quoq; quos celebri Podalirius excolit arte,

 Ex-

Expertaq; diu commendat laude Machaon,
Adsitis faciles, votisq; favete secundi,
Hæc ego dum breviter, justoque ex ordine narro.
Vester enim labor hic est, vos me scire patronum,
Hæc documenta datis, vestrisque insistere dictis
Addecet, & vestrum nunc implorare laborem.
Quos nimis atra tenet bilis, Fernelius inquit,
Mens emota rapit: nil sanum cura revolvit,
Verba nec ore sonant sano. præferre timores,
Sollicitosq; metus videas: mœrore gravatos,
Ac velut implicitos curis. primordia morbi
Sæva melancholici, tætriq; & prima nocentis
Tentamenta mali venient hæc certa notanda:
Abjectus, segnisq; animus: solertia mentis
Nulla: hebes ingenium: rerum neglecta suarum,
Atq; sui cura omnis. semper tædia vitæ
Ingrato mœrore premunt, sed fata recusant,
Detenti graviore metu, trepidoq; pavore
Solliciti nimium. sed cum crebrescere morbus
Incipit, & vires intendere; sola frequentant,
Et cupiunt sine luce loca: usq; in tristia fixi
Mente hærent: renuunt commercia: lingua perenni,
Et muto torpore silens, dare verba recusat.
Vel si quando loqui eveniat; turbata recurrunt
Verba, vel in trepidas deflectunt mœsta querelas.
Huic

Huic morbo pejor ſuccedit: fœta furore,
Inſaniſq; minis dementia. ſermo Pelaſgus
Dat Maniæ nomen. quanvis hæc cuncta prioris
Damna ferat ſecum, motus imitetur eoſdem,
Verba eadem, mentis ſenſus, deliria cuncta
Sint eadem; iſta tamen majores dira furores
Exercere parat: conſurgit pejor in iras:
Iurgia commiſcet: clamoribus aſtra laceſſit:
Efferat ora minis: obtutus ignibus ardent
Sanguineis: rabidi ſurgunt in prælia dentes,
Seque furor morſu laniat: valido impete membra
Irrequieta agitat: præceps quæcunq; ruendo
Obvia proturbat: dimota mente, ferarum
Tranſit in ingenium. Sic cuſpide fixus acuta,
Et jaculo confoſſus aper, ſua tela remordens,
Et tergo confixa gerens venabula, morſu
Irruit, inq; canes revolutus, dente recurvo,
Sævit hians, & venatoris cæde triumphat,
Quæq; tulit moriens, lethalia fata rependit.
Huic conferre queas agitatos mentis ab æſtu.
Porrò quis enarret, motam deliria mentem
Quot diverſa agitent? variis quàm multa figuris
Spectra melancholicos rapiant? quæ congrua vitæ
Exactæ fuerint, illis oblata recurrent
Sæpius. aſſuetis delirat miles in armis:

In-

Insanus mercator opes memorabit avarus:
Æquoreos pelagi fluctus, cœliq; procellas
Navita formidat: juris legumq; peritus
Mente agitat lites, & causas ore profatur.
Insistit venator apris, urgetq; molossos
Ad cursum, morsumq; feræ: stat cura colendæ
Agricolis terræ. tætrica sub Pallade mœstus
Hic Sophiæ loquitur nugas: hic carmina versat
Delirus Vates, bis mota mente laborans.
Ille jocos miscet, risusq: expromit ineptos:
Hunc gravis usq; premit, frontisq; exasperat horror:
Hos, patrata illis nunquam, fera crimina terrent,
Sollicitantq; metu innocuos: urgere securim
Iam tortor visus, vel nectere vincula collo.
Cerne illum stygiis devotum credere flammis
Se miserum, & crebris cœlum complere querelis.
(Hæc utinam cunctos, sana sed mente, salubris
Assiduè raperet cura! haud projecta per omne
Vita nefas rueret) quid, tu delire, propinqua
Fata gemis moriture statim, dum robora constant?
Hic jam se vita functum, positumq; pheretro
Vivus adhuc queritur. Tellus, include cavernis
Hunc alium, & defende sinu: jam pondera cœli
Se ruitura super trepidat. depelle colubros,
Phœbe, venenatos, quos hic se in ventre repostos

Ferre dolet. nam quid memorem, se vitrea membra
Hos alios gerere, & fragiles horrere ruinas?
Multa quid atq; alios porrecta in jugera nasum?
(Hos ridere juvat: nasutos perdere par est)
Vt reliquos taceam malè sanos, quosq; frequentes
Mens emota rapit. vixq; ulli parcere novit
Noxius iste furor. negat alter Numina cœli,
Nec cupit esse Deum, atq; ultrices Numinis iras.
Ille voluptatem cunctis præferre superbit:
Solus honos huic Numen erit, vel divitis auri
Pondera, præcipitem citiùs paritura ruinam.
Porrò melancholiam subtristior educat humor,
Atraque fæx bilis, cujus vapor alta cerebri
Obsidione tenens, mentis turbare serenum
Halitibus valet impuris. hic munera vitæ,
Desidia, ac torpore necat. languescit inerti
Vividus ille vigor mentis, pressusq; sopore
Lethifero veluti; namq; alacres ut reddit ad ausus,
Robur & ingenii tenuatus spiritus, æquè
Crassior, obducens, cumulata fæce; retardat,
Et nitidum, tenebris splendorem mentis obumbrat.
Et transmissa licèt rerum simulacra, per omnes
Pura meent sensus, nulla & sint oblita fæce;
Cùm tamen ad cerebri vitiatam crimine sedem,
Halituumque situ fœdatam, tendere detur,

Pe-

Pestis labe pari, & vitio turpantur eodem,
Quæ elati in cerebrum vitiantur labe vapores.
Hinc, quos atra replet bilis, vitiatque cerebrum
Luridus iste vapor; malè sani crimina morbi
Corripiunt facilè, & facilis dementia versat.
Esse vides tales, graciles, atrique coloris,
Hirsutos, teretesque pilos, crassosque gerentes,
Venarumque quibus latè spatia ampla patescunt.
Corporis at veniat quæcunque habitudo; nocentem
Multa melancholiam interdum pariunt. gravis æstus
Curarumque labor: mœror, luctusque recurrens,
Assiduis mens fixa malis: jactura parentum:
Funera natorum: fœdati gentis honores,
Et probro maculata domus: si fœdere notus,
Expertæ fidei dudum sublatus amicus:
Si diro fortuna joco, lusuque maligno
Ingentes populetur opes: si corda pavore
Terror agat subitus: si consternatio mentem
Improvisa premat: mens si nimis ardua captu,
Vestigare diu cupiat. dabit hunc quoque morbum
Immodicus persæpe labor: vigilataque longa
Tempora sæpe creant. parcis jejunia mensis
Continuata diu pestem peperere malignam.
Hæc habitum mutare queunt, & corporis omnem
Perdere temperiem, vitiato sanguinis amne.

At

At nigra si bilis , tæterque hic corporis humor
Sanguine sit genitus nimis usto , ac bile refusus
Immodicè flava;maniam dabit . ille calenti
Adjecto fervore ferox , deliria mentis
Concitat, & tætris generat simulacra figuris.
Sed jam tempus adest, utriusque ut crimine morbi
Paulicium correptum ostendam . signa gerebat
Ille melancholiæ . crebris frons obsita rugis :
In gracili macies vultu , tæterque capillus
Turpiter effusus : tenebrosus luminis horror,
Et tætri obtutus oculorum : juncta supernè
Penè supercilia , atque averso tramite ducta.
Vtraque tensa nimis quoque palpebra : vocis ab ore
Flexilis , ac tenuis sonus : hirtis horrida tota,
Non secus ac setis , vestita pilis cutis : ampla
Venarum cava : curis anxia pectora semper,
Defixusque labor mentis : fiducia nulla :
Vsque pavens trepidusque hærens . non ardor agendæ
Extimulat , vel cura rei : pigra otia : lentus
Torpor ubique tenet : mentis vis , cuncta sinistra
Suspicione fovet : tacitè parceque profari
Suetus : difficilis : comitum commercia vitans,
Et loca sola petens : vinclo irretitus iniquo
Turpis avaritiæ : trepidans tutissima : durus,
Propositique tenax : exsomnis tempora noctis

 Du-

Ducere ſæpe ſolens. Dederim cùm ſigna, notaſque
Hactenus, & nocuos morboſi criminis ortus;
Nunc mihi, Paulicio fuerit quæ cauſa furoris,
Vnde melancholiæ tantus malè concitus humor,
Exſtiterit, rapuitque ſuam per devia mentem,
Expedienda, Patres, veniunt. vexarat egeſtas
Nuper eum triſtis, revoluto turpiter orbe,
Fortunæque rota, cenſu ſpoliatus & omni,
Nudus, inops, miſeræ degebat tempora vitæ.
Ærumnis preſſus cunctis: ſolamen amicum,
Nec miſerum ſpes ulla levat. penetrabile telum,
Quo mage non ullum, quo non crudelius ullum,
Vſque fames dira excruciat, ſæva adlatrat intus,
Et rabido morſu laniat; nec paſta, voraci
Gutture ſemper hiat. circunſtant uſque gementes,
Tegmine non ullo tecti, cœloque nivali,
Et flabris nati expoſiti. quæ ſublevet, eſca,
Enectoſque fame recreet, non ſuppetit ulla.
Tormentumque ingens oculis lacrimabilis uxor,
Aſſiduis cumulata malis, mœſtiſſima luctu,
Et fœdo ſqualore jacens, objecta tuenti
Vulnus erat miſero horrendum. nec fœdus amicum,
Vel conſanguineum ſpondebat opem. procul omnis
Cura prior longè ſeceſſerat. acris egeſtas,
Vt veniens abſumpſit opes, extruſit amicos.

Acriùs

Acriùs hæc etiam torquent: convicia, lusus,
Probrosósque sales geminata ærumna reportat.
Quam non hic casus mentem fregisset iniquus?
Huic oneri quis tantus Atlas par usque malorum
Esse queat? cui tam crebrescens agmen aquarum,
Iugis & ærumnæ fluctus sævæq; procellæ
Extorquere manu clavum, mersisse profundo
Non potuit? Tantis satis esset tristis egestas
Vna malis, & census inops. quid, cetera pondus
Si cumulata grave, infortunia sæviùs urgent?
Sed mage nulla solo afflixit, pressitque ruina:
Plaga magis nulla infelix, penetralia cordis
Ima fodit, laniatque magis, quàm funus acerbum
Egregii nati. cui virtus inclita laudes
Conciliat meritas. cujus vis vivida mentis
Spes aluit genitoris. quo domus una parentis
Nixa uno stabat. solus qui patris amores
Affectusque sibi cunctos devinxerat. illo,
Qui sensus misero genitori, quæve superstes
Læta dies transacta venit sic funere merso?
Nunc vitam sprevisse juvat. quid lumina solis
Ampliùs aspiciat? nocti se condere tætræ
Mœstus amat; terræque sinus intrare repostos
Lucifuga, & cæcas moriens habitare latebras.
Ex illo ærumnæ graviores. luctus ubique

 Assi-

Aſſiduuſque tenet mœror. data nulla dolori
Ingenti requies. nullum ſolamen amicum
Mœſtitiam tenuare valet. reſonare querelis
Crebriùs irrequieta, ac veluti mugitibus ora
Audita. attoniti vultus: defixa pavore
Lumina: per noctem tætris ſimulacra figuris
Implebant animum. cæcos habitare receſſus,
Fumoſoſque locos ſibi viſus. funera, cædes,
Supplicia, horrendæque neces objecta recurrunt
Turbato in ſomno. correptus ſæpe pavore,
Corde imo ductas voces mittebat anhelas,
Et ſubitò terrore vigil, quaſi fulminis ictu
Vicino, pavidus, ſtupidoque ſimillimus ora,
Defectus ſenſu hærebat. creſcente maligna
Peſte dein, auctaque lue, increbreſcere luctus
Cœpit, & in queſtus, longa & ſuſpiria, mœſtus
Iamdudum exoſæ traducere tempora vitæ.
Non efferre domo greſſus audet. ſibi cunctos
Inſenſos, nocuoſque putat. ſordeſcere luctu
Gaudet, & in fœdo triſtis pedore jacere.
Torpida lingua ſilet. lentus quoque greſſus euntis:
Et trepidus ſi movit iter; mox penſilis hæret,
Suſpenditque gradum, defixa mente retentum.
Mutati penitus vultus abiere priores,
Livor habet malas, macies obſederat artus.

Stant

Stant fœdæ squalore genæ: velut acta pavore
Sunt ora attonita, & larvis infesta diurnis.
Turpè oculi introrsum turbata luce recedunt,
Atque cavernoso veluti conduntur hiatu.
Dira fames quanvis cruciet; cita funera mavult
Mox subeunda sibi, quàm victum quærere vitæ.
His æger curis, mentisque furoribus actus,
Nocte subobscura, mediisque silentibus umbris,
Ille domo egrediens, nullo velatus amictu,
Vicinum in templum furiali mente cucurrit:
Vtque ædis patuere fores, exhausit olivum
Omne, quod inclusum suspensæ lampadis ignes
Pascebat sacros, patuloque resorbuit ore.
(Nec tamen epoto mens mota resedit olivo)
Turba frequens illum convenimus: æde regressum,
Officio suadente pio, lacrimisque profusis,
Vt meritus poscebat amor, deducere cuncti
Cœpimus in proprias sedes. occurrit eunti
Interea, vestri notus collega Senatus,
Fernandus: verbis illum precibusque fatigat
Paulicius, meritas sumat de conjuge pœnas,
Quæ clypeo munita, & ferro instructa minaci
Propinare ipsi contendit, arundine longa,
Lethale inclusum virus, pestemque nocentem.
Hic etenim motæ mentis deliria risit,

Atq;

Atque unà miseri casum deflevit acerbum.
Fama rei subitò totam vulgata per urbem
Pervolat, & cunctis dementia nota patescit.
Nec mora, Pæonius labor, & cita cura medentum
Auxilium latura viro, succosque salubres,
Accitur. properè Medici venere frequentes.
Quos ubi conspexit; lymphati more: Quid, inquit,
Hos mihi carnifices, laniena turpè ministros,
Huc afferre libet? procul hinc abscedere cunctos
Confestim cupio. mihi mox potanda venena
Dira parant, subitamque necem componere certant.
Subrisere priùs Medici: spondere salutem
Dein cuncti incipiunt ægro, dum quærere morbi,
Et causas, & signa volunt; aversus ab illis
Eripuit vultum, verbisque silentibus hæsit.
Edocuere alii Medicos, & semina morbi,
Expertasque notas, & tristia signa dedere.
Vna hæc edoctos medicos sententia vicit:
Labe melancholiæ correptum sæviter ægrum,
In maniæ insanos labiturum tristè furores,
Ni præsens medicina malo succurrat: eundum
Est contra morbum properè: decreta repentè
Pharmaca sunt illi, & forsan minùs apta medelæ,
Exacuere malum, viresque auxere medendo,
Sæpe solent ut pharmaca, quæ non congrua, morbos

Ir-

Irritant, pariuntque necem paritura salutem.
Eventus firmavit opus. post pharmaca, vultus
Paulicii asperior, transversaque lumina. fixus
Obtutus, torveque minax: sermone profuso
Lubrica lingua loquax: incondita verba loquentis,
Nec satis apta modis, iraque accensa minaci.
Ore soni turpes, & sibila probra resultant.
Concitus his furiis uxorem sustulit, & me
Perculit, infixæ repetito cuspidis ictu.
Porrò quis hæc sanus certissima signa furoris
Esse neget? norunt juris, legumque periti,
Atque hæc in censum meritò cumulata reponunt:
Nudus inire viam qui audet, si nulla pericli,
Vel justæ sit causa fugæ: si nulla timenda
Cùm veniant; trepidus timeat: si ritè roganti
Prædurus responsa neget: convicia probris
Audax si cumulet præsertim signa furoris
Si enumerata prius, motæque & crimina mentis
Conveniant: morbum si ipsi testentur amici:
Si consanguineos pudeat nil ista fateri,
Iudiciumque probet solers & cura medentum,
Ipsaque demonstrent deliria facta furentis.
Hactenus illa dedi, quæ præcessere furoris
Signa, notosque actus; veniunt numeranda sub ipsos
Nunc actus etiam deliria, quæque maligno

Ne-

Nexa operi perſpecta patent. dementia major
Quando reperta, rogo, dira quàm cæde, maritum
Immeritam uxorem, nullius criminis unquam
Suſpicione ream, nulla non laude pudicam;
Vſque ſibi nexu, & ſociali fœdere junctam
Tradere turpè neci? potiori cujus amore,
Patris amor, matriſque minor, ſe jure fatetur
Devictum, & ducta ſummittit conjuge faſces.
Vna viget quorum bino ſub corpore vita,
Vxoris, nexique viri: quin membra coire,
Atque in corpus idem meritò cenſentur & artus.
Quam, Cœlo mandante, nefas dimittere, & olli
Vſque fidem præſtare decet. qua, cæde perempta,
Nulla venit ſi cauſa necis; transfuſa per omnem
Probra meant ſtirpem, maculoſaque crimina durant.
Vt non immeritò cædis patrator iniquæ,
Sævitia ſuper ire feras, & vincere monſtra
Credatur, ſimili nunquam correpta furore.
Ætates priſcas, & ſeculá priſca revolve:
Hoc videas damnaſſe nefas: hoc, vindice pœna,
Plectendum, ut ſacras violati Numinis aras,
Hinc, cùm Iunoni thalamis pia ſacra maritis
Præfectæ faciebant; tractum viſcere cæſæ,
Devotæque focis pecudis fel condere terræ
Conſuevere: viros ſimul, uxoreſque monentes,

Foe-

Fœdere ut hoc inito, crudeles protinus iras
Abjicerent: nullo ſævirent corda furore.
Eheu procul abſcedant crudelia dogmata Thracum;
Immemori tumulanda ſitu, quæ turpiter audent
Vxores ſervis conferre, & reddere iniqua
Conditione pares. ſapiet, ſine lege, tyrannum,
Qui ſimiles inferre notas uxoribus audet,
Servorumque modo tractat: qui ſurget in auſus
Immeritæ cædis, malè ſana mente laborat.
Nempe inopem mentis reputes, ac jure reponas
Inſanos inter, nullo, qui durus, amore
Proſequitur natos; caſta qui in conjuge ſævit,
Immerita cæde, inſanum reputare recuſes?
Vxoris mage præſtat amor, mage fortia nectit
Vincula, quæ haud hominum leges, & jura, ſed ipſa
Nobilior natura parat, quæ jungere in unum
Vxoremq; virumque ſtudet. quid? cæde parentem,
Verbere vel ſævo afficiat quis; pendeat anceps
Interea, ſi mente haud ſana, aut pectore ſano
Sit ſcelus admiſſum? reputabitur ille furenti
Mente nefas patraſſe inſuetum. culpa mariti
Iudicium ſibi poſcit idem ſi mente furenti,
Conjugis, an ſana, conſtet, ſint crimina cædis,
Immeritæ patrata viro. quid? fœdus in ora
Qui ſpuat alterius conſultò; probra furoris

 Iuſta

Iusta ferat; nullo qui uxorem crimine fœdam
Ferro dejiciat; sanæ sit mentis habendus?
Hanc nece sublatam, per apertas turpè fenestras,
Indecoreque viam in mediam, cunctisque patentem
Projecisse manu, nudumque hos criminis ausus
Solis ad aspectum, & clara sub luce diei
Patrasse audacter, nulla & formidine tactum;
Sanæ mentis erit? me nexu semper amico,
Munificoque illi vinctum, nullique molestum,
Mitis & ingenii, plagis læsisse cruentis;
An sanam redolet mentem? sic dona rependat
Vulneribus? subitamq; necem pro munere tentet?
An socios, qui mecum aderant, comitesque tenebam,
Et quoscunque alios, occursu fortè repertos,
Armatos quanvis gladiis, ferroque minaces,
Vulneribus stravisse, vacat dementia? & omni,
Qui magis eniteat, furioso mentis ab æstu?
Talis erat sine lege furor Lacedæmonis olim,
Qui priùs imperio dejectus, deinde regendo
Regno iterum adscitus; furiosæ crimine dextræ,
Quosque occurrentes, nullo discrimine, cunctos
Regali sceptro feriebat: carcere vinctus
Propterea, ac nimia dementi percitus ira,
Incubuit ferro. & sese mox cæde peremit.
Paulicio amoveas insanos fortè furores,

Et

Et mentem tribues ſanam, quòd, cæde patrata,
Protinus in tutum templi confugit aſylum,
Et facinus texit ſacræ penetralibus ædis?
Omnia non omnes rapiunt deliria mentes,
Nec cunctus per cuncta furor malus uſque vagatur:
Sæpe modum ſervat, certa & confinia ſignat.
Hunc videas Regni ſolo inſanire furore,
Et rapere hæc una emotam deliria mentem;
Cætera mente ſapit, ſolers prudentia regnat.
Hic ſe deductum Trojano è ſanguine jactat:
Hac ſi è ſtripe neges deductum; concita motu
Mens ſubito tranſverſa furit: nil deſipit iſte
Si quodcunque neges aliud. deturbat honoris
Mente alium decus ablatum. delirat avarus
Divitiis raptis. ſtudioſæ Palladis artes
Aſſiduè cultæ, inſanos potuere furores
Interdum parere, & doctæ deliria mentis.
Seria ſique inter liceat ludicra referre;
Illius inſani ſapidum perpendite dictum,
Qui dum ad fumoſos Cauponæ ediſſet odores,
Dulciùs in fruſta exſectum panem; inde petenti
Cauponi pretium; prudens hæc dicta reponit:
Tu mihi nidorem, & fumoſos tradis odores,
Argenti ſonitum quin à me jure roportes?
Hæc memorata mihi, ut conſtet, deliria mentis

 In-

Interdum ſolers ſibi nectere mentis acumen:
Quæque huc uſque dedi certi argumenta furoris,
Non narrata mihi, atque alienis teſtibus hauſta:
Sunt oculis inſpecta meis. mox, cæde patrata,
Et quæ poſt actus non inferiora ſecuta,
Argumenta dabo, non vanis teſtibus hauſta:
Quæ non quoſcunque oſtendunt (ſi vera) furores,
Sed collata quibus par ſit dementia nulla.
Cæde recens fœdus, polluta & ſanguine dextra,
Mane novo, in templo, quo ſe poſt crimen iniquum
Abdiderat; ſumpſiſſe ſacram temerarius eſcam
Auſus, & audacter veſco ſe Numine paſci.
Quis furor hic demens! non hæc dementia cæca,
Quod juratus ait, vacuam ſibi Numine, Myſtæ
Porrectamque dapem dextra virtutis inanem?
Amenteſq; vocat Myſtas, quòd crimina mentis
Emotæ ipſi confingant. Quid cuncta furoris
Argumenta ſequar? templo dejectus, in omnes
Deſipuiſſe modos viſus. per compita, nudis
Ferre gradus pedibus, nudato vertice, voces
Tollere terriſonas, lapides jactare fragoſos,
Et dare præcipitem ſe ſe in foſſam: licèt olli
(Inſanis ut ſæpe ſolet) fuit alta ruina
Innocua & præceps indemnis ab impete lapſus.
Hæc mentis ſunt ſigna bonæ? mox præpete curſu,

Ante

Ante meas transire fores conspectus; in ædes
Pervolat, insanis decretas: apta furori
Emerito loca frangendo, plagisque ferendis.
Huc se sponte tulit, vitiatæ crimina mentis
Fortè relicturus duro sub verbere demens?
Hinc fugiens, juvenis validus, viridisque juventæ
Sistitur à patruo uxoris, frigentibus annis,
Invalidoque sene, ausus nil obsistere contra.
Mox trahitur vestrum ad collegam, stipitis instar,
Nilque reluctatus. liceat si vera fateri,
Iste an compos mentis erat? delirus habendus,
Qui arripuisse fugam potis est, & vertere terga,
Abdere vel sese, subeat discrimina vitæ
Si captus, renuatque fugam tamen, ille Pelasgus
Dux monuit sapienter: provida dicta præire
Exemplo ipse suo gaudens, qui ad jura vocatus,
Iudicium capitale timens, sese abdidit: inde,
Quid patriæ tantum diffideret, ille rogatus,
Iudicio: inquit; ego & matris mihi jure timerem
Iudicium: ater quid si fortè errore lapillus,
Pro niveo positus, malè faustam redderet urnam?
At non hæc tenuit stolidam solertia mentem
Paulicii: subitò quæsitus, crimina fassus,
Vxoremque neci causam tribuisse cruentæ
Nullam: non unquam thalamum temerasse jugalem.

Hæc

Hæc non ancipitis, certi sed signa furoris
Visa mihi, & cunctis; genium si rite fateri,
Ingenueque velint morbi hujus. credere sanum
Crimina fassum ultro! sceleratis ausibus illi
Allatam causam nullam: haut anfractibus ullis
Excusasse nefas: stolidum sapuisse rudentum
De grege nonne pecus mage credas? Crimina fasso
Pœna venit minuenda, & judicis ira severi
Discit habere modum: cernunt sic jura benignè;
Sic legum decreta jubent. servatus Athenis
Hic mos; nec fugiunt memores exempla vetusta.
Nescio quis signum malè sano fregerat ausu
Olim Mercurii: veniam meruisse refertur
Fassus sponte nefas. mage nil, quàm crimina fassus
Flexit Alexandri mentem. sed mitiùs olim
Hunc licuit servare modum, cùm criminis ultro
Delator venit ipse sui patrator, & omne
Iudicium subiturus adit, pro crimine pœnas
Sponte reus poscens: sceleris confessio namque
Non extorta valet justos mollire furores
Pectoris, & nimiùm sensus inflectere duros.
Sic meruere tuæ quondam, Germanice, turmæ,
Quæ fidei immemores, procul abscessere rebelles,
Exoratam abs te veniam. sic Numinis iras
Flectere concessum nobis. confessio facti,

Fa-

Facta securturæ spondet non noxia vitæ,
Degere & in melius. fuerit tamen inclitus olim
Iudicii mos iste licèt, cùm sponte fateri,
Sistere seque reus consuevit; vertitur ordo
Nunc alius: non hæc didicit servare tribunal;
Nec mos iste viget: præsertim crimina quando
Excessu graviore patent: nec causa reposcit
Hæc sibi Paulicii, traxitque ad jura satelles:
Iudicium non sponte subit, crimenque professus
Ipse suum ultro ingens, ac nullo teste probandum.
Nulla verecundi supplex dedit ille pudoris
Signa, nec ad veniam poscendam verba resolvit;
Perfricta sed fronte procax, duravit in ausus,
Vxorisque necem nil territus ore fatetur,
Sponte necis sibi damna creans. vos, credere, mentẽ
Hunc sibi constantem, & sanam gessisse potestis?
At quæcunque dies magnos tormenta perausus
Dira reis neglecta monet. nonne ipsa queruntur
Supplicia illata in cassum: cumulata silentes
Expugnare sonos, atque ora valentia nunquam?
Quod tormentum ingens solerti mente repertum
Non est, ut sceleris confessio victa pateret?
Accitæ ad tormenta faces: pix igne liquescens
Instillata reos supra: glacialibus undis
Torti, demersi, calido torrentur olivo,

Ora

Ora per interdum infuſo: ſtant verbere crebro
Virgarum laniati artus, nil ore profantur.
Aſperat injectum non rarò vulnus acerbum
Sal mordens: ſalſæ interdum dant pocula limphæ,
Aucta ſitis magis ut cruciet: jejunia longa,
In rabiem converſa, famem peperere caninam;
Ore ſilent muto. digitos torquentur, acutis
Infixis calamis crudeliter inter & ungues.
Quid referam colubri morſus, denteſque ferarum?
Quid lentè ſectos artus? quid pondera talis
Saxorum ſuſpenſa pedum, dum brachia retro,
Acta diu, ad ſævæ reſtis ſuſpendia pendent?
Cerne pedes etiam prunis ardere recoctos
Subjectis: fidium laniatos cæde lacertos,
Abdita nervorum morſu depaſta voraci;
Perſtat adhuc victor ſceleris defenſor, & uſque
Mutus in ore ſonus. tædet jam cuncta loquendo
Supplicii tormenta ſequi. quìd, pectoris expers,
Paulicius, quod cuncti homines fecere, relinquat?
Vna inſana poteſt mens excuſare fatentem
Crimina, & hos turpes effuſi ſanguinis auſus.
Non hìc dicta mihi Demoſthenis, ore ſilenti,
Prætereunda putem: Ex quo rerum condita moles,
Exſtitit, humanumque genus vitalibus auris
Veſcitur, & vindex ſcelerum viguiſſe tribunal

Pro-

Proditur; haud unquam qui sit sua crimina fassus
Spontè, repertus, ait: mage quin fidentibus ausis,
Cuncta sibi patrata negant: imposta malignè,
Exclamant: cauti verborum ambage, rogati
Declinant fugiuntque nefas. delirus habendus
Ille fuit, divino sic censente Platone,
Immerito qui spontè suo detraxit honori.
Sensu fortè pio, & cœlesti territus ira,
Paulicius timuit mendacia falsa profari.
Cerne hominem innocuum! sana si mente fuisset;
Vxoris patrare necem nil pectora tangat,
Ducat at esse nefas mendaci fallere lingua?
Quanquam, si sanus, potuisset ludere verbis
Ambiguis, ictus & declinare sagaci
Consilio, & cautus quærentis judicis ora
Irrita reddere, quæsitus dare verba roganti,
Et perplexa loqui, nullo tunc crimine fœdus.
Non etenim veniet de crimine ritè rogandus,
Legitimeque reus. priùs ac de crimine constet
Semiprobato: non & respondere rogatus
Debet & ipse reus, ni testes ante patescant
Producti: productis testibus, ipse fateri
Ritè probata sibi commissa piacula debet.
Nec spernenda venit sententia nuper Ibero
Perdocto monstrata viro, quæ ritè fatenda

Crimina magna reo, mortem paritura, vel ingens
Dedecus, & probrum generi, negat; ipsa probata
Crimina ni fuerint plenè: nec jussa ligare
Iudicis ipsa reum, quanvis videatur uterque
Vti jure suo. Sed jam mostrasse furores
Paulicii me credo satis. quid? luce corusca;
Atque oculis vultis cernentibus illa patêre?
Mente abstrusa latens insania ritè petitis
Indiciis monstranda venit. congesta probanti
Plurima sunt mihi, quæ redolent manifesta furorem.
Ista nec ingenio sunt argumenta furoris
Solerti conficta meo: non ipse patronus
Vnus ego hæc refero: non hæc degentibus orbe
Seposito, longeque sito, aut habitantibus Indos
Scribo, sed vobis præsentibus. ipse furente
Paulicio mage desiperem, meritoque putarer
Nunc mage mentis inops, hæc si commenta per ausus
Mendaces referam; vobis suadere loquendo
Vana ego si studeam: si vestris auribus ausim
Promere digna minus: si fallax prodere tentem
Ipse fidem & temerare meam. me vera locutum
Innumeri testes firmabunt. jura tenetis;
Indagare licet verum: in vos cura recumbit
Ista salutaris. si quid mea vota, precesq;
Impetrare queunt; concedite justa roganti.

Non

Non hic ſatales inter verſamur Athenas,
Præcipites ſemper pejus decernere ſuetas:
Parthenope nos clara tenet, morum inclita ſedes
Ingenuorum: major ubi ſtat cura regendi
Imperio populos facili: in qua jura per omne
Iudicium incorrupta vigent: ubi mentis acumen,
Ingeniique vigor mage pollet: docta Senatus
Veſter ubi numerat capita inclita: culmina juris,
Et legum celſos apices, quibus enitet ingens
Relligionis amor, pietas immota, nec ullis
Indignis flectenda modis. Quid congero plura
Aſt ego? quid dudum verbis, precibuſque fatigo
Iudicium veſtrum? quid teſtes ire laboro
Per multos trepidus? retuli quæ ſigna furoris
Sint uni teſtata mihi: quis neſciat, uno
Sæpius innocuam vitam bene teſte probari?
Ancipitem an mea dicta fidem ſine jure reportent?
An cenſere libet fœdè me falſa profari
Immeritum? quæ cauſa mihi mendacia turpi
Suggerat ore loqui? an cùm poſt mihi vulnus adactũ,
Officio ſuadente pio, me Zurulus ultro
Inviſit judex urbanè, mente furentem
Paulicium non dixi? verbis teſtatus & inde,
Paulicius ſi fortè reus diſcrimina vitæ
Triſtè ſubiret; me illius, conamine quanto

Iura valent, quantumque poteſt induſtria ſolers,
Cauſam defenſurum? nullo ritè labori
Ceſſurum, expertem ſceleris, quò reddere poſſem,
Promere & innocuum? priùs ergo teſtis & index,
Ipſe fui innocuæ vitæ, quàm cauſa patronum
Vulneris, & cædis me ultro poſt triſtis haberet.
Ergò mihi per jura licet nunc munera teſtis,
Et per jura licet nunc munus obire patroni.
An ſuſpecta fides mea vobis? noſtis abundè
Ingenium, moreſque meos. mihi vulnera adegit
Lethifera: his omnis penitùs delenda veniret
Suſpicio quæcunque foret, ſi vulnere læſus
Spectatæ virtutis erat. ſed fortè furores
Paulicium ſimulaſſe putes. perſæpe dolosè
Fingitur iſte furor demens, ut crimina tergat,
Excuſetque nefas dementia, pœna ſequatur
Ne vindex: nec nunc commento inventa recenti,
Sed conſueta diu hæc figmenta: nec unus Vlyſſes
Delirus ſimulabit. ſic me juſta monentem
Audio, confictoſque dabo perſæpe furores.
At ſi mentis erit furor anceps, certaque ſigna
Deficiant; veniet res decernenda per actus,
Præteritam vitam, famæ vulgantis & ora.
Nempe locus dabitur ſimulato fortè furori,
Inſenſum ſibi, ferro ſi quis ſuſtulit: uxor

Pau-

Paulicio data cara neci, ſpectata pudore
Egregio, plagis multis confoſſus amicus
Illi munificus. non iſthæc nata furorem
Amoliri, ſed certi argumenta furoris
Eſſe magis cuicunque ſolent. perquire furentis
Paulicii priùs actam vitam: crimine nullo
Fœdatam invenies. præſentes aſpicis actus?
Hi tibi aperta dabunt motæ deliria mentis.
Quid ſimulaſſe putes? facies infecta repentè
Funereo pallore: cavo ſtant lumina tætra
Introrſum fugitiva ſinu: periere ſopores
In vigili ſemper nocte, & ſi quando ſopito
Capta quies; brevis eſt: inſomnia mœſta recurrunt,
Larvarum ſpecies, ſimulacraque fœda pererrant.
Vxorem nece ſublatam per aperta feneſtræ
Ora viam in patulam deturbat: vulnere crebro
Me ſine jure ferit: per compita quoſque pavore
Aggreditur nullo, venientes enſe minaces
Quanvis occurrant: in foſſam ſe dedit ultro
Præcipitem, invalidoque ſeni ſe paſſus inermi
Siſti ad judicium: coram ſibi judice faſſum
Spontè nefas, erit hoc etenim ſimulaſſe furorem?
An mihi perlatus dicendus rumor in urbem
Paulicii de mente emota? fama per aures
Se veſtras etiam infudit; nec vana, ſed omni

In-

Indicii firmata nota, cunctisque patescens.
Paulicii me credo satis monstrasse furores
Ante actus, inque actibus ipsis, postque secutos
Actus. quæ modò nunc vobis sententia constet,
Iudicio præverto meo. deliria flentes
Innocui miserique viri, decernere pœnas
Parcetis. satis ille, suo data præda furori,
Supplicium sine fine luit. dementia vincit
Tormenti quodcunque genus: pejusque putandum est
Mentis, quàm vitæ fluxæ dispendia ferre.
Quid quòd in emota, & delira mente furentes
Supplicium non ritè cadit? sit pœna nocenti,
Plectaturque nefas: amentes crimina nulla,
Probraque nulla creant, nulla & convicia linguæ.
Hæc sanæ sunt mentis opus: delirus habendus
Non secus ac quadrupes. damnabis crimine tygres,
Excussaque juba furiosos dente leones?
An lapidem plectes, immani pondere lapsus
Qui caput obtrivit? pueros excusat ab ausis
Nescia consilii mens, ætas fraudis & expers:
Tutatur pariter malè sana mente furentes
Conditio fati infelix. Hadrianus ab ictu
Nil arsit Cæsar gladii: procul expulit iras,
Cùm se dementis furiosa cuspide novit
Turpè petitum: jussit protinus, ense petenti

Vin-

Vincla reo ſolvi. foret ô mihi tanta poteſtas!
Hæc exempla libens ſequerer. vos Numina, teſtor;
Vulneribus me nil motum, caſumque tuliſſe
Nullo iræ ſtimulo, nulloque furoris ab æſtu
Turbatum: haud aliter, quàm ſi lapis impete vulſus,
Et vi ventorum, fregiſſet membra ruina.
Hic magis in vobis ſenſus, mage cura vigebit;
Cana quibus major conſtat prudentia mentis.

IN
CERTAMEN III
PARAPHRASIS
HEXAMETRIS ILLIGATA.

SOllicitum me cura tenet, juſtuſque timoris
Senſus habet trepidum, ſceleri ne dentur habenæ,
Graſſetur ſine lege furor, turbæque latronum
Vſque novæ creſcant, victrix audacia gliſcat,
Ira fremens nocuas cædes meditetur anhela;
Sitque modus nullis auſis, impunè rapinas
Intentet ſcelerata manus, furioſa tyrannis
Preſſa metu nullo, nulliſque coërcita vinclis;
Elata cervice tumens, per cuncta vagetur
Detrimenta nocens, ſemel hæc exempla ſecundis
Aſpiciat ſi prona ſuis ſuccedere votis.
Nam quis erit poſthac, qui contra inſurgere tentet
Hoc hominum furiale genus? quis cernere ferro
Prædonum cum gente velit? confligere monſtris
Cum iſtis quis cupiat? caput objectare periclis,

Dura

Dura pati quis ſanus amet? populiſque tuendis
Quis labor inſudet? tanto diſcrimine vitæ
Audeat in ſimiles alacer certare latrones
Quis demens, vindex meritum ſi pœna ſequatur?
Supplicium merces fuerit? ſi præmia damnum
Emeritæ virtutis erunt, ſpolietur iniqui
Fraude doli fortunis, cunctis qui vindice ferro
Fortunas ſervaſſe potis? jactura bonorum
Immeritum premat iſta virum, qui cæde latronis
Exemit populos furtis fœdiſque rapinis?
Hunccine vincla pati, duraq; in compede juſſum
Ferre pedes, remo addictum ſæviſque catenis,
Cujus ope eſt populis libertas reddita: cives
Excuſſere jugum, peſtem pepulere nocentem?
His animo diverſa meo ſtant ſenſa repoſta,
Spes melior reficit, melior ſententia veſtris
Iudiciis optanda venit: nec turpiter anceps
Talia de vobis trepidem, juſtoque Senatu,
Spectata virtute, Patres. benefacta rependi
Suppliciis, merita dignos mercede labores
Compede puniri, vincliſque ad terga reductis
Addici innocuum remis, ſine crimine mores
Paſſuros nunquam veſtros, & mentis acumen,
Atque pios ſenſus, ſuetumque ad juſta tribunal

 Ipſe

Ipse putem nunquam, totam si ex ordine narrem
Remque oculis subdam vestris. Qui præses in imum
Samnitum dat jura solum, populosque gubernat
Imperio, miserum remo designat aquoso,
Flaminiumque jubet transtris pro cæde nocentem
Orbe pedes vinctum ferreo, strictumque catenis
Exutum dare terga flagro, noctesque diesque
Inter colluviem immeritis incumbere remis,
Quòd scelerũ egregiũ auctorem, probrumq; nefandũ,
Prædonumq; caput ferro dejecerit, umbris
Æmilium stygiis dederit, pestemque nocentem
Munifica dextra difflaverit. inde severum
Iudicium mage mite venit; nam pœna, per omnem
Ætatem, inter tartareas ducenda triremes
Tristè decennali spatio contracta levari
Visa magis, lenisque magis mitescere. tandẽ,
Quod nunc vester amor spondet, pectusque benignum,
Quodque æqui rectique tenor, quod jura reposcunt,
Hoc quoque supplicio fidit se rite levandum.
Atque illi non vana venit fiducia: namque
Indicio monstrata levi commenta dolosè
Nec cædes constat; nec si patrata pateret,
Supplicio plectenda venit: Mihi carmen oberret
Neve vagum, per cuncta suo nunc ordine currat,

Sin-

Singulaque expediat. Cædem patrasse cruentam
Rite quis evincat? quis dejecisse latronem
Rite probet ferro? nullus nam Iudice testis
Flaminioque coram juratus detulit, illum
Impositum patrasse nefas. non ille vocatus,
Moris ut esse solet, consuetaque jura reposcunt,
In jus. Præripuisse fugam, se seque periclo
Flaminium subdûxe damus: sed vana fugaces
Argumenta dabunt cædis. quis carceris umbras
Non metuat? quis sponte sua data vincla subibit?
Quis loca senta situ & turpi pedore cavenda,
Non ingrata putet? quis Iudicis ora severi,
Innocuus quanvis, non vitet? criminis expers
Et sua damna timet: constat cui robore pectus,
Nescia mensque metus, justæ discrimina causæ,
Et dubios pavet eventus. heeu vita periclis,
Quotque dolis objecta patet! pensanda potestas,
Non quid jura valent. interdum testis iniquus
Innocuo vitam abstulit, invidus omnia livor
In pejus mutare valet. decreta gubernat
Sæpe favor. terror justæ an non pondera causæ
Sæpe etiam injustè inflectit? male subdola sæpe
Perfidia exsultat victrix. defensa patrono
Ignavo bona causa cadit, victusque recessit

Non rarò qui victor erat. natura tuendam
Vsque monet vitam. libertas vincla repellit,
Qua natum mortale genus. quid carceris atrum
Flaminium fugisse locum, vivumque sepulcrum
Mireris, licèt innocuum? hic manet inditus ardor,
In cunctos hæc cura cadit. viden' impiger ales
Vitet ut innocuus tensum cauta arte dolosum
Aerias per rete plagas, laqueisque retentus
Effugere ut nexus, injectaque vincla laboret?
Cernis aves caveis inclusas usque revolvi
Irrequietas & nullo non tempore mæstas,
Sollicitam tentare fugam, patriumque relictum
Suspirare polum? religati colla leones
Rumpere vincla parant. Neptuni squamea turba
Retia jacta salo vitat: diffringere nexus
Capta cupit, nodos odit detenta tenaces.
Et miremur adhuc tætri renuisse fugacem
Carceris illuviem, damnatorumque cavernam
Flaminium? At cur ista morer, mihi sedulus, infit,
Nitar & indiciis, delator criminis? ultro
Ipse suum crimen dubio non ore fatetur
Flaminius. Quid ego dudum mea verba profundo
Irrita & in cassum cura consumor inani,
Atque horas tempusq; tero ridendus, ab ore

Fla-

Flaminii fasso constent si crimina cædis,
Patratumque scelus pateat? sic devius errem?
Sic ego desipiam? stolidum ne crede patronum
Mentis inopsque caput. cedò: quid nam rite fatetur
Vltrò Flaminius? Stipatum jure cohorte
Atque satellitio regis, cinxisse corona
Æmiliique domum oppugnasse: hæc inter, iniquũm
Corripuisse fugam latronem: cæde fugacem
Enectum manibus lictorum: jurè perempto
Illique exanimo caput à cervice revulsum
Rite sua dextra concedit. Criminis ausum
Hoccine dicendum? meritæ præconia laudis
Egregio cumulanda viro, facinusque decorum
Fama probans vulgare cupit. sua gaudia præses
Cum populis miscet. resonant clamoribus ora
Festivis animata sonis. se læta voluptas
Cunctorum in vultus fudit. gestire per omnes
Lætitiæ sensus visus. præcordia cunctis
Exsiliere. oculis ridenti luce serenis
Abscissum cervice caput, fœdumque cruore
Aspexere hilares. nullus non gratus olympo
Vota libens solvit. nullus non Numen amicum
Munificumque vocat. lictorum turba, nefandum
Prædonis quæ læta caput de crine gerebat,

Lau-

Laude vacat nulla. prece ſupplice cuncta ſecunda
A ſuperis illi implorant. benefacta rependunt
Obſequio, & digno pro munere fauſta precantur.
Nempe quòd horrendam diſſlarit vindice ferro
Immanemque luem: ſecti quòd cæde nocentis
Verticis, unius non hydræ damna cruenta
Suſtulerit, ſed cuncta ſimul fera monſtra latronum
Ictu uno collapſa jacent trepidantibus auſis.
Hoccine erit patraſſe nefas, cædemque nocentem
Flaminium? hoc ne nefas ultro crimenque fateri?
O ſibi quale decus peperiſſet! nominis inſtar
Quantum illi acceſſiſſet, ſi ſua dextra labore
Adjuta haud ullo ſocio, comitumque ſequaci
Præſidio fulta haud ullo, prædone perempto,
Egregium patraſſet opus, conſorte triumphi
Haud ullo celebris retuliſſet ſola trophæi,
Et cædis memoranda decus! quæ gloria tætram
Horribilemque feram letho merſiſſe! leoni,
Armeniæque parem tygri obtruncaſſe latronem!
Hic vos ſollicitos video cupidoſque perempti
Expectare, Patres, ſcelera atque immania facta
Æmilii prædonis: ſed quis ſingula cenſu
Æquabit, numeroque ſuo digeſta reponat?
Ante dies me deficient, annique; tot omnem

Per

Per vitam patrata patent. pars nulla latronis
Ætatis ſcelerum vacua: omni exuta pudore
Ora verecundo, ingenium ſilveſtre, ferarumque
In cunctis ſimile, in cunctos ſævire paratus.
Cædis amans, ſemperque furens, ſemperque cruoris
Fundendi cupidus. nulli quondam impia major
Improbitas, ſævuſque furor. potis artibus unus
Latronum ſuper ire Scythæ, Thracumque rapinas
Innumeras. quas ille domos impunè peragrans
Non rapuit? loca quæ non expilavit iniquus?
Quæ à furtis, valido quanvis munimine ſepta,
Oppida tuta ſuis? quis non prædone viator
Aggreſſore exutus? quæ ſecura per omne
Samnitum & loca tecta ſolum? per aperta viarũ,
Per nemorum, ſilvarumq; umbras populator avarus
Baccatur: ſceleri non ulli parcit, averno
Iamdudum devota lues. caput omnibus orci
Plectendum furiis, jurati fœderis omnis
Contemptor, princeps nocuus, ductorque latronum
Peſſimus. illi fœta dolis mens, ſubdola verba,
Et nullam ſervare fidem conſueta, neſandis
Criminibus pectus pollutum, ſtragis anhelum
Humana monſtrum ſpecie, ſolaque figura.
Suſtulit hanc hominum labem peſtemque nocentem

Fla-

Flaminius; portentum immane hoc, cæde salubri,
Et digna præcone manu, detrusit in orcum.
Pro meritis quis dignus honos? quæ præmia tanto
In munus decreta viro? stet compede vinctus,
Emeritaque manu lentetur remus in unda.
Hæccine dona labor laudandus? præmia virtus
Ista sibi poscat? populis qui dente nocentes
Infestasque feras cædunt, qui strage luporum
Victores redeunt, qui parva mapalia morsu
Pastorumque casas solvunt, cumulantur honore,
Muneribùsque labor meritis donatur; & omne
Qui prædone solum, cunctisque nocentibus ursis
Pejori exemit monstro multabitur insons,
Et pœnas pro laude feret? damnata triremi
Serviet illa manus, secta cervice latronis,
Servitium durumque jugum quæ repputit? ô quos
Læta dabit festiva jocos, quæ gaudia plausu
Proferet improbitas, si sic sua vota secundo
Successu plecti videat! pereant exempla nocentum
Talia: mactetur ferro, atque impunè latronum
Infestum genus omne cadat. sic pressa pavore
Turba ferox cœptis absistet: comprimet ausa,
Injicietque suo male sano fræna furori.
Audet opus damnare tamen, facinusque probare

Pars

Pars adversa negat: lecto quòd nempe jacentem
Correptumque gravi morbo non ritè satelles
Aemilium inventum temerario eduxerit auso,
Productumque foras ferro dejecerit ægrum;
Immeritaq; neci dederit. sed cerne modestum
Ingenium, parcumque necis, lictoris: ut omnis
Indulgens, patiensque moræ, tàm turpè nocenti
Destiterit properare necem. quis vana loquentum
Non isthæc commenta putet? quis credulus istis
Exhibeat, præstetque fidem? quæ dextra latronem
Cædere tuta queat, nulloque objecta periclo,
Expectans incerta moras, discrimina quærat?
Non hæc cautus amat molimina tarda Satelles.
Nex injusta venit: cædis patrator iniquus,
Inquit: namque nefas captum obtruncare latronem;
Lictorisq; manu prensum: privatus in ausum
Hoc surgat, cædemque struat: concessa potestas
Illi uni veniet. Quæ isthæc deliria mentis
Insanæ? quippe hanc, nullo discrimine, jura
Omnibus indulgent: & cùm privatus in hostem
Prædonem insurgit, captumque in vincla coërcet,
Aut ferro cædem intentat, per jura minister
Decretus præstat, munusque hic militis implet:
Ergo utrique licet, vel neutri perdere ferro

Infestum cunctis, populantem cuncta latronem:
Militiæ, si scire cupis, tibi jura recurrant
In mentem: pugnans in campo cæditur hostis:
Et captum per jura licet sine crimine pœnæ
Dedere rite neci: nec vitæ parcitur hostis,
Donec præsidia in nostra intret. carceris instar
Tunc etenim veniet custodia: jura cruenta
Exercere nefas: simili stant lege latrones:
Mos idem servandus erit. discrimina prava
Attuleris, justa nequeat si cæde satelles
Perdere prædonem, privatus jure trucidet.
Heu populis, si vera forent discrimina! in omne
Fræna malum vetitumque nefas laxata paterent:
Desperata salus populorum, cuncta rapinis
Latronum exposita, in cunctos sævire furori
Prædonum, scelerique datum: nam lictor in ausa
Hæc hominum lentus timidusque foret, sibi cædis,
Si sibi vinclorum, immeritæ si damna triremis
Decernenda sibi expectet, cùm monstra peremit,
Hasque hominum labes evertit. fræna, Tribunal,
Sunt laxanda illi, calcaria, sæpe monendo,
Sunt lateri addenda, & donis urgenda. salubris
Hæc cura, hoc studium populis & provida cædes.
Siqua tamen regio magis hoc munimine, Patres,

In-

Indiga, Samnitum præ cunctis. turba latronum
Innumero gliſcit cenſu: graſſator iniquus
Omne nemus, ſilvaſque tenet: formidine terret,
Ne dicam pagos, ſed ſeptas mœnibus urbes.
Nullum iter eſt tutum: nulla eſt non plena pericli,
Abjecti, ſummiq; domus. paſtura per agros
Prædones armenta timent. in vincla coactus
Eximitur locuples pretio, cenſuq; ſoluto.
Inque dies nocui veniunt mala ſemina morbi,
Atq; ſeges reſecanda viret. medicamina peſti
Addere ſæva decet: flammis urentibus ulcus,
Et ferro ſananda lues. aptentur in uſus,
Qui proſint populis leges. natura locorum,
Et gentis ſpectanda venit. variare tenorem,
Tempore pro vario, ſolers prudentia mandat.
Sed quid ego incaſſum contra hæc diſcrimina pugno,
Quæ gens nulla probat, nullumque probare tribunal
Conſuevit, meritò, tanquam damnanda, relegat?
Demus at allatum diſcrimen ritè receptum,
Damnatumque licèt nunquam; non finibus ullis,
Limite non ullo claudi, fuſeque vagari;
Ipſa vetat lex & rerum natura reclamat,
Si mora tarda ferat ſubiti diſcrimina caſus.
Sic docuiſſe vides juris legumque peritos,

In multis, ubi magna moræ discrimina gignunt.
An non res anceps, certoque objecta periclo
Æmilii differre necem, cædemque latronis
Exigua tardare mora? non-ne improba raptim
Prædonum collecta cohors, cœtusque latronum,
Agmine conserto, accurrit, venit impiger, audens,
Æmilio laturus opem, surrexit in arma
Pugnavitque diu, & tenebris ni pugna dirempta,
Certamenq; foret, subiisset dura satelles
Regius, & pugna victus cessisset iniqua?
Non ego prætercam, quòd cùm per longa viarum
Æmilius ducendus erat, per tesqua dolosis
Insidiis plena, & latronum fœta periclis,
Invia perque loca, & salebrosis aspera saxis,
Obliquos per calles, ambagesque timendas
Silvarum, & nemorum; haut injusti causa timoris
Incertique foret successus: turba latronum
Ne subito aggressu socium sibi vindice cæde
Assereret, raptusque manu ad pejora rediret
Æmilius, stimulisque novis urgere furores
Pergeret, iratus repetitis cædibus ultor.
Se quid verba tero, cùm nec vis improba morbi
Æmilium abduci sineret? pars ipsa fatetur
Adversa, invalidum, ac defectis viribus ægrum;

Cor-

Corpore decubuisse toro. Quid? fortè vehendus
Lectica invalidus properè foret? ast ubi in illo
Oppidulo quærenda venit? Fortè ille veredo
Quæsito portandus erat? sed cuncta tumultu
Cùm essent in trepido, atque incerto turbine rerum;
Sic ubi sollicitè inventus? Claudendus in atro
Carcere nempe foret? sed quæ custodia tuta
Prædonum intuto in pago? scatet ille latronum
Colluvie, hìc scelerum sedes, raptoris asylum,
Flagitiique caput cuncti. hìc impunè malignum
Cuditur omne nefas, nulla est reverentia Divûm,
Numinis obsequium nullum: despecta tribunal
Hìc sua jura videt, propulsus sæpe satelles
Regius, insurgunt in cunctos more ferarum
Prædones. Forsan vicinas vinctus in urbes,
Et loca munita abducendus? nulla latronum
Sunt furiis loca tuta satis. furor impius audet
Ardua quæque insanè. impervia claustra refringit
Vrbe vel in media. nuper fidentibus ausis
Turba ferox Cãplum, Teremumq; ingressa, recluso
Carcere, perque ausum nimium, custode perempto,
Eripit inclusos cunctos, silvisque redonat
Ad nova furta truces. Solers loca cuncta peragra,
Oppida cuncta vide vicina: haud ullus inermis

Oc-

Occurret: cunctos vulcania monstra gerentes;
Ignivomosque tubos offendes. ipsa securi
Turba puellaris munita occurret, & armis,
Quæ nitro displosa tonant, & glandis ab ictu
Allatura necem terrent. Sed ritè timenda
Si fuga erit, captumve rapi vi jure licebit
Latrones impunè neci dare; publica tantùm
Res ita si poscat. tales avertere pestes
Recta jubet ratio: naturæ jura parentis,
Humanas, legesque poli sancire putandum est
Hoc opus egregium. Foricas purgare licebit;
Infestam nocuamque luem, non perdere labem
Hanc hominum liceat? rectæ quàm consona legi
Albani decreta Ducis sanxere regentis
Regnum, ut qui sævum exanimarat cæde latronem,
Non modò non ulla pœna plectendus iniquus
Patrata pro cædè foret; sed criminis expers
Augendus donis; merito cumulandus honore.
Nempe quòd intersit tales avertere pestes,
Et stygiam exegisse luem. nec turpè morandum,
Nec latro Iudicio sistendus, plena pericli
Si mora. sæpe neci subductos vidimus istos,
Præreptaque fuga lictorum vincla per astus
Lusisse, & meritas pœnas risisse nocentes.

Sta-

Stare magis causam expediet, quàm turpè ruentem
Restitui indecorè. juvat & prævertere vulnus,
Quàm fœdè inflictæ medicamina quærere plagæ.
Res ita si gesta, & patrono jure peracta,
Flaminiique manu cædes properata latronis,
Flaminio cur damna creet? quòd nempe furentis
Prædonis cædes averterit? impia facta
Supplicio merito justus puniverit ultor?
Quòd tætram pestem difflaverit? omne quòd armis,
Servitioque solum Samnitum exemerit? omnes
Latronis furiis subduxerit atque rapinis?
Infandum quòd nempe caput, scelerumque parentem
Æmilium cædi dederit: quo auctore profana
Et sacra cuncta manu passim spoliata rapaci?
Hoc duce lecta manus latronum sæva per omnes
Immanes scelerum formas furiosa pererrat.
Obsessas latrone vias timet ire viator?
Obsidet Aemilius. Raptum lugemus honorem?
Aemilius rapuit. Vastati funditus agri?
Aemilio vastante gemunt. Timor urget euntes?
Aemilii sævus furor incutit. Otia pacis
Dulcia deficiunt? hoc defecere latrone.
Nunc nova stat rerum facies, prædone perempto
Aemilio: in cunctos rediit rediviva voluptas:

Li-

Libertas amiſſa redit: ceſſere procellæ,
Turbine diſſlato hoc. cunctorum gaudia pectus
Pertentant: cunctis tranquillam ducere vitam,
Et lætos ſine nube dies nunc contigit. unus
Flaminius vindex ærumnis obſitus. unus
In mœſto ſqualore jacet, de cæde latronis
Innocuus, remo plectendus. Flectite, Patres,
Pectoris in melius ſenſus. pro ſupplice clemens
Vota favor mutet. meritò lenire dolorem
Addecet, atque omnem inſonti præcidere pœnam.
Quòd ſi Flaminius portentum hoc ſuſtulit; illi
Eſt tribuenda ſalus populorum, publica vitæ
Commoda, parta quies, atque omnia damna repulſa.

IN

CERTAMEN IV
PARAPHRASIS
HEXAMETRIS ILLIGATA,

AEquior haud unquam defensa est causa Clietis;
Et recti defensus honor: non rostra patronum
Iustiùs orantem, justeque & jura tuentem
Vsquam aliàs sensere magis: non pronior aure
Dicenti favisse Themis, nutuque secundo
Visa aliàs plausisse magis, meritumque laborem
Clamoso laudasse foro, vultuque probasse;
Quàm cùm ego nunc, licèt ore rudi, nec Rhetoris arte,
Eloquioque satis munitus, jura patronus
Adriaci defendo Ducis, certamina litis
Intendo, & fisco bellum vocale repono.
Te coram quòd bella geram, telisque fatigem
Iuridicis fiscum, nec gratus, prælia tentem,
Vrgebit mea corda pavor non anxius ullus:
Non trepido terrore premar. Quid? fortè timendum,
Ne dicentis opus, susceptaque munera fandi

Illapsura tuis gratis non auribus? aut me
Discrimen subiisse putem, fidentibus ausis
In fiscum quòd tela rotem? nil tale timendum,
Te Prorege, mihi: quin hoc si mente revolvat
Fortè aliquis temerè; sensu est plectendus iniquo,
Et sceleris damnare reum decet. inde benigna
Dona magis speranda manu: cui namque regentis
Iudicii lanx æqua tui; cui ignota voluntas
In rectum, pronusque favor? cui candida mentis
Integritas, inflexus amor, justique tuendi
Immotum mage pectus erit? cui juris honores
Insedere magis cordi, atque examina libræ?
Ergo alacer, pulsoque metu certamen inibo,
Adriacumque Ducem, te non renuente, tuebor.
Nec juris defensor iners: mihi jura tuenti
Sufficies animos præsens, & robora fandi
Aucta favore tuo venient non irrita voti.
Illius mihi nempe viri suscepta libenter
Cura patrocinii, cujus perspecta per omnes
Inconcussa fides casus; cui tempora nulla,
Regis in obsequium, nullis Fortuna periclis;
Servitio addictam mutarunt invida mentem:
Nec studium minuêre suum: sibi prona voluntas,
Et Regis devinxit amor: quem cura parentis,
Et studium texêre tuum. quando æquior ergo
Est suscepta viri defensio? quando Clientis

Iusta

Iusta magis tutela datur? sed tempora tardas
Me stimulant auferre moras, hostemq; propinquo
Marte ciere monent, strictaque lacessere pugna.
Non alium præferre Duci decet, oppida Iuli
Si quis fortè velit conducere: posse nec ullo
Obtentu excludi: nulla atq; obstacula fiscum
Apposuisse Duci, aut tricas innectere contra.
Antè tamen quàm jura Ducis, causamque revolvam,
Altiùs ista mihi res est à fonte petenda,
Exacteque magis narranda ex ordine, ut orsis
Ritè meis sternatur iter. Fundamina prima
Gens aquiviva dedit: primus fundator Iulus
Dux Antonius exstitit: adnitente labore
Tam celebris substructa viri sunt oppida: censu,
Campus ubi fuerat, tellusque supina jacebat,
Illius atque auro creverunt mœnia: nomen
Ille dedit, conservat adhuc per secula bina
Nomen idem. Postquam fato concessit Iulus
Iste parens, cunctas nato transmisit habendas
Clarus opes Matthæo. Non hic prodigus auri,
Castra licèt bellator amet, Martemque frequentet;
In luxus mollitur iners: non fundit opimos
In Venerem census: non alea jacta paternas
Divitias ludo absumpsit: non fercula mensis,
Atque epulis indultus amor contraxit iniqua
Nomina; sed Regi dum militat, inclita virtus,

Et ſubit emeritos campeſtri Marte labores.
Creditor obtinuit, ſtatuitque tenere tribunal
Vſque ſatis fieret ſibi dum proventibus. Vnquam
Ex illo, quanvis poſſeſſa ob nomina longo
Tempore, non venit, ſervato gentis honore,
Et claræ ratione domus, dominique decore,
Iulia, dulcis amor generis, cognataque ſedes,
Hibernum victura gelu, friguſque nivale,
Adriacæ emeritæ ſtirpi, Ducibuſque locata.
Sed nova monſtra recens, nova quæ portenta tribunal
Audiit? attonitas quis rumor perculit aures?
Dum tabulas firmare novas, iterumque locando
Oppidulo de more Duci, venêre frequentes,
Iam pacta mercede ſimul, conductio coràm
Lege jubente, foret ritu peragenda; repentè
Prodiit, inſueto quidam, qui nomine fiſci
Impediat, cœptis molimina tarda reponat.
Hæſimus attonitis ſimiles, mentemque labantem
Inſolitus ſtupor obſedit. quò obſtacula tendant,
Hæc nova neſcimus, novus hic quod mente revolvat
Interceſſor opus diſquirimus. ardor anhelus
Quis rapiat ſe obſtare Duci, pagumque quotannis
Illi conductum, tam grandi avertere cura.
In majora animos rapiunt miracula noſtros,
Quæ tandem reſponſa dedit. ſibi nempe locandum
Nomine contendit fiſci certator, & ambit

Con-

Conduci ſibi pagum, præferrique recuſat
Adriacum ſibi ritè Ducem. quæ mira per aures
Res allapſa meas! non ullo tempore fiſcum
Hactenus auditum, tentamina talia quondam
Auſum: non olim rebus, non talibus unquam
Adjeciſſe animum curis. mihi cura ſed iſta
Nulla laboris erit: pendat, qui pendere debet,
Pendendique incumbit onus. tantùm ipſe locandum
Adriaco monſtrabo Duci, & nullo antè ferendum
Iure Duci fiſcum. ratio ſic dictat, honeſtas,
Et decus omne ſavet: Regis ſic poſcit Iberi
Vtilitas, regniq; quies. per cuncta patronus
Partito ſermone ferar, cauſamque tuebor.
Quid Ratio tua jura diu, lenteque moraris
Protegere, atq; æquis dictis inſurgere contrà?
Illa etenim ſic viſa loqui, mæſtùmque profari,
Majeſtate gravi ſpectabilis, ore ſevero,
Et vultu nil ſuave gerens; ſed frontis honores
Inſueto mærore tegens, interque furorem,
Et meritas pro jure minas: Sic ſpreta relinquar,
Et, Ratio, calcabor? ait. me jura magiſtra,
Quæ regnant, nutuque meo moderata reguntur,
Non faveant devota mihi? quæ recta guberno,
Recta mihi conceſſa negent? quid durius unquam
Auditum? quid triſte magis? prohibere parentum,
Antiquaque domo genitum? prohibere penates,

Et

Et gnatos habitare lares? excludere avitis
Sedibus, & patriis natos expellere muris,
Gentis ubi regnavit honos, ubi plurima imago,
Et stirpis simulacra patent? deflenda refixa,
Et nullo suspensa tholo? quid? turpè carendum
Majorum tumulis, cineres nec posse sepultos,
Funera nec patrum, nec condita corpora bustis
Obsequio coluisse pio? non visere coràm
Priscorum monumenta virûm, mentemque novare
Egregiis factis genitorum? Antiqua vetustas,
Etsi solvendis nobis non copia detur
Nominibus: multo quanvis nos ære gravemur
Contracto ex aliis: quanquam succumbimus olli;
In bona majorum heredes, fundumque paternum
Aspirare jubet: possessaque ritè nepotes
Semper habere cupit, priscæ si condita gentis
Funera tecta jacent, tumulisque teguntur avitis.
Tantum etenim generis cineres, generisque sepulcra
In pretio cupit esse, omni & quærenda labore.
Nonne vides si fortè aliquem de stirpe parentum
Egregium virtute virum contingat in oris
Extremum subiisse diem, longeque remotis
Occubuisse plagis, insudet cura nepotum
Quàm solers, acri studio, quantoque labore
Quærat habere suæ gentis tumulata peregrè
Ossa, & relliquias disjecta sub orbe sepulta?

Con-

Congeſtas exhaurit opes, maria ampla peragrat,
Ignotum pertentat iter, nova ſidera diſcit
Ignoto fulgere polo: perferre procellas
Aerias, cœlique minas, cunctiſque periclis
Se objeciſſe cupit; ſecum modò funera avita
Aſportare queat, ſecumque tenere propinqua
Fas fuerit, ſtirpis coràm coluiſſe ſepulcrum.
Et pluris mercanda decet. Verùm adjice dictis;
Quòd dominum nunquam mutarit Iulia priſcum;
Nec ditione Ducis ſe olim ſubtraxerit unquam:
Vera quidem ſi jura monent, & certa reponunt.
Si quis enim fundi fructus uſuſque quotannis
Vindicet, & tali potiatur jure; locare
Quandocunque velit fundum, præferre locando,
Et meritò, dominum debet: qui namque locanda
In re juris habet, potior cenſetur habendus.
Non ego prætercam, quòd cùm contermina multis,
Et vicina locis ſit Iulia, & oppida multa
Adriaco poſſeſſa Duci juxta adſita tangat,
Poſſe (quis inficias ibit?) ſibi jure propinquo,
Aſſerere, atque illam invito extorquere locanti.
Vicinum non eſſe decet, fundoque propinquum,
Cui non grata venit vicinia. laude per ora
Cuncta Themiſtocles hominum verſatur Athenis;
Ille ſuum quòd dum fundum, præcone, ſub haſta
Vendere cenſeret clamoſo; prædia juſſit,

Non

Non ſolo laudanda ſitu, non aeris hauſtu,
Temperieque poli miti, cœloque ſalubri,
Vbertate ſoli, fœcundo munere glebæ,
Reſponſura ſui cultoris grata labori,
Aptaque ſeminibus jactis, multoque fovendis
Proventu; verùm ſupra hæc præconia laudum
Appoſuiſſe jubet, quòd prædia nacta propinquum
Empta bonum fuerint, felix vicinia conſtet.
Referat id quantum, notis priſciſque monemur
Exemplis. patrias ſedes, patrioſque penates,
Et patrium liquere ſolum Sicana propago,
Albani populi, geniti de ſtirpe Pelaſgûm,
Arcades, occidui ſolis ſpectator Iberus,
Et quos certa olim nulla inſignibat origo,
Et quos fama olim vulgavit nomine Achæos,
Exceſſere vagi patriis de finibus, iras
Ne ferrent ſævi & convicia fœda propinqui.
Inſtat adhuc contra, nec pars adverſa quieſcit;
Sed dictis immota manens, ſua jura tueri
Pergit, & Adriaco præferri, innixa favore
Indultoque cupit. verùm, recti immemor, omne
Principis ingenium, & partes oblita benignas
Auſtriadum Regum, falſo deluditur aſtu.
Quænam cura prior Regum, populiſque regendis
Quod ſtudium magis eſſe queat, quàm commoda gentis
Subjectæ curare ſuæ? quàm avertere cuncta,

Quæ

Quæ nocitura videt? magis ipse incommoda quæque
Ferre libens patitur, populis quàm ferre gravandis
Sustineat: totoque cupit conamine, ut omnis
Pestis avaritiæ longè pellatur, & omnis
Turpis eat quæstus, dum publica ritè geruntur
Munera: ne simili fœdentur crimine mentes,
Eversuro olim regnandi molliter artes,
Laturoque luem sceptris, labemque nefandam.
Hinc tabulis quondam bis senis scripta salubris
Lex illa: Esto salus populi lex maxima legum.
Haud aliter, quàm mēbra caput, Rex regna gubernat,
Præsidio & fovet illa suo: sed membra vicissim
Servitio regale decus sceptrumque perennant.
Quàm magnus regnator amor, studiumque benignum
In populos Regis! mentes sibi liber ab omni
Quæstu animus vincire potest: nimis ardor avarus
Invidiæ fomenta creat, depellit amorem,
Subsidio nec Regis adest; sed robora frangit,
Et nervos adimit sceptris, succumque resorbet:
Inquiras veteres fastos; monumenta revolve,
Annalesque memor repetas: non firmiùs ullis
Regalis servatus honos, sceptrique potestas,
Quàm subjectorum censu, largeque retentis
Divitiis populorum. nullo hæ tempore desunt;
Sed stabiles, firmæq; manent. non usibus unquam,
Vtilitas si Regis, opes, studiumque reposcant,

Deficient illum, justè vel prælia tentet,
Vel regni tutanda quies, vel finibus hostis
Avertendus erit, cupido & frænanda libido.
Hinc decet adversis rebus, pariterque secundis,
Intactas cuicunque suas servare paternas
Divitias. studio simili, curaque tueri
Regem; ne temerè fundo spolietur avito.
Hoc pietas, hoc poscit amor: sunt munera Regum
Præcipua, ut veluti in natos, sobolemq; propinquam,
In populos sit pronus amor. de more parentum
Dilexisse decet, donis augere profusis.
O mihi quis memoret Constantis dicta vetusta,
Vel referat monitus magni Artaxersis, & olim
Quæ Ptolemæus amans vobis documenta reliquit,
Orbis qui geritis diversas regna per oras!
Nempe monent, referre magis ditescere censu
Privatas per regna domos, & didita dona
Fortunæ in plures partiri, regis in una
Præditis quàm claustra tegi: longeque decorum
Principibus ditare suos, quàm divitis auri
Præpollere decus regale, & munere gazæ.
Quis non pastor oves præpingues curet habendas,
Vt vocet ad mulctram cùm tempora certa reposcunt,
Et lactis sibi quærat opes, & vellera tonsa
Molliter expectet? solers quis cultor agrorum
Non præpingue solum, fœcundæ & munera glebæ

Optet

Optet arans, lætas ut condat in horrea messes?
Sic sibi subjectos locupletes curet habendos,
Si regnator amet sua ditia regna potiri.
Hæc si olim memores discant servare potentes,
Et rerum domini; non ullo tempore deses
Destituet popularis amor. nam fomes amoris
Semper erit compertus amor, nullisque caducam
Casibus, at stabili mansuram corde tenore
Conciliant bene facta fidem. Nil regna tueri
Armato terrore juvat. Custodia pernox
Nil texisse latus Regis valet. arma satelles
Irrita cuncta feret. validis nil fidere turmis
Profuerit. munire suis se mœnibus urbis,
Infirmus, vanusque labor. turrita minaci
Ære cavo, & solido circum defensa metallo
Arx frustra veniet. fixi munimina valli
Exiguum munimen erunt. non fossa lacunis
Circunducta cavis, atque altis amnibus aucta
Præsidium secura dabit. quæcunque parantur,
Subsidium latura fugax. tutamen ad omne
Vnus amor populi, & nexu quæsita voluntas
Munifico ventura satis. suffulta perenni
Hoc studio nunquam trepido concussa pavore
Regna labant, non ullo adverso concita casu
Duratura manent. manet alto nixa corona
Vertice, stat solium, manibus sua sceptra supersunt.

 Sed

Sed quid ego hæc tecum memoro, qui providus artes
Regnandi nosti meliùs? qui cuncta sagaci
Ingenio monstrare vales, cunctisque præire
Exemplo, ac virtute potes? Iam retraho gressus,
Et cœptas insisto vias. qui talia tentat,
Adriacumque Ducem contra certamina poscit;
Per transversa ruit: non illi cognita virtus
Regis, & ingenium: nondum perspecta voluntas,
Et recti cognatus amor. sprevere licentes
Austriaci Reges mores, odere malignos
Astus, imperium supponere legibus æquis
Usque suum didicere pii, populisque juvandis
Sunt scriptæ leges, & Regum condita jura.
Vt si quando datum, leges & jura nocere;
Correxisse monent. nec Regi turpè videndum,
Succubuisse suum fiscum, cùm causa maligna
Est illi. ut cunctis aliis, par alea fisco
Expectanda venit, cùm debita jura reposcunt,
Fortunamque decet similem, casusque subire,
Olli ni dederint expressa indulta favorem.
Hæc olim Italiæ rector documenta patrono
Tradidit, & monitus fisci: Moderamine magno,
Per justas incede vias, nec devius erres;
Nec recti te fallat iter. cave, turpiter insons
Succumbat, fallax superetque calumnia victrix.
Aure libens faveas, & justis annue votis:

Nec patiare aliquem fraudari ritè petitis.
Laudis habere nihil fiscum vicisse memento:
Grande decus fuerit si insons victoria constet.
Divitiis inhies nunquam, nec lucra requiras:
Iustitiæ sunt lucra magis quærenda. potestas
Non tibi nostra ferat, sed debita jura triumphos.
Turpis erit noster non æquo jure triumphus,
Invidiæ & fomenta parit. certamina supplex
Si vincat; recto constabunt laudis honores.
Commoditas nec nostra venit quærenda periclo
Indecoris famæ; fisci sed causa laboret
Sæpe mala, ut nomen melius de Rege supersit:
Hæc etenim jactura dabit compendia lucri.
Hæc olim Italiæ sapiens documenta reliquit
Aurea regnator, nullum quæ deterat ævum.
Sed fisco parere libet, demusque potiri
Indulto; cumulata probro reclamat Honestas,
Atque decus queritur. Liceat turbare quietem
Adriaco sine jure Duci? depellere avita
Invitum, propriaque domo? exturbare paternis
Sedibus emeritis; ubi funera prisca parentum
Cuncta simul tumulata jacent? ubi pendet imago
Plurima majorum? felix ubi ducta juventus,
Et consanguinei generis decorata vetustas?
Dux ubi natales cunas, primordia vitæ
Clara tulit, viridesque simul succrevit in annos?

Iu-

Iucundo prohibere polo, cæliq; sereni
Temperie, aërios haustus prohibere salubres?
Vicinis arcere locis, quæ condita priscis
Sunt atavis, & multa Duci quæ lucra reponunt?
Hæc etenim non digna Duci, cui gentis origo
Austriaca de stirpe venit. cui sanguine juncta
Nobilitas totum melior vulgatur in orbem.
Mite quid ingenium referam? quid candida mentis
Munera, & ingenuos mores? quid turgida fastu
Pectora non ullo? lenis clementia constat
Cui in cunctos, & pronus amor? cui commoda Regis
Non ulli quæsita magis? cui adversa subire,
Et quæcunque pati merito discrimine vitæ
Nulli optata magis, regni dum cura poposcit,
Et Regis stimulabat amor? perspecta voluntas
In Regem, & studium, insanus cùm civicus arsit,
Atque ferox sine mente furor. cùm bella libido
In Regem, & populi armabat malè sana phrenesis.
Tunc etenim bene notus amor: non ulla pericla
Ipse recusavit: præsens discrimina cuncta
Non ullo terrore subit; ne Iulia præda
Indefensa foret populi, turbæque furentis.
Non ego prætercam quos quondam Rege ab Ibero
Gens Aquaviva tulit meritæ virtutis honores,
Præstiti & obsequii. scripti monumenta favoris
Hæc quondam Regum in tabulis indulta supersunt,

Adria-

Adriaco collata Duci: Testamur, in omne
Obsequium vixisse genus, stirpisque parentes
Nostrum. non unquam memori de mente recedent
In Regem servata fides, semperque labores
Exhibiti indefessè; seu otia torpida pacis,
Seu belli poscebat opus. perspecta voluntas
Est, Aquavive tua Antoni, nulloque tacendus
Tempore gratus amor. libuit sociare petenti
Te nostro comitem nato, cùm munus obiret,
Burgundoque Duci orator mea dicta referret.
Quæ tua tunc virtus fuerit! quæ providà mentis
Consilia! illibata fides, vitæque modestæ
Præcipua integritas, solersque negotia cura,
Magnaque dexteritas patrandi! gratiùs unquam
Nil votis potis esse meis. benefacta rependi
Hæc semper cupiam, memori sub corde recondam.
Ipse meus natus quali sermone locutus
Est mecum de te! quàm grandia pectoris ausa
Sunt illi perspecta tui! felicia cuncta
Evenere tuo ductu. successibus olli,
Auspice nil te, defuit; omnia ritè peracta,
Consule te: virtute tua moderante, secuta.
Hinc quoque cùm bellum nobis instaret Hetruscum,
Et Ligures contra, collecto milite, turmæ
Mittendæ; qui te Martis, bellique peritum
Credidimus, tales contra decrevimus hostes:

Nec

Nec felix nostram mentem fortuna fefellit.
Rettulit egregios tua virtus Martis honores,
Et præclara tui victrix monumenta reliquit.
Restat adhuc tibi majus opus, Martisque cruenti
Argumenta nova, & belli potioris honores,
Laude quidem celebres, fato sed mortis amari:
Robore namque tuo pacatis rebus Hetruscis,
Eque meo voto pugnas feliciter ausus,
Ad nova bella redis. Thracum populator iniquus,
Rexque ferox Turcarum, lecto protinus hoste,
Impositoque rati, nostrum vi cœpit Hydruntum;
Non satis instructum, valido nec milite septum.
Huc iterum tua te virtus, & provida mentis,
Cura vocat, notusque valor. quæ mœnia circum
Commemoranda patras! infestas sæpius hostes:
Sæpe lacessitos ultro ad certamina poscis:
Sæpius in ventos volucres certamina difflas.
Avertis prædas subitas, & furta latronum;
Nil intentatum solers prudentia linquit,
Sollicitusque labor tuus. invida fata retardant
postremum properata decus. dum fervidus hostes
Insequeris populantes; furtim mœnibus urbis
Egrediens collecta manus, certamine iniquo
Te furiosa premens, indigna morte peremit.
Nec defecturum nobis sub pectore vulnus
Infixit jactura viri, semperque dolendi

Ma-

Materies cumulata venit. ſolamen habendum
Hoc dabitur, quòd clara tui monumenta ſuperſunt
Nominis egregii, & famæ celebranda per Orbem:
Quòd fidei pugnator amans, defenſor olympi,
Extremaſque pius clauſiſti funeris horas.
Et nos officii memores, memoreſque ſepulti,
Vſque hæc manſuris volumus teſtata tabellis.
Nunc poſtrema mei revocat me cura laboris,
Regis & utilitas. Superi populare, nefandum
Avertant ſcelus in Regem, motuſque rebelles
Inſani populi meritum detrudat in orcum
Cura poli clemens, olim quos improba Regi
Seditio ſine mente tulit; cui Iulia tandem
Eſt credenda magis, magno eſt cuſtode tuenda,
Adriaco quàm ritè Duci, ſi fortè furentes
Vulgus iners ſimiles unquam meditabitur auſus?
Facta probant generoſa Ducem, roburque Gradivum,
Inconſulta ferox quondam cùm bella moveret
Turba rebellantum. quæ tunc indigna furoris
Scena oculis objecta venit? quæ monſtra cruentæ
Sævitiæ ſunt viſa aliàs majora per Orbem,
Barbaricum quemcunque ſupergreſſura furorem?
Innumeræ vaſtantur opes, impunè rapinis
Libertas conceſſa feris, ſpoliata verenda
Sacrilega ſunt templa manu, deſpectus olympus,
Et Superûm calcatus honos. per vulnera ferrum
Sævit atrox, accenſa ſitis ſuſpirat anhela

 San-

Sanguineas cædes, populatur flamma rogalis
Cuncta vorax, fœdi & cineris monumenta relinquit.
Hæc inter scelerum princeps, ductorque latronum
Improvisus adest, urbemque aggressus Iuli,
Innumero septus populo, cœtuque rebelli,
Turbarum furiale caput, sævique tumultus
Incentor Pollecrius. impiger advolat hostem
Dux Adriæ contra, & molimina sæva retardat.
Sed cœptis insistit adhuc nil territus, urbem
Obsidione tenet, diffuso milite, circum
Castra locat, subitis vallis, fossisque peractis.
Ad pulsus tormenta parat, quatit impete crebro
Mœnia, suffossos cæca tellure recessus
Moliri instituit, tempestas plumbea cives
Præcipiti terrore ferit. jam machina muris
Damna altis admota parat. graviora pericla
Obsessos vicina premunt: ast irrita cuncta
Adriaci virtute Ducis difflantur in auras,
Et subitò resoluta cadunt: namque ille repentè,
Pectoris impavidi solo munimine septus,
Et natale genus tribuit quod robore fultus,
Obsessos animare parat. confidere certo
Præsidio Superûm, cives, cœlique favori
Imperat infractus, trepidosque hortatur ad arma.
Dux ipse ante alios pavidæ formidinis expers,
Magnanima virtute præit: munimine portas
Constructo firmare jubet: custodia pernox

Ex-

Excubat in foribus, ſolers ſpeculator in hoſtes
Invigilat, mutatque vices. qua parte doloſas
Inſidias ſtruat obſervat: tentamina cuncta
Prævertit cautus. per mœnia circitor urbis
Indeſeſſus obit multus, miſſuſque latenter
Explorator, iners ne ſit cuſtodia, ſomnus
Ne vigiles fallat, ne vis inimica per aſtum
Furtivos aditus tentet. dat provida cunctis
Conſilia, incautoſque monet: ſuccendit inertes,
Atque animos addit, ſpem ſublevat, incitat iras,
Atque acuit ſtimulos ſubito terrore retuſos.
Dux, miles, cuſtos, formas ſe vertit in omnes,
Subſidium cunctis, opulenta cibaria præbet.
Suſtinet adverſas acies. facto impete in hoſtes
Sæpe ruit. victor tandem dare terga coegit,
Obſeſſoſque diu tanta formidine ſolvit.
Non ſi bella diu multos egiſſet in annos:
Non ſi ſub vario toleraſſet Marte labores,
Sæpe vel armatus campo pugnaſſet aperto,
Bellatorque ſagax obſeſſas acriùs arces,
Mœniaque hoſtili circum vallata corona
Tradita non unquam; ſervaſſet victor ab armis,
Majus opus belli potuit, ſpecimenque referre.
Conſiliis mens fœta novis, prudentia ſolers,
Pervigil ingenium, generoſi pectoris auſus,
Magnanimos quæcunque Duces decora inclita claros
Efficiunt, collata illum virtutibus ornant

Laude pari. rapuit nunquam inconſulta libido,
Et Veneris malè ſanus amor. damnoſa voluptas
Imperio calcata jacet. repreſſit habenas
Iræ præcipiti. fœdæ contagis avaræ
Nulla lues tetigit. nullo torpore jacentem
Otia laxarunt. cura indefeſſa laboris
Exercet vigilem. quæcunque incommoda vultu,
Infractoque animo tolerat. promptuſque præire
Rebus in adverſis, caſus ſuperare ſiniſtros,
Munificæ largitor opis: popularis amoris
Ingenuus venator amans, faſtuſque ſuperbi
Spretor. cui dulcis melior facundia linguæ,
Robur & eloquii, poſcunt cùm tempora pugnæ,
Hortandus ſi miles erit? formidine pulſa
Hortantis virtute Ducis, ſermone perito,
Exemploque magis, nullo terrore pericli
Ardua quæque ſubit, certamina læta capeſſit.
Nonne ſatis quicunque putet, me examina cauſæ
Hactenus ad libram juſtum perpenſa dediſſe,
Atq; æquum pro jure Ducis certaſſe patronum?
Pars adverſa negat. Regi fert Iulia damnum
Adriaco poſſeſſa Duci: nempe alluit æquor
Vicinum: exportare libet furtiva per undas
Inſtructæ frumenta rati: compendia lucri
Perniciem Regi, & labem latura nocentem.
Ergo poſſideat nullus prope littoris oram
Vrbem aliquam? locuples nullus ſit cenſus avitus?

Divitiæ pereant? opulentaque cuncta libido
Ad nutum sibi quærat hydrops? feralis hirudo
Cunctorum sibi poscat opes? & sanguinis omnes
Insatiata voret census? liceat spoliare paternis
Divitiis quemcunque suis? quod cuditur aurum
Expilare libet. signata pecunia cunctis,
Et meritò sublata venit, nocitura per astus,
Invectura dolos, fraudes paritura malignas,
Armatura manus ad prælia sæva potentum,
Orbem discordi totum impletura tumultu.
Argumenta suæ causæ meliora requirat
Pars adversa, velit signum si tangere. culpæ
Pœna datur: nunquàm veniet plectenda potestas
Peccandi: meritæ semper præconia laudis
Ille feret, qui cùm potuit peccare; nocentis
Criminis est expers, atque innoxia pectora servat.
Non quæ tecta intus cordis penetrale recondit,
Et conspecta hominum nulli fovet alta voluntas,
Iudicio subjecta jacent, obnoxia pœnis
Esse queunt: unum sibi jus cœleste tribunal
Seposuit, stabili hoc semper sibi lege reservat.
Externa quæ fronte patent turpè edita facta
Legali quærenda foro plectendaque pœnis.
Nonne videt, rationis inops, si dicta valerent,
Adriaco non ulla Duci mansura regenti
Oppida? quicquid enim ditio transmisit avita,
Vicino alluitur pelago: per tempora prisca

Non

Non data commoditas eadem? nonne oppida quondã
Conditione pari patres tenuere vetusti?
Tunc quoque pontus erat: tunc littoris ora propinqua:
Tunc eadem Cereris dona exportanda per æquor,
Degenerem quis fortè Ducem meditetur iniquus,
Nec patrum calcare vias? ut sanguinis hæres,
Sic morum vitæque premit vestigia. virtus
Non modò par illis, mage sed spectabilis ardet.
Nil delatoris convicia falsa maligni
In medium proferre juvat. reclamat, ad aures
Perlatum, transvecta olim frumenta per undas
Annonæ nocuisse, Ducem peperisse propinquis,
Et positis longè populis, ut lucra referret,
Defectum cereris. Tanto delator habendus
In pretio? tantamque fidem scelerata propago,
Et labes hominum mereat? quæ tætrior Orbi
Pernicies, majorque lues? turbare quietem
Progenitum venale genus? gens nescia veri;
Texere nata dolos, regnisq; inferre ruinas,
Huic fidei præstandus honor? prona aure bibendum
Quod referet dubii cordis delator avarus?
Non sic regnorum Domini fecere vetusti:
Illorum dictis aures sepsere malignis:
Exposuere flagris: ludibria læta theatri,
Iussa dari vænum, regnisque expulsa migrare
Orbe procul. libuit tales avertere pestes.
Inveniant sed dicta fidem: accusator apertas

Et faciles aures teneat, conductio nunquam
Audito, causamque suam, sua jura tuenti
Impedienda Duci veniat: quod nanque tribunal,
Hæc vidit portenta fori? sunt quando dirempta
Non simul auditis ambabus partibus unquam
Ambiguæ litis certamina? jura reposcunt,
Exigit hoc ratio. leges quicunque tulere,
Id servare jubent. etenim quæ recta tenendi
Iudicii forma esse queat, nisi pondera causæ
Sint utrinque satis perspecta, & sedulus omnes
Maturare judex mente, ingenioque sagaci
Exploret latebras, litis momenta revolvat,
Ne innocuo cæcus noceat, faveatque nocenti?
Hæc servanda olim cunctis exempla reliquit
Pellæus Iuvenis Macedo, regnator in Orbe
Magnus Alexander, facilem qui præstitit unam
Certanti Iudex, aliam, ne ferret iniquum
Litis judicium, & iustis foret ansa querelis;
Adversæ parti vacuam servaverat aurem.
Hæc eadem servanda Solon documenta reliquit,
Atque eadem servanda Plato, quibus edita legum
Non ulla est melior populis data forma regendis.
Nulla mihi obtrudat vana argumenta pericli,
Nec venturi olim fingat commenta timoris
Pars adversa sua malè solers mente sagaci:
Nempe oculatus homo, venturi præscius index,
Quique animi inspector vestigans sensa latentis,

Olli

Olli suspicio quantum consueta ministrat,
Conjicit annonæ semper nocumenta futuræ
Adriacum perferre Ducem quæratur: an unquam
His dedit inventis Dux argumenta dolosis?
Sed dederit: quando auditum damnare tribunal
Suspicione reos? Aliud non detur asylum
Quàm sic velle placet: sit pro ratione voluntas.
Eloquar an sileam? quando hæc audita per Orbem;
Abjecta ratione procul, regnare licentes
Effrænesve animi motus: subjecta per ausus
Imperio calcasse thronum rationis iniquo?
Hæc nemorum donanda feris, interque furentes
Mos ferus hic vigeat tygrium. decet agmina cœtus
Civilis ratione regi, frænoque benigno
Iustarum legum compesci: regna perennant
Sic moderata diu, sic otia pacis aluntur.
Nunc extrema mihi paucis hæc verba supersunt,
Sinceraque fide venies mihi nempe monendus,
Hoc Adriæ tentare Ducem non crimine tactum
Turpis avaritiæ: cuncti novere profusum,
Munificumque satis. pudor angit: nomen avitum
Et decus impellit. majorum condita busta
Vota movent: generi semper possessa vetusto
Iulia calcar agit, teneris ubi lusit in annis,
Vitalesque auras hausit; quam dextra periclis
Insanis quondam valido servavit ab hoste.

FINIS.

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

Ali-

co-

Di-

Fa-

In-

non

M

O

Ob-

P

D. Pe-

Sub

S

T

aqua

Va-

V

Vir

X

F I N I S.

Graviores Typographi errores pag. 11, *n.* 24, Pythagoreis *corrige* Pythagoræis. *p.* 92, *lin.* 6, Pupulos *c.* Populos. *p.* 184, *l.* 1, Quæstus *c.* Questus. *p.* & *l. ead.* Quærelæ *c.* Querelæ. *p.* 189, *n.* 57, Decis. 230 *c.* Decis. 330. *p.* 191, *n.* 64, Fraudolenta *c.* Fraudulenta *p.* 205, *n.* 12, Etimolog. *c.* Etymolog. *p.* 211, *l.* 10, Propterea *c.* Propter. *p.* 228, *n.* 122, L. 7 *c.* L. 6. *p.* 236. *l.* 14, Ab *c.* Abs. *p.* 238. *l.* 18, Pernicizat *c.* Penicissat. *p. ead. l.* 19, Trœzenem *c.* Troëzenem. *p.* 241, n. 200, Ante *n.* 20, & post *n.* 21 *c.* Ante *n.* 120, & post *n.* 121. *p.* 250. *n.* 10, Belluva *c.* Bellua. *p.* 264, *n.* 81, Prospiciendum *c.* Perspiciendum. *p.* 266. *n.* 86, Æquæ *c.* Æquè. *p.* 301, *l.* 2, & 3, Exagistati *c.* Exagitasti. *p.* 337, *n.* 9, *Farin. q.* 24, *n.* 189) *Adde:* Alius pro alio solvere teneatur) *p.* 353, *l.* 3, Liberatur. *Adde numerum, & cita l. ult. ff. ad l. Iul. Majest. p. ead.* Romanæ potentiæ *c.* Romanæ majestati. *p.* 361, *n.* 28 In l. 18, §. 19 *c.* In l. 18, § 9. *p.* 307. *n.* 54, Multum næ *c.* Multum sanè. *p.* 368. *n.* 60, L. 9, ff de quæst. *c.* L. 8, & 9, ff. de quæst. *p.* 402. *l.* 6 Pedissequa *c.* Pedisequa. *p.* 430, *l.* 15, Raresette c Rasette. *Epist. ante paraphr.* Lenatus c. Legatus. *Ibid.* Prægunciant c. Prænunciant. *Paraphr.* 1 *pag.* 8, *lin.* 14. Lectæ *c.* Lecta. *Par. ead. p.* 10, *l.* 15, Cunctas agax *c.* Cuncta sagax. *Par.* 2, *p.* 7, *l.* 15, Hæbes *c.* Hebes. *Par.* 4, *p.* 16, *l.* 11, Cœpit *c.* Cepit. *Indice, Verb. Agnatus.* V, 153, *c.* V, 152. V. *Bonorum*, Eleemosinam *c.* Eleemosynam. V. *Charitas*, VII, 3. *c.* VII, 111. V. *Decreta*, Quis alteri *c.* Qui alteri. V. *D. Franciscus*, XIII, 14 *c.* XIII, 4. V. *Infantes*, Quis *c.* Qui. V. *Interdicto*, Prescripsisse *c.* Præscripsisse. V. *Mendacium*, Ex opera *c.* Et opera. V. *Parentes*, Maritus *c.* Mariti. V. *Pars*, Fraudi *c.* Fundi. V. *Pater*, Maritus *c.* Mariti. V. *eod.* Patria *c.* [illegible]riæ. V. *Præscriptio*, Cœptæ *c.* Cœpta.